
3 1761 07833897 7

THESAURUS RESOLUTIONUM

Sacræ Congrægationis

CONCILII,

Quæ consentaneé ad Tridentinorum PP. Decreta,
Aliasque Canonici Juris Sanctiones.

MUNUS

Secretarii ejusdem Sacrœ Congregationis

OBEUNTIBUS

Usque ad diem 3. Aprilis 1734.

Cl. Me. Card. JACOBO DE LANFREDINIS,

DEINCEPS VERO

R.MO P. D. CAVALCHINO

Archiepiscopo Philippensi,

PRODIERUNT

In Causis sub annos 1733. & 1734. *propositis*,

Episcopis, eorumque Vicariis, Causarum Patronis, ac aliis
in Ecclesiastico Foro versantibus apprimè
utilis, & necessarius.

TOMUS SEXTUS


TRIPLICI INDICE

A' BARTHOLOMÆO LIVERZANI

Brixichellensi J. U. D. locupletatus.

ROMÆ, MDCCXLI.

Typis, & Sumptibus Hieronymi Mainardi in Platea Agonali
Superiorum facultate.


LIBRARY
SEP 10 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

INDEX
TITULORUM CAUSARUM.
Quæ Annis 1733., *&* 1734. *in Sacra Congregatione Concilii fuerunt propositæ.*

Die Sabbathi 10. Januarii 1733



NEAPOLITANA LEGATI, Causa hæc, resumpto Folio postremæ Congregationis habitæ die 20. Decembris, hodie erit decidenda, discussis duobus, quæ subjicientur, Dubiis Sess. 22. c. 6. de ref.

I. *An, & pro qua summa debeatur Legatum in casu &c.*

II. *An, & pro qua summa sit faciendum contributum inter Legatarios in casu &c.*

Dilata, & ad D. Secretarium juxtà mentem.

TROJANA PRÆBENDARUM. Ad prospiciendum divini Cultus conservationi per idonea vitæ subsidia percipienda à Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ Civitatis Fogiæ, proposita fuerunt die 6. Decembris proxime præteriti bina hæc Dubia. Sess. 22. c. 3. de ref.

I. *An omnia bona, tam Missæ communis, quam Præbendaria coacervari debeant, ad effectum deinde dividendi redditus juxta modum ab Episcopo, & majori parte Capituli approbatum*. Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo sit providendum tam Ecclesiæ, quam Dignitatibus, & a Canonicis, quorum fundi Præbendales, vel omnino, vel in partè perierunt in casu &c.*

Rescriptum vero fuit ad I. *Affirmative* Ad II. *Provisum in primo*.

Minime acquiescentibus tribus illis Canonicis, quorum Præbendales Domus illæsæ sunt, quique propterea eamdem cum cæteris conditionem subire detrectant, dignentur Eminentiæ Vestræ deliberare.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis juxta modum; videlicet ut durante provisionali coacervatione reddituum, quicquid erit de Jure solvendum pro pensionibus solvatur ex acervo eorumdem reddituum. Quo vero ad damnum, quod proveniet a culpa, & facto Canonicorum ad Episcopum pro extrajudiciali illius recognitione; deniquè quoad prorogationem, & quantitatem annuæ summæ erogandæ in reparationem damnorum ad eumdem Episcopum pro suo arbitrio, & prudentia, & amplius.

LUNEN. SARZANEN. DISMEMBRATIONIS PAROCHIÆ. Acriter contendentibus Incolis Villæ Meridii locum esse Erectioni novæ Parochialis Ecclesiæ in eodem Pago, scissa antiqua Parochia addicta Ecclesiæ Sancti Michaelis Archangeli Corvarolæ, cujus Re- Sess. 21. c. 4. de ref.

Rector strenue Meridiensium votis repugnabat, bis auditi in hac Sacra Congregatione fuerunt litigantes, nimirum die 22. Martii, & 27. Septembr. superioris anni. Cum autem in prima Causæ discussione suspensa fuerit decisio, in altera tamen ad Dubium ita conceptum -- *An sit locus dismembrationi Parochiæ Sancti Michaelis Archangeli Corvarolæ, ac Erectioni novæ Ecclesiæ Parochialis in Villa Meridii* - Sacra Congregatio his verbis respondit -- *Negative; sed esse erigendam Vicariam perpetuam cum assignatione Congruæ solvendæ a Communitate Villæ Meridii, & dummodo provideatur indemnitati Parochi Corvarolæ, & ad Episcopum pro executione, etiam cum auctoritate Sacræ Congr.*

Meridienses non satis per hoc sibi prospectum existimantes redintegrata priori quæstione circa plenam veteris Parochiæ sectionem, discuti hodie postulant.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 27. *Septembris* 1732.

Dilata ad sequentem.

Sess. 21. cap. 4. de ref.

DERTHONEN. DISMEMBRATIONIS PAROCHIÆ. Affinis Causæ mox propositæ est ea, quæ sequitur. Qui enim domicilium habent in Pago Vineolarum, quique hactenus subjecti fuere Parochiali Ecclesiæ Monasterii Olivetani, quod est in Castello Præcipiani, postularunt peculiarem sibi dari Parochum constituendum in Ecclesia Sancti Jacobi. Disceptatum itaque fuit.

I. *An sit locus dismembrationi Parochiæ ab Ecclesia Sancti Petri Præcipiani, ejusque translationi ad Ecclesiam existentem intus Terram Vineolarum.*

II. *An, & quomodo sit providendum pro assignatione Congruæ novi Parochi.*

Cum autem die 18. Novembris 1730. & 17. Februarii 1731. nihil fuerit determinatum, die tamen 5. Aprilis 1732. Sacra Congregatio rescripsit -- *Negative* -- Sed resumpto ejusdem controversiæ examine, die 30. Augusti superioris anni responsum ita fuit -- *In decisis, sed esse a Monachis constituendum sumptibus Monasterii Cappellanum sæcularem, & Coadjutorem Curæ Animarum ab Ordinario approbandum in Ecclesia Sancti Jacobi Vineolarum, & in ea etiam esse asservandum Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum.*

Reclamat Monasterium, cui nimis grave videtur novum onus stipendii Cappellano solvendi ad commodum Parochianorum in eo Pago degentium, a quibus id sine justa necessitatis causa optari contenditur. Quamobrem deliberandum proponitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 5. *Aprilis*, & 30. *Augusti* 1732. *in casu &c.*

In decisis die 30. Augusti, quo tamen ad stipendium ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem.

FIR-

Sess.22.c.6. de ref.

FIRMANA CAPPELLANIARUM. Armindus Riccius, cujus patrium solum fuit Mons Sancti Martini in Firmana Diœcesi, quique Sub-Datarii munere decoratus fuit a san. mem. Clemente IX. in Testamento, quod fecit anno 1668. illustria pietatis, & amoris erga patriam suam argumenta edidit. Hæredem enim instituit pium Opus quod nuncupatur Mons Charitatis. Jussit mille Missas singulis annis celebrari in Ecclesiis ejusdem Oppidi, sive Territorii, delectis ad id quatuor Sacerdotibus, assignataque eis de proventibus hæreditariis eleemosyna in uno julio pro unaquaque Missa. Præterea frumentum pauperibus elargiendum, & sacram supellectilem legavit pluribus Templis memorati loci. Uni adolescenti, si studiis vacaret in Universitate Firmana, subministrari voluit annua scuta quinquaginta, si vero Romæ, septuaginta. Duodecimo quoque anno uni Puellæ ex Familiis sanguine secum conjunctis dotem dari mandavit in summa scutorum 300. ut Religiosæ Vitæ institutum possit amplecti; deindeque cum quatuor nominasset Executores Testamentarios, hæc subjecit - *Gli prega di accrescere il numero delle Messe, il che inprimo luogo desidera, e poi la carità di qualche suppellettile sagra verso le dette quattro Chiese, in terzo luogo accrescere il numero dei studenti, e finalmente il numero delle Zitelle da monacarsi secondo le forze della sua eredità.* Denique Executoribus Testamentariis, postquam objissent, subrogavit Archiepiscopum Firmanum, cui potestatem quoque fecit interpretandi, ac definiendi quidquid dubitationis circa suum Testamentum suboriri contigisset, additis etiam his verbis - *ed acciò tanto i sudetti suoi Esecutori Testamentarii, quanto esso Monsignor Arcivescovo possa nelle cose non specificate meglio regolarsi nell' interpretare, ed anche nell' accrescere l' impiego di detto moltiplico, dichiara, che la sua volontà in universale è stata, ed è che li frutti della sua eredità s' impieghino in moltiplicar Persone virtuose, e Religiose.*

Anno 1726. cum Archiepiscopus comperiisset annuos redditus hæreditarios redundare, censuit augendum Missarum numerum, ut ipsius Testatoris votis obsecundaret, ideoque binas addidit Cappellanias quotidianas, assignatis cuique annuis scutis sexaginta, & utramque Cappellaniam addixit Presbyteris Congregationis Missionis in Civitate Firmana domicilium habentibus.

Inde vero factum est, ut Mensa Archiepiscopalis reddita fuerit exempta ab onere solvendi totidem annua scuta 120. eisdem Patribus Missionariis. Innocentius quippe XII. Pontifex Maximus pensionem in annua summa scutorum 300. imposuit proventibus Mensæ Archiepiscopalis solvendam dictis Presbyteris Congregationis Missionis, ea tamen lege, ut si deinceps ii alios annuos proventus nacti fuissent, etiam cum Missarum onere, tunc pensio illa cessaret, servata proportionis norma.

At nuper nonnulli ex eo Oppido contradictores se præbuerunt, petentes rescindi fundationem duarum Cappellaniarum, quas, ut dictum est, sexennio ante Archiepiscopus attribuit Presbyteris Congregationis Missionis in Urbe Firmana degentibus. Putant enim fieri id ab Archiepiscopo non potuisse, propterea quod repugnet voluntati Testatoris, qui eo animo fuisse videtur, ut redditus suæ hæreditatis

cederent commodo Civium Montis S. Martini, ibique pias in caufas erogarentur. Contendunt quoque uon licuiffe conftituere novis duabus Cappellaniis dotem in annuis fcutis fexaginta, cum Teftator ipfe julium unum pro fingulis Miffis dari juffiffet Sacerdotibus mille Miffas quotannis celebraturis.

Archiepifcopus vero rem a fe geftam jure optimo niti exiftimat. Inquit enim Teftatorem ipfum optaffe, ut, auctis quandocumque fuæ hæreditatis redditibus, pia quidem opera augerentur, fed illud potiffimum Miffarum; itidemque Teftatorem ipfum declaraffe, ut fi in Oppido Montis S. Martini non effent Sacerdotes ad tot Miffas celebrandas fufficientes, alibi etiam, & ab exteris Sacerdotibus poffent celebrari, ideoque Cappellanias recenter additas fuiffe affignatas Presbyteris Congregationis Miffionis, quia ipfe Archiepifcopus perfpexerat Sacerdotes in Oppido Montis Sancti Martini exiftentes non tot effe, ut aliis etiam Miffarum oneribus poffent fatisfacere. Quo vero ad quantitatem dotis conftitutæ in annua fumma fcutorum 60. inquit fic in ea Regione effe ufitatum.

Subjungit infuper aucta quoque a fe fuiffe alia pia opera a Teftatore optata, nam, & pluribus adolefcentibus in litterarum ftudium incumbentibus alimenta, & pluribus Puellis fe Deo devoventibus dotem fubminiftrari curavit ex hæreditariis proventibus.

Denique ait, id, quod nunc impugnatur, jam fex ab hinc annis fuiffe confectum, & executioni demandatum, non folum nemine reclamante, fed etiam approbante, tum ipfa Familia Riccia, tum Adminiftratore Montis Charitatis, cui obvenit hæreditas Armindi.

Declarandum igitur ab Eminentiis Veftris erit.

I. *An fubftineatur Erectio Cappellaniarum facta anno* 1726. *a Reverendiffimo Archiepifcopo ex redditibus Montis Charitatis Armindi Ricci, earumque affignatio Patribus Miffionariis*. Et quatenus negative.

II. *An, & quomodo prædictus Mons fit a Reverendiffimo Archiepifcopo reintegrandus quoad tempus præteritum in cafu &c.*

Dilata, & ad mentem.

Seff. 25. c. 4. de ref.

ROMANA LEGATI. Scipio Muratorius anno 1630. hæredes in Teftamento fcripfit plura Collegia Societatis Jefu, & hoc adjecit legatum -- *lafcio alli RR. Padri della Chiefa Nuova in Vallicella fcudi mille moneta con pefo di celebrare in detta Chiefa in perpetuo due Meffe la Settimana da pagarfegli dalli miei eredi per una fol volta, fubito feguita la mia morte, per l' anima mia, e remiffione de miei peccati, con condizione però, che fe detti Padri non vorranno accettare con quefta condizione, in tal cafo voglio, e commando, che fubentri il Signor Don Domenico Benedetti de Sanctis da Tarano in Sabina con pefo di dire quattro Meffe la Settimana nel fuo Altare di S. Andrea.*

Cum Patres Congregationis Oratorii legatum repudiaffent, datus fuit locus fubftitutioni Sacerdotis Dominici de Benedictis, a quo ufque ad obitum, qui incidit in annum 1674. quatuor Miffæ unaquaque hebdomada celebratæ fuerunt, ut Teftator jufferat.

Quin-

Quinque ab hinc annis ii, in quos transierat hæreditas memorati Dominici de Benedictis, cum dubitarent, num onus quatuor Missarum singulis hebdomadis celebrandarum esset perpetuum, an vero ita esset affixum personæ ipsius Dominici, ut eo mortuo desiisset, petierunt quæstionem hanc dirimi ab hac Sacra Congr., quæ anno 1729. ea de re sententiam exquisivit claræ memoriæ Cardinalis Marefuschi, tunc in Urbe Vicarii. Hic autem perpensis conjecturis ex toto Testamento haustis censuit onus illud non esse perpetuum, sed Testatorem voluisse illud imponere dumtaxat Dominico de Benedictis. Nulla tamen declaratio hactenus edita fuit a Sacra Congregatione.

Ad rem hanc prætерea, quæ habentur in Responso Cardinalis Marefuschi, considerandæ videntur binæ resolutiones olim editæ a Sacra Congr.. Altera, *in Senogallien. Legati*, ubi cum Testator ita cavisset -- *Jussit, ut sui infrascripti hæredes curent quolibet anno in perpetuum celebrari facere Officium anniversarium in die suæ depositionis viginti Missarum in Ecclesia Cathedrali, ubi erit humatum ejus corpus, aut ubi dicti hæredes voluerint* -- die 23. Junii 1708. judicatum fuit onus esse perpetuum, nec desiisse ob mortem hæredum in Testamento scriptorum, ut *in lib.*58. *Decret. pag.*224. Altera est *in Cæsenaten. Legati Pii*, in cujus specie Testator injunxerat hæredi onus *di far celebrare Messe cinquanta ongn' anno nella Chiesa de Reverendi Padri di Sant' Agostino, & anco di dare ogn' anno alla Compagnia di S. Giuseppe di Cesena dodici Candelotti di cera bianca d' una libra l' uno, fino a tanto che camperà, e viverà detta Signora Giovanna sua erede, gravandola adesso per allora a confermare nella sua ultima volontà il sudetto legato, e lasciare, che gl' eredi di detta Signora Giovanna siano obligati a fare celebrare le dette Messe cinquanta ogn' anno nella Chiesa di S. Agostino, e di dare ogn' anno alla detta Compagnia di San Giuseppe li dodici Candelotti di cera nel modo detto di sopra, fino a tanto che gl' eredi di detta Signora Giovanna camperanno, e viveranno* -- Cumque post mortem primorum hæredum, quos dicta Joanna hæredes instituerat in suo Testamento, nulla tamen ibi facta mentione de eo onere, controverteretur, an subeundum illud esset deinceps quoque semper ab aliis, qui in hæreditatem essent successuri, Sacra Congregatio die 16; Martii 1715. respondit onus esse perpetuum, ut *in lib.*65. *Decret. pag.*113.

Sed, & aliud factum est exponendum. Bartholomæus de Benedictis ejusdem Dominici hæres anno 1674 in supplici libello, quem obtulit P. Olivæ tunc Præposito Generali Societatis Jesu, significavit, se ad grati animi testificationem erga Scipionem Muratorium constituisse perpetuum reddere onus dictarum Missarum quousque non contingeret extingui Familiam suam de Benedictis, ideoque eum rogavit, ut summa scutorum mille, quæ legata fuerat, semper maneret penes Collegia, a quibus annui fructus essent persolvendi, ut eo usque diligenter factum fuerat. Annuit Præpositus Generalis, & Chirographum juxta postulata subscripsit.

Postmodum Procurator Generalis ejusdem Societatis Jesu per plures annos solvere perrexit annua scuta quinquaginta, sed anno 1727. lite coram A. C. intentata petiit reduci annuam præstationem ad normam

mam ejus quantitatis, quam reddere in annuo fructu solent, aut loca montium, aut census cum locis piis initi. At per sententiam definitum fuit solvenda etiam deinceps esse eadem annua scuta quinquaginta absque ulla moderatione. Appellatione tamen interposita ad Sacram Rotam prodiit die 18. Februarii 1729. decisio coram R.P.D. Crescentio, in qua determinatum fuit, locum esse reductioni fructuum a die obitus Joannis de Benedictis, qui erat filius dicti Bartholomæi, ob eam potissimum rationem, quod in libris dati, & accepti eodem anno 1674. ita scriptum fuerat -- *In voce si e permesso al detto Signor Bartolomeo di seguitare a pagare scudi cinquanta l' anno, come si e fatto fin' ora durante la sua vita, e del suo Figlio, e dopo la morte di essi si debba solo pagare il frutto di scudi mille, secondo che renderanno in quel tempo li luoghi di monti, e censi.*

Placuit deinde Procuratori Generali potius solvere totam summam legati in scutis mille, quæ deposita fuerunt in Sacra Æde Pietatis, ut converti possent in emptionem locorum montium. Idque etiam approbatum fuit a Sacra Rota, quæ die 2. Decembris 1729. ita rescripsit -- *Mens est, quod pecunia deponatur, & investiatur in tot locis montium cum vinculis, & conditionibus contentis in Testamento Scipionis Muratorii, & obligatione P. Olivæ* -- deindeque die 9. Januarii 1730 -- respondit -- *In decisis, deletis vinculis contentis in obligatione P. Olivæ* -- scilicet quia eis non erat ultra locus post solutam summam scutorum mille.

Rebus ita se habentibus, filii, simulque hæredes memorati Josephi de Benedictis declarari postulant a Sacra Congr, se omnino liberos esse ab onere celebrationis quatuor Missarum qualibet hebdomada. Cumque circa has novas preces, (quibus nemo est qui se contradictorem præbeat) rogatus fuerit hodiernus Eminentissimus Vicarius exponere quid sentiret, responsum ab eo est, onus quidem illud, inspecto Testamento Scipionis Muratorii, non videri injunctum aliis, quam soli Dominico de Benedictis; sed tamen servandam esse voluntatem Bartholomæi, qui (ut dictum est) in precibus porrectis P. Olivæ Præposito Generali obnoxios fecit huic oneri omnes descendentes ex Familia de Benedictis. Quamquam vero Sacra Rota censuerit non teneri Collegia Societatis Jesu ad solvenda perenniter annua scuta quinquaginta, & capitalem summam scutorum mille collocari posse in locis montium, subjicit tamen idem Eminentissimus Vicarius voluntatem dicti Bartholomæi illæsam manere, in eo, quod pertinet ad perpetuum onus Missarum quatuor qualibet hebdomada, proindeque ei esse satisfaciendum ex fructibus, qui ex locis montium emendis percipientur.

Pertinet itaque ad Eminentias Vestras decernere.

I. *An ex vi Testamenti Scipionis Muratorii onus quatuor Missarum qualibet hebdomada afficiat solum Dominicum de Benedictis absque ullo progressu ad ulteriores hæredes*, Et quatenus affirmative.

II. *An prædictum onus adimpleri nihilominus debeat ex vi dispositionis Bartholomæi de Benedictis*.

Ad primum onus quatuor Missarum esse perpetuum, & amplius. Ad secundum provisum in primo.

ASCU-

Sess. 15. c. 4. de re

ASCULANA LEGATI PII. In Testamento sub annum 1679. condito Joannes Baptista de Grassis jussit hæreditatem suam in tres partes dividi, annuosque redditus cujusque portionis assignari cuique trium Clericorum, vel Presbyterorum, hac adjecta lege -- *con obligo espresso, che siano tenuti, ed obligati stare assieme, e vivere con li Preti dell' Oratorio di S. Filippo d' Ascoli &c. con peso a ciascheduno di detti Chierici, e Preti Sacerdoti di celebrare, o far celebrare sei Messe la settimana per l' anima mia, e de miei defonti nella Cappella da me lasciata, compita che sarà.*

Unum ex tribus Clericis, vel Presbyteris eligi arbitratu suo posse permisit ab ipsis Patribus Congregationis Oratorii; in aliorum vero duorum electione præferri optavit eos, qui Familiam suam cognatione attingerent, modo essent idonei, his quoque subjectis verbis -- *li sopradetti altri due Preti, o Chierici voglio, che siano li più prossimi, e discendenti, e di maggior età di linea feminina di detto Zio Francesco Grassi, e suoi successori, quali non volendo, o non potendo esser Preti come sopra dell' Oratorio, voglio, che gl' altri più prossimi, o pure di maggior età siano sostituiti, e surrogati in loro luogo.*

Circa eosdem binos Clericos, vel Presbyteros ita etiam cavit -- *in caso, che detti Preti dell' Oratorio non si contentassero ricevergli nel loro Oratorio, e farli convivere come sopra, o pure per qualsivoglia tempo fossero licentiati, in tal caso uno, o ambedue delli detti eletti, che non fosse riceuto, o pure licentiato, mi contento, che possa andare in qualsivoglia altro luogo dello Stato Ecclesiastico, purchè stia, o stiano, e conviva, o convivano nella Congregazione con li Padri di detto Oratorio con l' istesso peso di celebrare, o fare celebrare le sei Messe la settimana per ciascheduno in quel luogo, o Chiesa delli Padri dell' Oratorio, dove risiederà, o risiederanno, in quella Cappella, che a lui parerà, o a loro; ma licentiandosi, e partendosi da detta Congr. d' Ascoli di sua, e loro spontanea volontà, e contro la volontà di detti Padri, in tal caso voglio, che quello perda detto usufrutto, e che in suo luogo sia sostituito un altro pure coll' istessi pesi, e condizioni di sei Messe la settimana in perpetuo.*

Anno 1714. unum ex his lociscum proventibus tertiæ partis bonorum hæreditariorum obtinuit Sacerdos Carolus Blanchinus, qui per fœminam trahit originem a Familia Grassia. & in Congregatione Oratorii permansit annis quatuordecim; sed deinde dimissus ab ea fuit ob mentis infirmitatem, quæ eum reddebat minus idoneum muniis ejusdem Instituti, præterquam faciendo Missæ Sacrificio, Ipse paternam reversus domum anno 1729. eamdem deinceps retinuit vestem, qua Patres Congregationis Oratorii uti solent, frequentans etiam magna cum laude pietatis eorum Ecclesiam, ibidemque quotidie divinam immolans victimam, ut plures Testes de scripto affirmant.

Paulo post dimissionem memorati Caroli cooptatus in eamdem Congr. fuit Emigdius ejus Frater, qui itidem obtinuit aliam tunc vacantem tertiam partem fructuum hæreditariorum. Et quoniam ille nondum est Sacerdos, propterea dictus Carolus satisfecit oneri septem Missarum qualibet hebdomada, tum pro seipso, tum etiam pro Emigdio Fratre juxta testimonium a Præfecto Ecclesiæ editum. Asseritur quip-

pe

pe numerum Miſſarum, quem Teſtator præſcripſerat, fuiſſe reductum ad quatuordecim ſingulis menſibus celebrandas ab unoquoque participante hæreditarios proventus.

Anno 1731. memoratus Carolus per ſupplicem libellum, qui fuit ad Sacram Congr. remiſſus, petiit a Sanctiſſimo Domino Noſtro declarari, quod ſibi liceat, quamvis vitam degat extra Congr. Oratorii, retinere uſumfructum tertiæ partis dictæ hæreditatis.

Ut enim exponebat, non ejus culpæ tribuendum eſt, quod in ſuſcepto apud Patres Oratorii domicilio non perſeveret, cum Præpoſitus, aliique ejuſdem Inſtituti Sodales teſtificati fuerint, ipſum Carolum non aliam ob cauſam, quam ægritudinis mentis, fuiſſe a contubernio dimiſſum, & hæc cauſa obſtruat etiam ei aditum ad aliam quamcumque ejuſdem Congregationis Domum. Quamobrem cum per ipſum non ſteterit, quo minus etiam deinceps Teſtatoris voluntati paruerit, putat irrogandum ſibi non eſſe pœnam privationis, quam (in diſpoſitione præſertim modali potius, quam conditionali) ſubeundam eſſe ab eo, qui omnis culpæ ſit expers, nulla æquitatis ratio patitur. Nunc enim quæſtio in eo vertitur, non an Carolus ſit admittendus ad legati emolumentum, cum præſcriptam conditionem ſervare nequeat; ſed an ſit ei adimendum, poſtquam illud rite obtinuit, & legem a Teſtatore indictam, quamdiu integra valetudine licuit, laudabiliter implevit. Favere demum quoque eidem Carolo ad conjiciendam Teſtatoris mentem videntur ea verba, quæ amiſſionem jam parti uſusfructus referunt ad eventum illum -- *licenziandoſi da detta Congregazione d' Aſcoli di ſua ſpontanea volontà, e contro la volontà di detti Padri*.

Epiſcopus Sacram Congr. inſtructam reddere juſſus reſpondit petitionem Caroli Bianchini impugnari a Carolo Giberto Ciuccio, & a Philippo de Annibalis, qui pariter ſunt de linea fœminina Franciſci Teſtatoris. Alter enim habet Filium annos natum ſexdecim, & alteri eſt Filius annos habens duodeviginti. Itaque ambo ſperant quam primum ſuos filios poſſe ad Congr. Oratorii aggregari cum commodo proventuum, de quibus agitur. Addit quoque Epiſcopus annuos fructus ſpectantes ad eam portionem, quæ anno 1714. aſſignata fuerat dicto Carolo Blanchino, poſt illius dimiſſionem a Congr. Oratorii depoſitos fuiſſe penes Patres ejuſdem Congregationis, ſoluta interim ipſi Carolo ſolum eleemoſyna ordinaria pro Miſſis, quas deinde celebravit; id quod confirmat teſtimonium Miniſtri ejuſdem Congregationis.

Contradictores autem illud potiſſimum objiciunt, quod in conditionibus, quæ a Teſtatore enjiciuntur legatis, merum factum attenditur, juxta *Text. in leg. Qui hæredi, & leg. Mævius ff. de condit, & demonſtrat.* proindeque nihil intereſt, an conditio deficiat caſu, vel culpa; potiſſimum cum Teſtator ſubſtituerit alios Cognatos, tam ſi proximiores nollent, quam ſi non poſſent nomen dare Congregationi Oratorii.

Dignentur itaque Eminentiæ Veſtræ definire.

An Sacerdos Carolus Blanchinus frui poſſit tertia parte dictæ hæreditatis, etiamſi non convivat cum Patribus Congregationis Oratorii in caſu &c.

Non propoſita cum ſequentibus.

ALE-

ALEXANEN. SERVITII ECCLESIÆ. In populoso Oppido Tricasio est Ecclesia Parochialis, & juxta morem Ecclesiarum Regni Neapolitani receptitia, cui quotidie in divinis Officiis serviunt, præter Archipresbyterum, novem alii Sacerdotes, qui appellantur participantes; solent enim singuli annuos ducatos quinque, & triginta circiter ex communibus proventibus percipere. *Seß.23.c.13. & 6. de ref.*

In Synodo habita anno 1673. sancivit Episcopus Missæ Conventuali interesse debere omnibus diebus festis quoscumque Sacerdotes, & Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, etiam non participantes. Sed hæc Sac. Congregatio die 18. Novembris 1673. rescripsit *Decretum Synodale esse servandum quoad participantes, sub pœna amissionis distributionum; reliquos vero juxta declarationes aliàs editas hortandos esse, sed non posse cogi, nisi concurrat consuetudo*, ut in *lib.*28. *Decr. pag.*191.

Cumque anno 1711. Episcopus in Visitatione mandasset præstari servitium Ecclesiæ etiam a non participantibus juxta memoratam Constitutionem Synodalem, Sac. Cong. Episcoporum, & Regularium negotiis præposita, coram qua Clerus tunc reclamavit, die 26. Junii ejusdem anni respondit servandum esse Decretum hujus S. Congregationis, idque confirmavit etiam anno 1720.

At sub annum 1724. cum Episcopus in Visitatione SS. Liminum retulisset statum suæ Ecclesiæ, ut in Constitutione Xisti V. præscribitur, hæc Sac. Congregatio rescripsit eidem Episcopo velle se novo suo judicio subjicere decretum illud de hortandis, non autem cogendis iis, qui sacræ militiæ nomen dederunt, ut Ecclesiis serviant, ne quid detrimenti inde caperet clericalis disciplina.

Cum autem deinde habitum fuerit a S. M. Benedicto XIII. Concilium Romanum, in quo sub *Tit.*6. *Cap.*2. ita cautum fuit -- *Si qui Clerici sint, etiam minoribus, aut Sacris Ordinibus insigniti, qui nulli certæ Ecclesiæ fuerint adscripti, Episcopi adscriptionem hujusmodi, etiam a suis Prædecessoribus omissam suppleant, & pro arbitrio servitium, toties, quoties opus fuerit, præstandum designent &c. Ita autem adscripti, et si Clerici sint, etiam conjugati, aut beneficia, vel officia Ecclesiastica non obtineant, ab Ecclesiæ servitio, cui fuerint deputati, festis diebus singulis, præsertim solemnioribus, ne absint, propria ibi munia obituri, aliàs ad altiores gradus promovendi non promoveantur, & jam promoti Episcoporum arbitrio pro inobedientiæ gravitate mulctentur*. Episcopus per Edictum jussit Clericos omnes, atque etiam Sacris Ordinibus initiatos, utpote adscriptos servitio Ecclesiæ Parochialis, cunctis diebus festis eidem Ecclesiæ inservire, & functiones susceptorum Ordinum exercere.

Huic decreto acquiescentibus Ecclesiasticis aliorum tresdecim Oppidorum Diœcesis Alexanen. solus contradixit Clerus Tricasii; ideoque obtinuit jamdiu subscribi Dubia, quæ nunc decidenda proponuntur.

Episcopus in litteris ad hanc Sac. Congr. datis exposuit se hoc spectasse, ut a Clericis id servetur, quod tum a Tridentinis Patribus in *Cap.*6., & 16. *Seß.*23. *de Ref.* tum etiam a Benedicto XIII. Pontifice imperatum fuit. Subjunxit etiam, quod diebus festis, ac præsertim solemnioribus, occupato Parocho Sacramentis administrandis, itidemque Confessiones tunc excipientibus aliis Sacerdotibus participantibus, carerent Ministris Divina Officia in Choro, si iis non interesse liberum esset cæteris Eccle-

siasticis, qui sola hortatione non satis moveri solent ad servitium Parochiali Ecclesiæ præstandum, ubi noverint se ad id minime teneri. Denique significavit, Sacerdotes, qui sunt extra numerum participantium, aliquid nihilominus commodi ex ea Ecclesia percipere, ac potissimum participando emolumenta funeraria, necnon assequendo eleemosynas pro Missis celebrandis.

Definiendum itaque erit.

I. *An sit standum, vel recedendum a Decisis die* 18. *Novembris* 1673. *quoad Presbyteros, & alios Clericos extra numerum participantium.* Et quatenus sit recedendum.

II. *An iidem Presbyteri, & alii extra numerum participantium admittendi sint ad participationem redditituum Ecclesiæ pro rata servitii eidem præstiti, seu præstandi juxta præscriptum ab Episcopo, vel quomodo.*

III. *An servitium omittentes mulctandi sint pœna duorum Carolenorum, vel potius amissione participationis pro rata omissi servitii, vel quomodo in casu &c.*

Sess. 21. c. 4. & 5. de ref.

RIPANA PRÆPOSITURÆ. Status hujus Causæ jam relatus fuit in folio Congr. habitæ die 22. Septembris 1731. Cumque deinde, scilicet die 17. Novembris ejusdem anni, suspensa determinatione, mandatum fuerit firmari statum annuorum proventuum Præposituræ, datæ propterea fuerunt ad Archiepiscopum litteræ, quibus ille rescripsit transmissis novis actis ad eam rem s ectantibus.

Peritus, quem elegit Capitulum, retulit annuos Præposituræ redditus attingere summam scutorum 252. At alter Peritus, quem nominavit Marcellus Vivianus contradictor, censuit eos non excedere summam scutorum 143. Tertius denique Peritus, quem ob aliorum discordiam deputavit Archiepiscopus, affirmavit proventus ascendere ad annua scuta 178. non comprehensis tamen iis minus certis emolumentis, quæ appellari solent jura stolæ.

Idem Archiepiscopus judicium hujus tertii Periti consentaneum veritati existimat, & subjungit, quod cum Parochiani a Præposito regendi partim in ipso Oppido, partim in Agro late patente, sint 1316. plurimum expediret detrahi de Præposituræ redditibus quartam partem, eamque assignari in dotem novi Canonicatus instituendi cum onere adjuvandi Præpositum in Cura Animarum, præter Cappellanum amovibilem, quo uti solet in eodem officio Præpositus.

Dignentur itaque EE. VV. rescribere.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Die

Die Sabbathi 24. Januarii 1733.



N Folio Congregationis habitæ die 10. vertentis Mensis descriptæ fuerunt quatuor, quæ sequuntur Causæ, & quarum discussio hodie erit facienda.

LUNEN. SARZANEN. DISMEMBRATIONIS PAROCHIÆ. *Sess. 21. c. 4. de ref.*
An sit standum, vel recedendum a Decisis die 27. *Septembris* 1732.

In Decisis juxta modum: Modus autem est, quod Vicarius perpetuus eligatur per concursum, & quod Episcopus assignet eidem Vicario emolumenta, quæ dicuntur stolæ reservatis reliquis redditibus Parocho Curvarolæ, & amplius.

ASCULANA LEGATI PII. *Sess. 25. c. 4. de ref.*
An Sacerdos Carolus Blanchinus frui possit tertia parte hæreditatis, de qua agitur, etiamsi non convivat cum Patribus Congregationis Oratorii in casu &c.

Constito coram Episcopo de infirmitate Caroli affirmativè durante eadem causa infirmitatis, & amplius.

RIPANA PRÆPOSITURÆ. *Sess. 21. c. 4. & 5. de ref.*
An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Servetur Decretum anni 1647. & ex medietate fructuum certorum Præpositura reintegretur erectio duorum Canonicatuum cum onere coadjuvandi Præpositum in Cura Animarum prævio examine coram Episcopo.

ALEXANEN. SERVITII ECCLESIÆ. Ad quæstionem, quæ habetur in hac Causa, pertinent plura Decreta, tam hujus Sac. Congr. quam alterius Episcoporum, & Regularium negotiis præpositæ, quæ referuntur a *Monacell. Formul. leg. to.* 1. *tit.* 1. *n.* 32. *& seqq. & tom.* 2. *tit.* 15. *formul.* 4. *a n.* 4. *ad* 7. *Sess. 23. c. 6. & 16. de ref.*

Potissimum vero *in Auximana servitii Chori*, cum Sacerdotes non participantes Cathedralis Ecclesiæ proventus, & nullum possidentes Beneficium, contenderent se non posse per pecuniariam mulctam compelli ad assistendum quotidie Missis, & Vesperis in eadem Ecclesia, propositis die 26. Novembris 1701. his Dubiis. *I. An simplices Sacerdotes*

non habentes Beneficium curatum cogi possint ad inserviendum Ecclesiæ Cathedrali. Et quatenus negative. *II. An teneantur saltem inservire in munere Diaconi, & Subdiaconi in Missis cantatis* --, hæc Sac. Congregatio respondit -, Ad I. *Negative*. Ad II. *Dandas esse litteras remissoriales ad probandam consuetudinem* -- ut in *lib.*51.*Decret.pag.*5 9. Cumque illud secundum Dubium deinde propositum fuisset die 19. Augusti 1702.rescriptum fuit -- *Negative* -- ut in *lib.*52. *Decret. pag.*3 1.

In *Signina servitii Ecclesiæ* discussum fuit Dubium iisdem verbis conceptum, quibus primum ex supra relatis, *& die* 15. *Decembris* 1703. responsum pariter fuit -- *Negative*, ut in *lib.*53. *Decret. pag.*540.

At in *Trojana die* 20. *Septembris* 1704.disceptato hoc Dubio -- *An simplices Sacerdotes nullum habentes Beneficium in Cathedrali Ecclesia Trojana, nullumque ex ipsa retrahentes emolumentum, teneantur assistere servitio dictæ Ecclesiæ singulis diebus de præcepto* -- prodiit rescriptum -- *Affirmative*. Ut enim in Folio exponebatur, de consuetudine doctum fuerat ex actis Visitationum, ex Constitutionibus Synodalibus, & ex ipsorum Sacerdotum confessione, ut *in lib.*54. *Decret. pag.*380.

Denique in *Bellicastren servitii die* 21. *Augusti* 1706. discussis iterum Dubiis jam decisis anno 1670.videlicet *I. An Sacerdotes simplices teneantur inservire Ecclesiæ Cathedrali omnibus diebus festis* -- *II. An iidem Sacerdotes teneantur inservire in officio Diaconi, & Subdiaconi*, hæc Sacra Congr. declaravit -- Ad I. *posse cogi juxta formam consuetudinis, & iuxta Constitutiones Synodales*. Ad II. *Negative, ut in l.*56. *Decret. pag.*283.

Cæterum videtur considerandum, an distingui oporteat inter Sacerdotes, & alios, vel in minoribus Ordinibus, vel in Subdiaconatu, & Diaconatu tantum constitutos. Cum enim Sac. Concilium Tridentinum *Cap.* 16. *sess.* 23. *de Ref.* statuet nullum esse ordinandum, qui Ecclesiæ illi, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non ascribatur, ubi suis fungatur muneribus; propterea in iis, qui nondum Presbyterali Ordine initiati sint, peculiarem vigere rationem ad inserviendum Ecclesiæ, cui sint ascripti, notat *Pignattell. consult.*156. *n.*14., *& seqq. tom.*3.

Non alienum insuper a presenti controversia est id, quod habetur in Constitutione, quam Sa. Me. Innocentius XIII. edidit pro Hispanis Regnis §.7. ibi -- *Sed & cum Personæ Ecclesiasticæ nunquam satis in obsequiis supremo Numini exhibendis, iisque præstandis, quæ eorum statui consentanea sunt, exerceri valeant; plurimum in Domino commendamus pium morem in plerisque Hispaniarum Diœcesibus vigentem, ut Clerici, tam in minoribus, quam in majoribus Ordinibus constituti, atque etiam Presbyteri tametsi Beneficia, vel Officia Ecclesiastica non habentes, superpelliceo induti in Ecclesiis, quibus adscripti fuerint, Missæ Conventuali cum Cantu celebratæ, necnon primis, & secundis Vesperis Officii, diebus Dominicis, aliisque festis assistant. Quinimo enixe hortamur, ut Episcopi aliarum Diœcesum, in quibus mos ille institutus hactenus non fuerit, id in posterum servari curent in omnibus.*

Postremo videtur observandum, quod Decretum ab Episcopo Alexanen. latum anno 1726. expresse mentionem non facit de Presbyteris, sed est conceptum ad normam Concilii Romani *Tit.*6.*cap.*2. Nec in eo Decreto legitur expressa pœna duorum Carolenorum, de qua agitur in tertio Dubio, quod cum reliquis duobus fuit subscriptum anno 1727., tametsi

Pres-

Presbyteri reclamantes afferant fe ea pœna mulctatos re ipfa fuiffe. In facto etiam accedit, quod novem illi Presbyteri, qui appellantur participantes, quique fubeunt onus quotidiani fervitii, percipere finguli folent annuos ducatos triginta quinque ex communibus proventibus Ecclefiæ; quoties vero vacat aliquis locus ex eo numero, fuccedunt alii adfcripti eidem Ecclefiæ, fervato ordine majoris antiquitatis.

Perpenfis igitur, tum his, tum, & aliis in Folio fuperioris Congr. expofitis, dignentur EE. VV. definire.

I. *An fit ftandum, vel recedendum a Decifis die* 18. *Novembris* 1673. *quoad Presbyteros, & alios Clericos extra numerum participantium.* Et quatenus fit recedendum.

II. *An iidem Presbyteri, & alii extra numerum participantium admittendi fint ad participationem reddituum Ecclefiæ pro rata fervitii eidem præftiti, feu præftandi juxta præfcriptum ab Epifcopo, vel quomodo.*

III. *An fervitium omittentes mulctandi fint pœna duorum Carolenorum, vel potius amiffione participationis pro rata omiffi fervitii, vel quomodo in cafu &c.*

Ad I. Servetur Decretum Epifcopi editum anno 1726. Ad II. Negative. Ad III. Provifum in primo, & ad mentem.

AMERICANA VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. In Regno Cilenfi eft Civitas Catholici Hifpaniarum Regis imperio fubjecta, cui nomen fecit Immaculata Beatiffimæ Virginis Conceptio, Cathedralis illius Ecclefiæ Epifcopus Sac. Apoftolorum Limina per Procuratorem vifitaturus, in litteris, quas ad SS. D. N. dedit, ut Ecclefiæ ftatum referret, hæc fcripfit -- *Intra extenfos limites hujus Diœcefis continetur Provincia, quæ vocatur de Chiloe, ex variis Infulis compofita, cujus Incolæ funt Indi naturales Catholici, & inter Barbaros hujus Regni mitiores, & ad Religionem, & Chriftianam Doctrinam propenfi. Hæc remotiffima Provincia diftat a Sede Epifcopali fere trecentis leucis itineris, per terram impenetrabilis, & Baraarorum infidiis undequaque expofiti. Per mare navigatione periculofiffima, & horrenda ire neceffum eft. Quare fere numquam licet Epifcopis vifitationem hujus Provinciæ perfonaliter arripere, imo nec Vifitatorem mittere, quando oportet, fed tantum quando licet. Adeo difficilis eft Epifcopis aditus ad hanc Provinciam vifitandam, ut inter omnes hujus Ecclefiæ Præfules unum tantum Didacum Montero ad illam perveniffe in memoria eft, qui periculis captivitatis, & fragofitate itineris fractus, ad Sedem fuam, & quafi inhabilis ad regimen fe recepit. Hac infuperabili difficultate fuppofita, Animas illius Provinciæ Sacramento Confirmationis carere neceffe eft, & de facto carent. Ut ergo tantæ neceffitati, fi Veftræ Beatitudini de remedio providere placeret, poterat ad facultates Epifcopis Indiarum regulariter a Sancta Sede conceffas, pro Epifcopo Conceptionis de Chiloe, facultatem addere nominandi, & delegandi miniftrum Sacramenti Confirmationis pro tota illa Provincia de Chiloe, & præfidio Valdiviæ illi vicino, Patrem Rectorem (pro tempore) Collegii Societatis Jefu Civitatis de Caftro Capitalis illius Provinciæ, qui Oleo ab Epifcopo confecrato, omnes Chriftifideles ibi degentes confirmare valeat.* Seff. 7. can. 3. de Sacr. Confirmat.

Cum

Cum itaque Sanctitas Sua dignata fuerit hac de re Sac. Congr. consulere visum est operæ pretium aliqua ad rem, de qua agitur, breviter annotari.

Porro certum est Ordinarium Ministrum Sacramenti Confirmationis esse solum Episcopum, ut habetur in Sac. Conc. Trid. *sess.7. de Confirm. Can.3*, his verbis .- *Si quis dixerit Sanctæ Confirmationis Ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemlibet simplicem Sacerdotem, anathema sit* -- Narrat autem Card. Pallavicinus in Historia ejusdem Concilii *lib.9. cap.7. num.10. & seq-* Patres consulto adjecisse vocem illam -- *Ordinarium* --, ut intelligeretur posse Summum Pontificem committere etiam simplici Sacerdoti facultatem conferendi Sacram Confirmationem.

Et sane communis est sententia, quod extraordinarius hujus Sacramenti Minister fieri a Summo Pontifice valeat etiam Sacerdos, qui careat Episcopalis Ordinis potestate, ut videre est penes *S. Thomam par.3. quæst.62. art.11. & in 4. sent. dist.7. Suarez tom.3. in 3. par. S. Thom. disput.36. sect.2. versic. dicendum vero, & primo Fagnan. in cap. Cum venisset. §. Per frontis num.3. & seqq. de Sacram. Unct. Fermosin. de Offic. & Sacr. Eccl. tom.2. de Sacram. Confirm. quæst.7. n.21. & seqq. Pignattell. Consult. Can.11. tom.5. Covarr. lib.1. var. cap.10. Card. de Lugo respons. moral. lib.1. dub.6. Card. Albit. de Inconst in fide c.30. n.355. Dian. in edit. coord. tom.3. tract.1. resol.11. num.6. Petr. Arcud. l.2. de Confirm. cap.15. La Croix lib 6. par.1. n.52., 385. cum sequen. Juvenin. de Sacram. tom.1. dissert.3. de Confirm. qu.5. cap.2. per tot.* ac præsertim *art.1. §.3. pag. mihi 166. Eminentissimus Petra to.4. ad Const.14. Innoc. IV. n.61. & seqq. & ad Const.2. Benedict. XI. n.6. & seqq.*

Conveniunt tamen omnes in hoc, ut ad hujusmodi extraordinariam facultatem simplici Sacerdoti concedendam requiratur causa gravis, atque urgens, quam tamen *Card. de Lugo loc. cit. n.4.* sic explicat -- *Causa requisita ad hanc concessionem non debet afferre secum necessitatem simpliciter, & absolute, cum hujus Sacramenti usus, & susceptio non sit de necessitate salutis, sed sufficit eis, quod talis concessio necessaria existimetur, ut Incolæ ejus Provinciæ, vel certe magna pars carere non debeat hoc Sacramento ex defectu Ministri, quæ causa sufficiens judicari solet a Sede Apostolica ad hunc effectum* - Id quod, & alii tradunt.

Multa itidem sese offerunt exempla hujusmodi concessionis, nam de S. Gregorio Magno testis est ejus Epistola ad Januarium Episcopum Calaritanum, cujus verba referuntur *in Can. Pervenit. dist.95.* ibi -- *Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere in fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus, & Nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed, si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant, concedimus.*

Hinc in Concilio Florentino Eugenius IV. in Decreto pro instructione Armenorum sic inquit -- *Legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem ex rationabili, & urgenti admodum causa simplicem Sacerdotem, Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

Fratribus Minoribus Franciscanæ Familiæ potestatem administrandi Sacramentum Confirmationis in Regionibus Orientalibus, & Septentrionalibus

nalibus, ubi desint Antistites, fuisse impertitos Joannem XXII. Nicolaum IV. aliosque Pontifices, constat ex diplomatibus relatis a *Wadingo in Annal. tom.*5. *ad ann.*1444. *n.*45. *& ad ann.*1447. *n.*16. *& tom.*8. *ad ann.*1521. *&* 1522. Alia etiam exempla recensent Auctores supra citati, ac potissimum de hoc Indulto concesso aliquibus Patribus Societatis Jesu in Brasilicis Provinciis ob Episcoporum penuriam, mentionem facit *Arcudius d. cap.*15.

Recentius quoque San. Mem. Clemens XI. anno 1721. paulo ante ejus obitum per Apostolicum Breve indulsit P. Custodi Terræ Sanctæ, ut Confirmationis Sacramentum posset administrare.

In hac vero Sac. Congr. pluries hac de re actum fuit. Narrat *Fagnan. in cap. Cum venissent* §. *Per frontis num.*1. *& seqq. de Sac. Unct.* Abbatem S. Facundi Ordinis S. Benedicti habentem Territorium separatum cum plena jurisdictione postulasse facultatem administrandi hoc Sacramentum sibi subjectis, propterea quod Episcopus minus ab Abbatia remotus, triginta tamen, & amplius milliaribus distabat, nec facile etiam poterat accersiri Episcopus aliquis Titularis. Sed quid Sacra Congr. decreverit, non constat.

Archiepiscopus Tarraconensis olim significavit intra Diœcesim suam esse Insulam Zunisam in mari mediteraneo prope Algerium, nec eam fuisse umquam a se, aut a Prædecessoribus suis visitatam ob magnum, quod a Pyratis imminebat periculum, itemque Incolas ejus Insulæ per quadraginta, & amplius annos hoo Sacramento munitos non fuisse. Itaque petebat conferri facultatem ejus ibidem administrandi Sacerdoti Præposito eidem Insulæ. Sed die 25. Januarii 1659. Sac. Congr. censuit petitioni non annuendum, ut in *l.*21. *Decret. pag.*512.

Antistites Ecclesiarum existentium in Insulis Philippinis exposuerunt, se ob amplitudinem Diœcesum, magnamque copiam gregis, cujus non exigua pars incolebat agros latissime patentes, non posse sacrosancto Chrismate confirmare eos, qui vitam ibi degebant; ideoque rogarunt sibi tribui potestatem id committendi Sacerdotibus, sive Sæcularibus, sive Regularibus. Sed die 28. Januarii 1668. a Sac. Congr. rescriptum fuit -- *Ex deductis non constare de causis concedendi petitum indultum*, ut in *l.*26. *Decret. pag.*528.

At cum Episcopus Canarien. rogasset facultatem administrandi hoc Sacramentum impertiri tribus Provincialibus Ordinum Regularium, S. Dominici, S. Francisci, & S. Augustini, necnon ejus Vicario Generali, die 30. Maji 1676. responsum fuit -- *Ad Sac. Congr. S. Officii* -- ut in *l.*29. *Decret. pag.*235.

Denique anno 1722. PP. Societatis Jesu Missionarii Apostolici in Americana Provincia Sancti Jacobi preces porrexerunt Innocentio XIII., ut facultatem impetrarent confirmandi Catholicos ibi commorantes, quos magna Episcoporum distantia destitutos plerumque reddebat hujus Sacramenti præsidio; in centum quippe annorum intervallo unum tantum Episcopum eò adiisse memoriæ proditum erat, nec quidem sine ingenti vitæ discrimine. Hoc itaque negotio discusso die 13. Junii ejusdem anni 1722. Sac. Congr. respondit -- *Scribatur Episcopis juxta instructionem*, ut in *l.*72. *Decret. pag.*273. Non apparet tamen tales litteras deinde scriptas fuisse Episcopis; sed in alia Congr. habita die 4. Julii ejusdem anni ad similes preces Missionariorum Societatis Jesu in Insula, quæ appellatur California, existentium, prodiit rescriptum hoc -- *Scribatur*

Nun-

Nuntio Apostolico juxta instructionem, quæ potissimum in eo versatâ fuit, an multi Christiani morarentur in ea Insula, an soli PP. Societatis Jesu, vel alii etiam, aut Sæculares, aut Regulares Presbyteri officio Missionarii ibidem fungerentur, ac denique an sperari posset, quod aliquis Episcopus ad eam se conferret. Nec tamen alter Causæ progressus reperitur.

Deliberare itaque dignentur Eminentiæ Vestræ.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti in casu &c.

Dilata, & scribatur Nuncio Apostolico juxta instructionem.

Sess.25.c.19. de reg. CABILONEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Cum Anna Leclerc anni 1714. religiosæ vitæ institutum fuerit amplexa in Cabilonensi Monasterio Ordinis Dominicani, petiit facultatem sibi tribui impugnandi validitatem suæ Professionis, ut fusius expositum fuit in folio Congregationis habitæ die 26. Aprilis superioris anni. At cum animadversum fuisset ipsam Annam jam inde a tribus annis e cœnobio egressam, deposita Religiosa veste, moram fecisse in Oppido Salins Comitatus Burgundi. Sac. Congregatio die 10. Maji ejusdem anni rescripsit -- *Resumpto habitu edeat ad claustra, & postea supplicet, & ad mentem* -- Quæ scilicet fuit, ut si Ordinarius novisset, eam vere, ut affirmabat, ægra valetudine impediri, quominus ad suum Monasterium reverti posset, ei permitteret habere domicilium in alio commodiori cœnobio, sui tamen Instituti veste retenta.

Jam vero rescripsit Ordinarius Cabilonensis se idcirco assignasse eidem Annæ Bisuntinum cœnobium sacrarum Virginum S. Bernardi, in quo clausura perfecte servatur. Nunc itaque ibi moratur Anna, resumpta veste Dominicanæ Familiæ.

Sed, & hoc in suis nuperis litteris addit Vicarius Generalis Episcopi Cabilonensis -- *novis subinde indiciis, ac probationibus, coram me factis, mihi maxime constat, ipsam ad emittendam Professionem fuisse coactam a Matre sua, quæ nuper id propria sponte, verbisque expressissimis iterum significavit, atque insuper coactam a Fratre suo, homine asperrimo ac violentissimo, ut ex tota ipsius agendi ratione, actionibusque atrocissimis, manifestum est omnibus. Ex quo etiam pariter videtur constare, eam non potuisse reclamare, quamdiu Mater ipsius, vivente nimirum Fratre, ad id non consensisset, cum re vera statim post mortem Fratris reclamaverit*. Quæ tamen sint ea nova documenta, nondum mihi compertum est.

Spectat igitur ad EE. VV. declarare.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Dilata, & Episcopus transmittat nova documenta.

Sess.21. c.6. de ref. MEDIOLANEN. CAPPELLANIARUM. Hercules Drallus in Testamento jussit summam librarum vigintiduarum millium imperialium, ad se spectantium jure maternæ dotis collocari in prædiis emendis, eorumque proventus assignari in dotem duarum Cappellaniarum, quas institui voluit in Ecclesia Collegiata Varesii, Cappellanis legem in-

indixit, ut omnibus Divinis Officiis intereſſe deberent inſtar Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ. Eorum vero cuique pro mercede reſidentiæ aſſignavit annuas libras biſcentum ex dictorum bonorum proventibus, quorum reliquum quidquid eſſet erogari mandavit in celebrationem Miſſarum peragendam ab eiſdem Cappellanis, canendo præſertim Miſſas Conventuales per totum annum, ſoluta eis eleemoſyna ſolidorum viginti pro unaquaque Miſſa.

Suborta deinde controverſia inter debitores maternæ dotis, & Herculem Mariam Drallum Juniorem, d. Teſtatoris hæredem, circa quantitatem ejuſdem dotis reſtituendæ, inita inter eos fuit Tranſactio, per quam conventum fuit ſolvendas eſſe dumtaxat libras quindecies mille.

Nuper vero idem Hercules Maria animadvertens fructus ex hac ſumma percipiendos multo tenujores fore, quam Teſtator crediderit, ſupplicavit SS. D. N., ut dictas binas Cappellanias reducere dignaretur, & commutare in unum ſimplex Beneficium de Jurepatronatus ſuæ Familiæ, abſque ullo onere reſidentiæ choralis, ſed tamen cum onere Miſſarum ad normam fructuum ex ea ſumma percipiendorum.

Hiſce precibus, quarumcognitio commiſſa fuit ſac. Congr., contradicit Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ. Inquit enim Teſtatoris vota primum, ac præcipue collimaſſe in fundationem Cappellaniarum, ut qui eas obtinerent, Divina Officia in Choro perſolverent cum Canonicis. Id autem, quod in annuo fructu reddituræ ſunt libræ quindecies mille, pluſquam ſatis eſt ad ſolvendum Cappellanis ſtipendium ab ipſoTeſtatore præſcriptum pro ſervitio Eccleſiæ præſtando, ut retulit etiam Eminentiſſimus Archiepiſcopus, qui idcirco exiſtimat ſervari debere Teſtatoris voluntatem in erigendis dictis binis Cappellaniis, ad augendum etiam Divinum Cultum in ea Eccleſia.

Quamvis autem parum ex annuis proventibus ſuperfuturum ſit pro Miſſis celebrandis, ſubjungit Capitulum, impedimento id eſſe non debere erectioni Cappellaniarum, quia ſervitium Eccleſiæ obeundum a Cappellanis ſejungi facile poteſt ab onere Miſſarum, & primo illæſo, diminui valet ſecundum juxta vires reliquorum fructuum, quos ſolum (ſcilicet ſi qui eſſent, & quanticumque eſſent) impendi iuſſit Teſtator in celebrationem Miſſarum, nullo certo earum numero præfinito. Sic enim inquit -- *Ai Cappellani per mercede della loro reſidenza voglio, che ſi paghino ogn' anno lire ducentoimperiali per cadauno di loro delli frutti, o affitti, che ſi riceveranno annualmente dal ſudetto mio capitale dotale, o vero dalli beni, nelli quali reſterà quello impiegato dopo la morte del detto Signor Capitano Viſconti, ed il rimanente delli frutti, o affitti, che ſi ricaveranno dal detto capitale, o beni, voglio, che ſi convertiſcano ogn' anno in far celebrare dalli detti due Cappellani Corali tante Meſſe nella detta Chieſa Collegiata di S. Vittore di Vareſe conforme la mia intenzione.*

Præterea Teſtatorem eo animo fuiſſe, ut quidquid detrimenti contingeret in annuis fructibus officere non deberet mercedi Cappellanis aſſignatæ pro reſidentia Chorali, confirmare videtur alter Teſtamenti locus, cujus verba hæc ſunt -- *E quando dal detto mio capitale dotale, o vero dalli beni, ne quali ſarà impiegato, non ſi cavaſſero frutti ſufficienti per pagare la detta Meſſa Conventuale di tutto l' anno, oltre le dette lire ducento imperiali per ciaſcheduno delli detti Cappellani, in tal caſo ſarà tenuto detto Capitolo ſupplire del ſuo a quella elemoſina, che mancherà*

per compire detta Messa Conventuale, o vero supplire essi Sig. Canonici per le Messe, che mancheranno.

Huic autem conditioni satisfacere non repugnat Capitulum, ut idem Eminentissimus Archiepiscopus in suis litteris significavit.

Deliberandum itaque erit.

An sit locus petitæ reductioni, & commutationi Cappellaniarum in unum simplex Beneficium in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 22. c. 6. de ref.

NEAPOLITANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Horontius Sebastiani Testamentum fecit anno 1710., cumque inhabitaret eo tempore domum sitam in Paræcia S. Annæ de Palatio, jussit dari sibi sepulturam in eadem Ecclesia S. Annæ, & in Sacello dicato S. Michaeli Arcangelo, aut in alio ejusdem Templi loco, peculiari tamen structo tumulo, positoque marmoreo monumento. Annuum quoque proventum ducatorum quinquaginta legavit Cappellano ab hæredibus eligendo, & rem Divinam quotidie in perpetuum facturo in eodem Parochiali Templo S. Annæ, exempto tamen ab hac lege Francisco Cappello, quem primum Cappellanum Testator ipse designavit, & cui permisit, ubi liberet, Missam celebrare.

Post hæc ad aliam Parochiam transtulit domicilium, ibique anno 1715. obiit. Franciscus vero ejus Frater, & hæres, nondum compertum habens Testamentum Horontii, sepulturam ejus corpori dedit in gentilitio Sacello, quod est S. Michaeli Arcangelo sacrum in Ecclesia S. Mariæ Novæ, cui præsunt Fratres Minores de Observantia. Sed tamen idem Franciscus anno 1719. delegit alium Sacerdotem, cui, postquam e vita decessisset primus Cappellanus, deferenda esset Cappellania, eique imposuit onus faciendi quotidie Missæ Sacrificium in Ecclesia S. Annæ de Palatio, quemadmodum jusserat Horontius.

Anno 1729. occubuit memoratus primus Cappellanus, itidemque paulo ante vivere desierat Franciscus Horontii Frater. Itaque Tutores filiorum ejusdem Francisci supplicarunt san: me: Benedicto XIII., ut derogando voluntati Horontii dignaretur Cappellaniam transferre ad prædictum Sacellum, quod ad Familiam Sebastianam spectat in Ecclesia Sanctæ Mariæ Novæ; & circa hujusmodi gratiam consulitur hæc Sac. Congregatio.

Oratores consentaneam rationi illam existimant, tum quia hoc ipsum Sacellum est dedicatum S. Michaeli Arcangelo, quem multa religione colebat Horontius; tum etiam quia humatum ibi fuit corpus ejusdem Horontii, quem verisimile est jussisse Missam celebrari in Ecclesia Parochiali S. Annæ de Palatio, propterea quod tunc habitabat in Paræcia ejusdem Ecclesiæ, & in ea se mandaverat sepeliri.

At (quemadmodum scripsit Eminentissimus Archiepiscopus) postulatis obstat Rector dictæ Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Annæ. Inquit enim gentilitii Sacelli nullam quoad hoc habere rationem voluisse Horontium, quem certe non latebat illud pertinere ad Familiam Sebastianam. Subiungit etiam, quod ex mutato domicilio capi nequit coniectura mutatæ voluntatis circa locum sepulturæ, quia Horontius firmum manere voluit quidquid caverat in Testamento, quod nunquam deinde mutavit.

Animadvertendum præterea est non agi de transferenda Cappellania ad aliam Ecclesiam Parochialem, cui suberat Horontius, quando obiit:

quasi

quasi scilicet hæc Parochialis Ecclesia censeri possit subrogata alteri, in cujus Parochia habitabat Horontius fuisse humatum in Sacello Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Novæ, quia sic ipse moriens jusserit; sed quia ita fecit Franciscus hæres, tunc ignorans diversam Horontii voluntatem. Hæc autem deinde perspecta, Franciscus ipse eam servari curavit circa Missam celebrandam in Ecclesia Sanctæ Annæ de Palatio, cum Cappellanum elegerit indicta ei lege faciendi rem sacram in ea Ecclesia juxta præscriptum Testatoris. Quinimo ex hoc infert Parochus S. Annæ Tutores hæredum dicti Francisci non posse hodie ejus facto refragari.

Postremo exponit idem Parochus Ecclesiam S. Annæ quotidie, assidueque a pio populo frequentari, ibique tamen septem tantum Missas singulis diebus certo celebrari cum stipendio a Fundatoribus assignato, tametsi aliæ circiter viginti celebrari quotidie soleant.

Dignentur itaque EE. VV. decernere.

An sit consulendum Sanctissimo pro petita commutatione voluntatis in casu &c.

CAVEN. FUNERALIUM. Episcopus, qui Cavensi Ecclesiæ præerat anno 1597., Sacellum in Cathedrali Templo erexit S. Restitutæ dicatum, tumulumque in ea extruxit, in quo jussit componi omnes, sive cives, sive exteros, qui repentinam mortem oppetierint, vel armorum vi, aut manu carnificis interempti fuerint, vetuitque, ne in aliis Ecclesiis etiam Parochialibus sepelirentur; salvis tamen quoad Cives juribus competentibus eisdem Ecclesiis Parochialibus. *Sess. 24. c. 13. Sess. 25. c. 13. de ref.*

Sub annum vero 1638. alter Episcopus, Capitulo Cathedrali petente, quasdam edidit declarationes, ac præsertim sequentes -- *Quando aliquis exterus, qui in hac Civitate non fecit incolatum per decennium continuum, nec in dicta Civitate possidet stabilia ad prædictum incolatum apta, & necessaria, moritur, vel si quis Civis non habens propriam sepulturam in sua Parochiali, vel alia Ecclesia dictæ Civitatis moritur morte violenta, vel repentina, sepeliatur in fovea S. Restitutæ intra Cathedralem Ecclesiam &c. Cum vero contigerit aliquem Civem decedere morte violenta, vel repentina, habentem propriam Sepulturam, licitum sit hæredibus ipsum sepeliri facere in eorum propria sepultura, solutis ducatis sex Rev. Capitulo, inclusis Ceris, & Juribus Reverendissimi Episcopi &c. exteri vero transeuntes sint, & spectent omnino ad Rev. Capitulum, nec Parochi aliquid prætendere possint, & in eleemosyna ab eis recipienda servetur laudabilis antiqua consuetudo. Insuper declarat, quod illi dicuntur morte repentina decedere, qui repente moriuntur, absque eo quod eorum peccata confiteri possint verbaliter, vel saltem per signa; si vero infirmus confiteretur sua peccata etiam in Ecclesia, cum infirmitate tamen, postea ex eadem infirmitate moriatur, nullo alio particulari superveniente accidente, iste non judicatur morte repentina mortuus, & de eo nullum jus ad Rev. Capitulum spectat, dummodo saltem infra octo dies à secuta morte fuerit in eadem infirmitate confessus; si vero ultra octo dies a secuta morte fuerit confessus, tunc spectabit ad Rev. Capitulum, prout supra, tamquam repentina morte decessus.*

In Synodo postmodum habita anno 1641. cautum ita fuit -- *Peregrinorum, capite punitorum, aut repentina, violentaque morte decedentium cadavera in Ecclesia Cathedrali tantum, ubi Sacellum sub vocabulo Sanctæ Re-*

Restitutæ, *& fovea pariter ad hoc opus erecta reperitur*, *deinceps sepeliantur juxta Bullarum ejusdem Sacelli dispositionem*.

Cum autem Sacerdos Xaverius Casaburi originem quidem trahens a Cibus Cavensibus, sed ortus in Civitate Salernitana, quique tandem commoratus fuerat Cavæ tresdecim mensibus, litterarii ludi Magistrum agens, ibidem anno 1725. obiisset in Parochia S. Michaelis Arcangeli, electa sibi sepultura in eadem Parochiali Ecclesia, a cujus Ecclesiæ Rectore extremis Sacramentis fuetat munitus, idcirco Parochus in ea ipsa Ecclesia defunctum tumulavit.

At reclamante Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, quod suum jus per hoc læsum fuisse contendebat, propositis in Congr. habita die 13. Augusti 1729. septem inferius recensendis Dubiis, rescriptum fuit quoad priora quinque -- *Dilata*, *& exhibeantur Bullæ*. Quoad sextum -- *Affirmative* -- Quoad septimum *provisum in superioribus*.

Rescriptum hoc tunc prodiit, Parochis tantum sua jura exponentibus: atque ideo jussum fuit exhiberi Bullas, quia in Synodo, cujus verba superius exscripta fuerunt, mentio habebatur de Bullis tribuentibus Ecclesiæ Cathedrali jus sepeliendi in Sacello Sanctæ Restitutæ peregrinos, & repentina, aut violenta morte obeuntes.

Capitulum vero non alias protulit Bullas, quam documentum erectionis d. Sacelli S. Restitutæ ab Episcopo factæ anno 1597., ut supra memoratum fuit.

Quæstionem, an viatores, peregrini, & advenæ sepeliendi sint in Ecclesia Cathedrali, vel potius in Parochiali Ecclesia, intra cujus fines moriuntur, tractant *Pignatell. consult.* 145. *tom.* 1. *Lavor. Lcubr. tit.* 2. *c.* 11. *num.* 144., *Panimol. decis.* 5. *ann.* 3. *n.* 42. *Eminentiss. Petra tom.* 2. *ad Constit.* 9. *Innoc. III. a n.* 44. *ad* 51., ac tam de iis, quam de obeuntibus violenta morte, absque electione sepulturæ, videri potest Decisio Sacræ Rotæ recenter edita in *Barchinonen. Jurium Parochialium* 13. *Januarii* 1730. *a* §. 31. *ad plures seqq. cor. Reverendiss. Patriarcha Hierosolymitano*, *ejusdem Sac. Auditorii Decano*.

Capitulo itaque instante Causa iterum proponitur, cum eisdem Dubiis, quæ hæc sunt.

I. *An jus tumulandi cadavera decedentium repentina*, *aut violenta morte intra districtum Parochiarum Civitatis Cavæ spectet ad proprios Parocos*, *vel potius ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis*. Et quatenus ad Capitulum.

II. *An eorumdem tumulatio spectet etiam ad Capitulum*, *si ante obitum illi receperint Sacramenta Pœnitentiæ*, *Eucharistiæ*, *vel extremæ Unctionis a proprio Parocho*.

III. *An tumulatio oriundorum Cavensium*, *ac exterorum*, *qui incolatum per decennium non fecerint*, *nec bona possideant in eadem Civitate*, *necnon aliorum per transitum decedentium intra districtum alicujus Parochiæ spectet ad proprium Parochum*, *vel potius ad Capitulum*, Et quatenus ad Capitulum.

IV. *An præfatis exteris*, *& oriundis licitum sit eligere sepulturam extra Ecclesiam Cathedralem absque Capituli consensu*. Et quatenus affirmative.

V. *An solvendum sit Capitulo*, *& Mensæ Episcopali jus funeris*, *& in qua summa*.

VI. *An licuerit Josepho Catone Parocho S. Michaelis Arcangeli tumulare*

mulare cadaver Xaverii Casuburii in sua Ecclesia Parochiali, itaut sit standum, vel recedendum a decisis die 13. Augusti 1729.

VI. *An, & ad quid prædictus Parochus teneatur in commodum Capituli, & Mensæ Episcopalis in casu &c.*

Die Sabbathi 7. Februarii 1733.



On graventur EE.VV. resumere Folium Congregationis habitæ die 24. Januarii, ac tres, quæ ibi descriptæ fuerant, quæque mox indicabuntur, Causas definire.

MEDIOLANEN. CAPPELLANIARUM. Sess. 24. c. 6. de ref.

An sit locus petitæ reductioni, & commutationi Cappellaniarum in unum simplex Beneficium.

Negative, & amplius.

NEAPOLITANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Sess. 22. c. 6. de ref.

An sit consulendum Sanctissimo pro petita commutatione voluntatis in casu &c.

Negative, & amplius.

CAVEN. FUNERALIUM. Sess. 24. c. 13. Sess. 25. c. 13. de ref.

I. *An jus tumulandi cadavera decedentium repentina, aut violenta morte intra districtum Parochiarum Civitatis Cavæ spectet ad proprios Parochos, vel potius ad Capitulum Ecclesiæ Cathedralis.* Et quatenus ad Capitulum.

II. *An eorumdem tumulatio spectet etiam ad Capitulum, si ante obitum illi acceperint Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, vel extremæ Unctionis a proprio Parocho.*

III. *An tumulatio oriundorum Cavensium, ac exterorum, qui incolatum per decennium non fecerint, nec bona possideant in eadem Civitate, necnon aliorum per transitum decedentium intra districtum alicujus Parochiæ spectet ad proprium Parochum, vel potius ad Capitulum* Et quatenus ad Capitulum.

IV. *An præfatis exteris, & oriundis licitum sit eligere sepulturam extra Ecclesiam Cathedralem absque Capituli consensu.* Et quatenus affirmative.

V. *An solvendum sit Capitulo, & Mensæ Episcopali jus funeris, & in qua summa.*

VI. *An licuerit Josepho Catone Parocho S. Michaelis Arcangeli tumulare cadaver Xaverii Casaburii in sua Ecclesia Parochiali, itaut sit standum, vel recedendum a decisis die 13. Augusti 1729.*

VII. *An*

VII. *An, & ad quid prædictus Parochus teneatur in commodum Capituli, & Mensæ Episcopalis in casu &c.*

Ad primum quoad Viatores, Peregrinos, & Advenas tantum spectare ad Capitulum. Ad secundum, & tertium provisum in primo. Ad quartum affirmative. Ad quintum negative Ad sextum in decisis - Ad septimum negative, & amplius in omnibus.

Sess.22. c.6. de ref.

GERUNDEN. VESTIARII. Notissima est series hujus Causæ pluries discussæ in hac Sac.Congr. Satis itaque erit ad memoriam Eminentiarum VV. revocare, quod cum die 19. Julii superioris anni propositum fuisset hoc Dubium - *An quoad reintegrationem legati Vestiarii, & restitutionem illius fructuum sit standum, vel recedendum a decisis die 25. Septembris* 1700., *& die* 3. *Martii* 1703., *seu potius sit aliter providendum, & quomodo* -- prodiit hoc Rescriptum -- *In Decisis juxta modum*, videlicet, *solutis nunc per Capitulum libris decies mille investiendis cum cura, & superintendentia Episcopimet ad beneficium Vestiarii, nec non dummodo in futurum solvantur ab eodem Capitulo annuæ libræ mille per annos quindecim, erogandæ in perfectionem Frontispitii Ecclesiæ Cathedralis simul cum alia pecunia ad depositum spectante, quo ad reliquum debitum pro gratia absolutionis, facto de omnibus verbo cum Sanctissimo.*

Sed rescriptum hoc impugnavit Benedictus Vadella, pauperum causam agens magna cum laude pietatis, & constantiæ. Itaque accurate perpensis rationum, quas ille in medium protulit, momentis, die 6. Decembris proxime præteriti ita responsum fuit -- *Prævio recessu à decisis, solvendas esse à Capitulo intra sex menses libras* 17000. *investiendas cum cura, & superintendentia Episcopimet pro Vestiario Pauperum. Deinde vero solvendas esse ab eodem Capitulo singulis annis libras* 1500. *in eamdem causam Vestiarii, usque ad satisfactionem totius debiti juxta liquidationem, prout de jure faciendam*

Reclamante nunc Capitulo, deliberari oportet.

*An sit standum, vel recedendum à Decisis die 6.Decembr.*1732. *in casu &c.*

In Decisis reducta tamen annua solutione a libris 1500. ad libras 1000. dummodo Capitulum intra terminum sex mensium solvat libras 17000., liquidationem autem totius debiti faciendam esse intra annum; quorum ad administrationem reddituum Majoricen. Capitulum S. Felicis pro nunc administret nomine Capituli Gerunden., & amplius.

Sess.24. c.8. de ref.

ASCULANA, SIVE MONTIS ALTI ORDINATIONIS. Petrus Xaverius de Antoninis (cum primam Tonsuram impetrare superioribus annis non potuisset ab Episcopo Montis Alti, qui tunc non putaverat eum hoc vitæ genus eligere, ut se Deo consecraret, eique religiosiorem cultum præstaret) clericali militiæ anno 1730. ab Episcopo Asculano adscriptus, mense Decembris anni 1731. cum litteris Dimissoriis ejusdem Episcopi Asculani fuit ab Episcopo Ripano promotus ad Ordines Minores, & sub finem ejusdem mensis tribus diebus festis, ex Apostolico Indulto, sacris etiam omnibus Ordinibus initiatus ad titulum patrimo-

trimo-

trimonii constituti in bonis, quæ Pater possidebat in Civitate Montis Alti; deindeque reversus ad eamdem Civitatem, ubi morabatur, Sacerdotis ministerium exercere cœpit.

Conquestus apud hanc Sac. Congr. fuit Episcopus Montis Alti, quod non servata norma consultissime præscripta a san. me. Innocentio XII. in Constitutione, quæ incipit: *Speculatores*: Ordinum collatio peracta fuerit absque suis litteris, tam Dimissoriis, quam Testimonialibus. Videndum itaque est, an ad solum Episcopum Montis Alti spectaret Ordines conferre Petro Xaverio, vel saltem necessariæ ad licitam Ordinationem essent ejus litteræ Testimoniales.

Quæ circa id occurrunt ponderanda, hæc sunt. Patria Josephi Antonii de Antoninis, qui memoratum Sacerdotem Petrum Xaverium procreavit, fuit Oppidum Appinianum Asculanæ Diœcesis. Medicus electus ab Universitate Montis Alti triginta circiter ab hinc annis, sedem ibi cœpit habere: ibi etiam fœminam ex honesta ejusdem Civitatis Familia sibi conjugem adjunxit: anno 1713. domum emit, itemque aliam anno 1718. in eadem Civitate. Non tamen ibi semper resedit Pater. Ab anno quippe 1705. ad 1712. moram fecit in Diœcesi Firmana. Deinde quinquennium transegit in Civitate Asculana. Postea octo annis iterum mansit in Civitate Montis Alti. Ab anno 1726; ad 1728. substitit Camerini: Ubique scilicet conductus ad medicinam faciendam. Anno tandem 1729. Montem Altum rediit; sed cum non satis firma valetudine uteretur; in Appinianum se contulit cum tota Familia. Paucis tamen post mensibus Montem Altum repetiit, & adhuc vivit.

Præterea cum non solum memoratas domos, sed etiam rustica prædia Josephus Antonius comparasset, anno 1718. ex Decreto Magistratus factus fuit Civis Montis Alti, ac talem se nuncupavit in contractibus initis. Onus, quod vocant *Focularis*, jam inde ab anno 1728. a Communitate Montis Alti ei impositum suscepit, persolvitque. Binæ, quæ ei erant filiæ in cœnobiis Montis Alti institutum Religiosæ vitæ amplexæ sunt.

Quantum vero attinet ad ipsum Sacerdotem Petrum Xaverium, ortum hic habuit anno 1706. in Oppido Murro Vallium Firmanæ Diœcesis, & a Parocho, qui eum Sacro inauguravit Baptismo, sic fuit in Parochiali libro descriptus -- *Pietro Saverio, figlio del Signor Medico Giuseppe Antonio Antonini Cittadino di Appignano d' Ascoli*. Moram cum Patre fecit iis in locis, in quibus ipse Pater Medici munere perfunctus fuit, duobus tantum exceptis annis, quos Romæ transegit vacans Jurisprudentiæ studio. Publica etiam officia obita ab eo fuerunt in Civitate Montis Alti. Biennio quippe, tamquam Camerarius, exegit vectigalia, ut vocant, Cameralia, & Communitativa. In Patris locum subrogatus Civicis Congregationibus, quas nuncupant *Cernitas*, interfuit, ac duobus mensibus Septembri scilicet, & Octobri anni 1731. primum Magistratum administravit.

His igitur ita se habentibus, contendit Petrus Xaverius rite se fuisse ad Ordines promotum cum litteris Dimissoriis Episcopi Asculani, cum esset ei subjectus ex vi Paternæ originis; quæ quidem juxta Innocentianam Constitutionem attendenda erat, quia furtuito ortus in Diœcesi Firmana; perinde erat habendus, ac si natus fuisset in Appiniano Diœcesis Asculanæ, quod fuerat natale solum majorum suorum.

Negat vero Josephum Antonium ejus Patrem, cum quo vixit, legitimum domicilium contraxisse in Civitate Montis Alti, quia non per decennium

conti

nuum ibi habitavit Pater, sed interrupto temporis spatio, & quidem ex causa exercendi medicam facultatem, in qua Patris operam, tum Communitas Montis Alti, tum, & aliæ Communitates conduxerunt, ut dictum est.

Accedit, quod in dicto Oppido Appiniano Pater domum instructam semper habuit, ac præter avita bona, alia etiam ære suo emit. Civica onera ibidem persolvit. Inter Consiliarios non solum Pater ipse locum semper retinuit, sed etiam ad eorum numerum aggregari curavit anno 1730. ejus filium, qui scilicet est prædictus Petrus Xaverius.

Inspiciendum itaque præcipue est, an Pater censeatur legitimum domicilium contraxisse in Civitate Montis Alti, nam Constitutio Innocentii XII. *in* §. *At si Pater* -- sic habet --,, At si Pater in alieno loco, ubi ,, ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut in bi vere ,, domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed domicilium per Patrem legitime contractum pro ordinatione ejusdem filii ,, attendi debeat --,, Subinde vero Pontifex agens non de paterno domicilio, sed de domicilio proprio ipsiusmet promovendi ad Ordines, ita statuit --,, Subditus autem ratione Domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud ,, tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ,, saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique ,, insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis, superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; Et ,, nihilominus ulterius utroque casu se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.

Restat nunc videndum, an saltem impetrandæ essent ab Episcopo Montis Alti litteræ Testimoniales. Subjunxit enim Pontifex in eadem Constitutione --,, quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras ,, Testimoniales obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinem testimonio similiter recensendas, præsentare teneatur --,, Utique vero potuisset Petrus Xaverius impedimentum aliquod contrahere, dum novem circiter annorum spatio fuit commoratus in Civitate Montis Alti.

At respondet idem Petrus Xaverius Bullam Innocentianam non requirere litteras Testimoniales cujusque Episcopi, in cujus Diœcesi moram aliquam fecerit is, qui est promovendus ad Ordines, sed ejus tantum Episcopi, in cujus Diœcesi fortuito natus ille fuerit, protracta deinde mora in tempus idoneum subeundo alicui impedimento canonico.

Cæterum par, atque eadem ratio vigere in utroque casu videtur, nam circumstantia fortuitæ nativitatis, quæ ibi commemoratur, nihil refert quo scopum legis; sed ejus vis tota versatur in commoratione deinde facta per spatium temporis aptum ad impedimentum contrahendum. Expedit igitur hoc a Sac. Congr. declarari.

Postremo idem Petrus Xaverius addit sibi non defuisse testimonium Episcopi Montis Alti saltem per æquipollens. Episcopus enim Asculanus, antequam Petrus Xaverius initiaretur Ordinibus, per edictum exploravit, an quis sciret bona in patrimonium assignanda non esse libera, vel ipsum Clericum canonico aliquo impedimento esse irretitum. Istud vero edictum fuit etiam publice propositum in Civitate Montis Alti, ubi bona

bona il la existebant, & quidem annuente Vicario Generali, ut in ipsa affixionis relatione expressit Cursor Curiæ Episcopalis. Episcopus tamen Montis Alti in litteris ad hanc Sac. Congr. datis affirmat postulatam quidem a se fuisse facultatem affigendi valvis suæ Ecclesiæ Cathedralis memoratum edictum, sed se recusasse, & monuisse quoque Vicarium suum, quominus id permitteret, n scilicet videretur tacite approbare, quod Episcopo Asculano liceret Ordines conferre Petro Xaverio.

Placeat itaque EE. VV. declarare.

I. *An Sacerdos Petrus Xaverius de Antoninis licite susceperit Ordines sine Dimissoriis Episcopi Montis Alti* -- Et quatenus affirmative.

II. *An licite eosdem Ordines susceperit etiam sine litteris Testimonialibus prædicti Episcopi in casu &c.*

Ad primum affirmative, & amplius. Ad secundum negative, & in casu de quo agitur: Et quoad suspensionem arbitrio Episcopi Montis Alti juxta mentem, & amplius.

CANARIEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Fr. Isidorus de Abreu anno 1700. Franciscanæ Familiæ, quæ appellatur de Observantia, adscriptus fuit, & die 8. Maii 1701. solemnia Religiosi vota nuncupavit. Sequenti anno 1702. litteras impetravit a Ministro Provinciali, ut ad omnes etiam Sacros Ordines posset promoveri, eisque re ipsa fuit initiatus. Sacerdos factus, postquam studiorum curriculum emeudus fuerat, Concionatoris munus obtinuit. *Sess. 25. c. 19. de reg.*

Anno 1715. ad hanc Urbem venit, & proponere intendens nullitatem emissæ Professionis petiit sibi prius impertiri restitutionem in integrum. Itaque S. Congr. eodem anno mandavit Episcopo Canariensi, ut audito Superiore Cœnobii, processum conficeret, & confectum transmitteret. Tot transactis jam annis, Fr. Isidorus tandem processum illum exhibuit Sac. Congr., atque hodiè discutiendum erit, an petita in integrum restitutio sit concedenda.

Contendit Orator se a Patre compulsum fuisse, ut invitus licet, ac reluctans, Religiosum Institutum amplecteretur. Testes, quos ipse induxit, quique fuerunt rite interrogati anno 1716., id potissimum Paternæ severitatis narrant, quod filium è Gynnasio, ubi Grammaticæ operam dabat, ad exercendam agrorum culturam transtulerit eo consilio, ut rusticæ vitæ, laborisque pertæsus filius flecteretur ad Religiosam vitam ineundam.

In medium quoque profert idem Fr. Isidorus protestationem occulte a se factam die 12. Maji 1701. coram Notario, & tribus Testibus eo animo, ut deinde opportune uti posset istiusmodi documento ad Professionem rescindendam, quasi vi, metuque peractam. Sed de illius protestationis tunc, ut asseritur, editæ veritate non satis constare videtur, cum auditi non fuerint Notarius, & Testes, quorum nomina ibi scripta sunt.

Plures tamen alii Testes, qui eodem anno instantibus Superioribus Ordinis examinati fuerunt, affirmant se audivisse ab ipso Parente Fr. Isidori nullam ei vim allatam fuisse: ideo vero impetratam ei fuisse culturam prædii, quia in litteris colendis valde negligens erat, speravitque Pater filium, postquam agrestis vitæ incommoda esset expertus, facilius ad studia revocandum.

Addunt præterea Patrem non se comitem adjunxisse filio pergenti ad cœnobium

bium quinque circiter leucarum spatio distans, in quo Religiosam vestem suscepit; & eumdem Patrem per omne tempus tyrocinii nunquam allocutum fuisse filium; sed solum adfuisse, quando filius solemnibus votis se obligavit, nullo tamen ei incusso metu.

Sub prædictum annum 716., quo Testes fuerunt examini subjecti, vivebat ipse Pater, luminibus tamen orbatus. Deest autem ejusdem Patris examen, & num hodie superstes ille sit, ignoratur.

Præsides Francifcanæ Familiæ nihil nunc opponunt, expectantes Sapientissimum hujus Sac. Congr. Judicium. Itaque oportere visum fuit, ut Eminentiarum VV. oculis subjiciantur responsa Testium, qui tum ad Professionis validitatem, tum ad ejus nullitatem demonstrandam producti olim fuere, ut deinde decerni possit.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 25. c. 19. de ref. PAMPILONEN., ET BARBASTREN. DECIMARUM. Clerus Sæcularis Regni Navarræ, ut Ecclesiarum Parochialium inopiæ subveniretur, olim supplex petiit a Sede Apostolica moderationem Privilegiorum, quibus fretæ Religiosæ Familiæ negabant se cogi posse ad solutionem Decimarum. Commissa itaque Sac. Congr. hujus rei cognitione, die 21. Augusti 1728. propositum fuit hoc Dubium -- *An sit locus reductioni Privilegiorum ad terminos Juris* -- ita vero rescriptum fuit -- „ Affirmative juxta modum, & modus est, quod Regulares non „ habentes in Privilegiis expressam derogationem *Cap. Nuper*, te- „ neantur solvere integras Decimas, exceptis bonis, & rebus præscriptis „ *in Cap. Ex parte de Decim.*, quo vero ad Regulares habentes ex- „ pressam derogationem *Cap. Nuper*, pro omnibus bonis de præsenti „ possessis teneri ad solutionem unius pro viginti quinque, pro bonis „ vero in futurum quocumque titulo acquirendis teneri ad integram „ Decimam, salvis tamen compositionibus, & exceptis in omnibus „ PP. Dominicanis „

Decretum hoc fuit a Sanctiss. Domino Nostro approbatum die 19. Januarii 1731., præter quam quo ad exceptionem PP. Dominicanorum, quam suspendi jussit. Deinde vero, scilicet die 26. Aprilis 1732. declaratum fuit etiam Dominicanam Familiam eo Decreto comprehendi debere.

Expedito ad normam memoratæ resolutionis Apostolico Brevi, Judex, cui commissa fuit executio, decrevit Monasteria Ordinis Cisterciensis in utraque Diœcesi Pampilonen., & Barbastren. existentia, a Decimis exempta esse debere dumtaxat pro armentis eorum usui destinatis, itemque pro novalibus, quæ sive eorum manibus, sive eorum sumptibus colerentur, ac demum pro hortis intra ipsorum Monasteriorum ambitum positis: Solvendas vero esse integras Decimas pro aliis quibuscumque bonis, vel acquisitis, vel acquirendis.

Reclamant PP. Cistercienses, quasi Decretum Judicis Executoris minime consonet Decreto, & menti hujus Sac. Congr., petuntque declarari, exemptionem eis competere indiscriminatim pro omnibus bonis, quæ sua manu, vel suo sumptu coluntur, eosque solvere debere Decimarum nomine dumtaxat quatuor pro singulis centenis.

Porro quoad bona Cisterciensium Alexander III. *in Cap. Ex parte de Decim.*, ita rescripsit Tarraconensi Archiepiscopo -- „ Prædecessor noster „ Adrianus solis Fratribus Cisterciensis Ordinis &c. Decimas laborum suo-

„ suorum, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, indulsit:
„ cæteris vero, ut de novalibus suis, quæ propris manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis
„ Decimas non persolvant: quem sumus super his imitati.

Postmodum idem Alexander III. declaravit non suffragari Cistercienfibus exemptionem quoad prædia, quæ aliis locarent, ut in *Cap. Licet* 11. *eod. tit.* Sed cum ex diverso contenderent Parochi Privilegium Cisterciensibus tributum referri *in dicto Cap. Ex parte*, dumtaxat ad novalia, idem Pontifex hujusmodi interpretationem improbavit *in Cap. Ad audientiam* 12. *eod. tit.* his verbis -- „ Illud Privilegii Capitulum prava
„ quidem interpretatione pervertentes, quo Cisterciensibus indulgetur,
„ ne de laboribus, quos propriis manibus, aut sumptibus excolunt,
„ aliquas Decimas ab eis exigant, asserunt, quod pro laboribus Novalia intelligi debent; mandamus, quatenus non permittatis hoc
„ fieri; nam si intelligeremus tantummodo de Novalibus, ubi ponimus
„ de laboribus, de Novalibus poneremus.

His positis inferunt PP. Cistercienses, quod si Sac. Congr. salvam esse voluit quoad omnes Religiosos exemptionem indultam in *Cap. Ex parte*, servanda etiam sit differentia ibidem constituta inter Cistercienses, & alios Religiosos, cum exemptio quo ad alios Religiosos sit quidem ibi restricta ad novalia, & hortos; sed quo ad Cistercienses universe comprehendat quæcumque bona propriis manibus, vel sumptibus exculta.

Quantum vero attinet ad secundam memorati Rescripti partem, Innocentius Tertius in Concilio Lateranensi sancivit, ut pro bonis, quæ deinceps essent acquisituri, tam Cistercienses, quam reliqui omnes Religiosi, tametsi propriis manibus, vel sumptibus colerentur, Decimæ omnino persolvi deberent, juxta *Tex. in cap. Nuper de Decim.*

Ajunt itaque PP. Cistercienses, agros, quos modo possidet Monasterium Sanctæ Mariæ de Iranzu in Diœcesi Pampilonensi, non post, sed ante Constitutionem illam Concilii Lateranensis fuisse acquisitos, adeoque non esse eidem legi obnoxios. Tum, & illud addunt, generatim sibi deinde restitutam fuisse pristinam exemptionem a Decimis, tam pro bonis acquisitis, quam pro acquirendis, ac. Honorio Tertio, Gregorio IX. Martino V., & Xisto Quarto.

Expressam vero sibi suffragari derogationem *dicto cap. Nuper*, ex eo adstruunt, quod Constitutio Martini V. (quæ est octava in *Tom.* 1. *Bullarii Rom.*) prius commemorat legem in Concilio Lateranensi editam, ac relatam *in dicto cap. Nuper*, deindeque jubet servari quo ad Cistercienses exemptionem pro bonis, tam ante, qunm post ejus legis promulgationem acquisitis, & acquirendis. Constitutio autem Xisti Quarti (quæ habetur in *Bullario Cistercien. pag.* 125.) non solum confirmat exemptionem Cisterciensium pro bonis, tam ante, quam post dictum Concilium Lateranense acquisitis, & acquirendis, sed subjicit etiam hæc verba -- *dicti Concilii, & quibuscumque aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis non obstantibus*. Quamobrem Privilegia Familiæ Cisterciensis munita esse expressa derogatione *Cap. Nuper*, pluries dixit Sacra Rota, ac præsertim in *Vratislavien. Decimarum* 2. *Junii*, & 27. *Novembris* 1702. *coram Muto*, & *in Nullius*, *seu Vrgellen. Primiziarum* 27. *Aprilis* 1708. *coram Reverendissimo Aldrovando*.

Firmo igitur manente Decreto ab hac Sac. Cong. edito die 21. Augusti 1728. nunc examinari oportet.

An decretum Judicis executoris quoad Monasteria Ordinis Cisterciensis sit servandum, vel potius an, & quomodo sit reformandum.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 22. c. 3. de ref.

ARIANEN. CANONICATUUM. In Civitate Arianen. anno 1450. Nicolaus V. Pontifex Maximus Collegiatam instituit Ecclesiam Sancti Angeli cum quinque Canonicatibus. Curam vero animarum, quæ eidem Ecclesiæ inhærebat, perpetuo transtulit ad Episcopum, tributa ei facultate eligendi Vicarium amovibilem pro ejusdem curæ exercitio.

At vero Episcopus anno 1714. ad amplificandum Divinum cultum in ea Ecclesia tres novos addidit Canonicatus, quibus ut congruentem constitueret dotem, divulsit partem annuorum proventuum, quibus potiebantur quatuor aliæ Ecclesiæ. Huic erectioni novorum Canonicatuum assenserunt veteres Canonici, certis tamen explicatis conditionibus servandis à tribus novis Canonicis, ut videre est *in Summ. n.16.*

Rectores illarum Ecclesiarum, a quibus, ut dictum est, Episcopus divulserat partem annuorum reddit/ uum, assignatam novis tribus Canonicis, anno 1723. reclamarunt coram Sacra Congr. negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, petentes rescindi quidquid inconsulta Sede Apostolica, & sine ejus approbatione fecerat Episcopus. Quæstio tamen nullum ibi habuit progressum, nec exitum.

Nunc autem quinque Canonici antiquæ erectionis plures instituerunt controversias adversus Canonicos novæ erectionis, impugnata in primis ejus validitate, circa quam duo videntur inspicienda; alterum nempe, an potuerit Episcopus jure suo augere numerum Canonicorum in Ecclesia Collegiata: alterum, an potuerit sua itidem auctoritate transferre in præbendam novorum Canonicatuum bona, quæ à Testatoribus legata fuerant aliis Ecclesiis.

Primam quæstionem tractant *Fagnan. in cap. dilecto num.16., & seqq. de Præbend. Francesc. de Eccles. Cathedr. cap.*14. *n.*134., *Barbos. de Canonic. cap.*2. *n.* 21., *& seq.*

Circa secundam vero considerandum erit, an id sit commutare pias voluntates; quod quidem Episcopis non licere, sed soli Romano Pontifici esse reservatum, deducitur *ex Clem. Quia contigit de Relig. Dom.* ubi *gloss. in verb. Sedis Apostolicæ* sic ait -- *Nota per hanc litteram solum Papam posse alterare usum illorum, quæ per fideles donata sunt, vel relicta* -- quam Glossam communiter sequuntur Canonistæ. Idque etiam non obscure supponit *Sac. Conc. Trident. sess.*22. *cap.*6. *de Reform.* ut notat *Fagnan. in cap. Ex parte num.*21. *&* 22. *de Constit.*

Abs re autem non erit aliqua indicari Decreta, quæ in similibus prodierunt Causis. Erectionem Canonicatus, Capitulo etiam assentiente, factam ab Episcopo ex suppressione Mansionariatus, non substineri declaravit Sacra Congr. *in Isernien.* 5. *Septembris, &* 14. *Novembris* 1705. *ut in lib.*55. *Decret. pag.*327. Rescissa itidem fuit erectio novi Canonicatus, quam fecerat Episcopus, addictis Præbendæ ejusdem Canonicatus nonnullis proventibus spectantibus ad Seminarium, in *Nicoteren.* 10. *Julii* 1706. *ut in lib.*56. *Decr. pag.*225. Non licuisse Episcopo novum Canonicatum supra numerum instituere assignata ei in dotem

Cap

Cappellania, respondit Sacra Cong. *in Murana* 12.*Decembris* 1711. *ut in lib.*61. *Decr. pag.*554. Denique *in Savonen.* Episcopus certam partem proventuum, quos pius Testator reliquerat Aræ maximæ Ecclesiæ Parochialis, assignavit doti septem Cappellaniarum, quas instituit, adjecto eis onere persolvendi Divina Officia in Choro. Disceptato autem Dubio -- *An substineatur erectio Cappellaniarum, Canonicatuum nuncupatarum* -- die 23. Martii 1722. rescriptum fuit *negative*, ut *in l.*72. *Decret. pag.*233.

Perpendendum insuper videtur, an distractio bonorum, quæ possidebant aliæ Ecclesiæ, eorumque perpetua assignatio in dotem novorum Canonicatuum ab Episcopo facta repugnet Extravaganti *Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan.* Quamobrem non posse Episcopum sine Apostolico Beneplacito bona unius Ecclesiæ in alteram, etiam inopem, transferre, respondit Sacra Congr. die 11. Junii 1712. ad primum postulatum Eminentissimi Bellugæ, tunc Carthaginensis Ecclesiæ Pastoris vigilantissimi, in visitatione sacrorum liminum his verbis -- *Respondentes autem Eminentissimi Patres postulatis, & primo an redditus exuberantes divitum Ecclesiarum applicari possint Ecclesiis pauperioribus, censuerunt id fieri non posse absque Beneplacito Apostolico* -- ut *lib.*20. *litt.*

Quantum vero attinet ad secundum Dubium, quod etiam influit in reliqua, similis controversia olim suborta est in Capitulo Nepesino. Cum enim institutis aliquot novis Canonicatibus, certæ conditiones fuissent præscriptæ à Canonicis primitivæ erectionis, nimirum ut novi Canonici appellarentur supranumerarii, & nunquam in Capitulo suffragium, nec præcedentiam quoad antiquos Canonicos, nec participationem emolumentorũ provenientium, vel ex piis largitionibus, vel ex funeribus, vel ex Processionibus possent obtinere, quodque demum novi Canonici contribuere deberent ad impensas pro Ecclesia necessarias, die 1. Decembris 1703. proposito hoc Dubio -- *An, & quæ pacta apposita in admissionibus novorum Canonicorum substineantur* -- rescriptum fuit -- *servanda esse omnia pacta* -- ut *in lib.*53. *Decr. pag.*518.

Sic quoque *in Pientina Canonicatuum* admissa a Capitulo fuerat erectio septem novorum Canonicatuum, sed ea lege, ut qui eos assequerentur, voce, ut ajunt, activa, & passiva carere deberent in electione Camerarii, & Cancellarii Capitularis, utque non possent participare ceram Massæ communis, nec interesse festivitatibus, vel funeribus, nisi universum Capitulum fuisset invitatum. Cum autem Canonici secundæ erectionis servare detractarent hujusmodi conditiones, quæ quidem non fuerant approbatione Ordinari munitæ, die 15. Martii 1704. disceptatis hisce Dubiis -- I. *An Canonici secundæ erectionis debeant participare de distributionibus, & eleemosynis incertis, provenientibus ex funeribus, aliisque causis* -- II. *An in electione Camerarii, & Cancellarii Capituli debeant intervenire Canonici, tam primæ, quam secundæ erectionis* III. *An in casu, in quo in functionibus non sit invitatum totum Capitulum, debeat servari Turnum ad formam Constitutionum ejusdem Ca-pituli* - IV. *An sit concedenda alternativa* - Responsum fuit - Ad I. *Affirmative, excepta cera* -- Ad reliqua *Negative*, ut *in lib.*54. *Decr. pag.*93.

In Alatrina Erectionis Canonicatus 8. *Februarii* 1727. improbatis nonnullis ex conditionibus à Capitulo propositis, rescriptum fuit -- *esse locum erectioni juxta conditiones præscribendas ab Eminentissimo Præfecto* -- & in hunc modum fuerunt præscriptæ videlicet -- „ Canonicatum erigendum

,, gendum esse cum omnibus juribus, honoribus, prærogativis, & oneribus ad instar aliorum Canonicorum, cum hoc tamen, quod novus Canonicus in negotiis tangentibus interesse tantum Canonicorum antiquorum non habeat vocem activam, nec passivam in Capitulo, sicuti etiam quod non participet de Legatis, & Anniversariis in præteritum relictis, & quod in massa distributionum quotidianarum conferat scuta viginti annua constituentia tertiam partem sui Canonicatus, ad effectum ut ipse, & omnes alii Canonici æqualiter hinc inde participent de punctaturis absentium, & quod teneatur ad onera ordinaria, & extraordinaria, tam in ingressu, quam in progressu, uti alii Canonici --,, ut *lib.*77. *Decret. pag.*105.

Ac denique *in Sabinen. Erectionis Canonicatuum*, cum Capitulum nollet novorum Canonicatuum erectionem approbare, nisi pluribus adjectis conditionibus in Folio relatis, die 18. Novembris 1730. ad Dubium ita conceptum -- *An, & quomodo erectio Canonicatuum demandata per Ordinarium sit exequenda* -- responsum fuit -- *Affirmative, ita tamen, ut non participent de legatis ante erectionem, nec de punctaturis non residentium* -- ut *in lib.*80. *Decret. pag.*366.

Deffiniendum igitur erit.

I. An substineatur erectio trium Canonicatuum ab Episcopo facta anno 1714. in Ecclesia Collegiata S. Angeli. *Et quatenus affirmative.*

II. An substineantur pacta occasione ipsius erectionis inita inter antiquos, & novos Canonicos. *Et quatenus affirmative.*

III, An Canonici novi teneantur contribuere ad omnes impensas necessarias, tam pro Ecclesia, quam pro Divinis Officiis, prout tenentur Canonici antiqui.

IV. An iidem Canonici teneantur interesse Choro, dum adimplentur onera perpetua spectantia ad antiquos Canonicos.

V. An emolumentum proveniens ex tumulatione puerorum, quorum associationi interesse non solent, neque antiqui, neque novi Canonici, spectet privative ad antiquos, sive potius participare illud debeant etiam novi Canonici.

VI. An prohibendum sit Canonicis antiquis concordare, seu diminuere funeralia emolumenta in damnum Canonicorum novorum.

VII. An jus accrescendi ob absentiam alicujus ex Canonicis, sive novis, sive antiquis in emolumento associationis Cadaverum, spectet dumtaxat ad antiquos, vel potius dividi illud debeat inter novos, & antiquos.

VIII. An quando omnes Canonici novi absint à Choro, eorum punctaturæ dividi debeant inter antiquos Canonicos, qui sunt præsentes, seu potius inter ipsosmet novos Canonicos, & viceversa si omnes Canonici antiqui absint, an eorum punctaturæ accrescant novis Canonicis tantum præsentibus.

IX. An legata pia tam Missarum, quam Anniversariorum a Testatoribus relicta Capitulo spectent privative ad antiquos Canonicos, vel potius ea participare debeant etiam Canonici novi.

X. An Canonicus exercens curam Animarum tamquam Vicarius deputatus ab Episcopo ad nutum amovibilis, debeat lucrari emolumentum duplicatum, seu potius tantum emolumentum uti Vicarius.

XI. An Canonicus Clericus prius receptus in Capitulum debeat præcedere Canonicum Presbyterum postea receptum.

XII. An Præfectus Chori in rebus ad Chori disciplinam spectantibus valeat

leat multam Canonicis inobsequentibus irrogare, illam in schedula annotare, & occasione divisionis redditu um canonicalium ad commodum Ecclesiæ applicare.

XIII. An Procurator pro exigendis emolumentis funerum deputandus sit vicissim, hoc est uno anno ex Canonicis antiquis, & alio ex novis in casu &c.

ROMANA REDUCTIONIS ONERIS MISSARUM. Procurator Generalis Minorum Conventualium obtulit Innocentio XIII. preces ita conceptas -- *Exponit Sanctitati Vestræ sui Ordinis Conventus per Europam constitutos, ob bella, pestilentiam, contributiones, subsidia, decimas, & alias calamitates, & infortunia à prædictis causis, & aliis, heu nimium notoriis derivantia, dura premi paupertate; largitiones etiam Fidelium esse maximopere imminutas, & fundos quoque, & capitalia Missarum perpetuarum, ex prænarratis, aliisque causis, aut in totum deperdita, aut magna ex parte detrita esse, & consumpta; quo circa idem Procurator pari humilitate exorat pro dictarum Missarum perpetuarum, quæ usque ad præsentem diem celebrari debuissent, & celebratæ non sunt, benigna condonatione; & pro earumdem Missarum moderatione, & reductione in futurum.* Sess. 22. de obser. & evit. in cel. Mis.

Pontifex autem per Decretum ab hac Sacra Cong. editum die 10. Septembris 1723. Indultum reductionis fuit impertitus his verbis -- *Quoad onera perpetuarum Missarum usque in præsentem diem acceptata, & in posterum adimplenda, Sanctitas sua eidem Patri Generali demandavit, ut adhibito suorum Assistentium consilio, ex singulis Europæ Provinciis, binos eligat Religiosos, pietate, zelo, doctrina, & probitate præditos, qui Testamentis, Instrumentis, Libris, Tabellis, cæterisque documentis, quibus onera Missarum unicuique Conventui suæ Provinciæ respective incumbentia descripta continentur, perspectis, ac sedulo examinatis, & redditibus unicuique oneri attributis; necnon eorum diminutionibus diligenter perquisitis, atque perpensis, & præsertim an diminutiones istæ perpetuæ sint, vel temporaneæ, distinctam, atque fidelem descriptionem ad eumdem Patrem Generalem transmittant, qui una cum dictis Patribus Assistentibus, pro eorum omnium, conscientia (cujus ratione Supremo Judici Christo Domino se districte reddituros meminisse debebunt) unamquamque perpetuam Missam moderari valeat, & reducere ad rationem eleemosynæ scutorum sexaginta monetæ Romanæ pro qualibet.*

Postmodum anno 1725. Minister Generalis ejusdem Ordinis supplex petiit, & impetravit a san. me. Benedicto XIII. ut sibi ad eamdem normam reducere liceret *etiam onera activa Conventuum suæ Religionis.*

Interpretatio, quam dicti Religiosi tribuunt voci illi -- *onerum activorum* - est hæc, ut scilicet onera activa pro Missis celebrandis sint legata ab hæredibus præstanda in hoc sensu, ut bona huic oneri obnoxia non fuerint translata in Cœnobia, sed remaneant penes hæredes Fundatorum, a quibus solvi debeat eleemosyna pro injuncta celebratione Missarum.

Præsides Religionis Indultum executioni demandarunt moderando Missarum onera, tam (ut ajunt) *passiva*, videlicet inhærentia bonis jam translatis in Cœnobia, quam *activa*, nimirum consistentia (ut dictum est) in legatis, quorum fundi manent penes hæredes eorum, à quibus relicta fuerunt. Sed in Sacra Congr. Visitationis dubitatum fuit, an Indultum Pontificium faciat etiam potestatem moderandi ea Missarum onera

onera, pro quibus solvitur ab hæredibus annua certa quantitas pecuniæ, quæ exæquet quidem eam eleemosynam manualem, quæ dari solet pro Missis celebrandis, vel eam quoque excedat, sed tamen non attingat annuam summam scutorum sexaginta monetæ Romanæ, ad cujus normam reduci permisit Pontifex singula onera perpetua Missæ quotidianæ. Itaque jam inde ab anno 1731. eadem Sacra Congr. Visitationis petiit ab hac Sac. Congr., ut quæstionem istam decideret.

Putant Fratres eamdem Indulti rationem vigere, ubi etiam agatur de annuis certis præstationibus cum Missarum onere, quia existimant Pontificem eo potissimum animo fuisse, ut mitigato Missarum numero, adeoque aucta pro singulis Missis eleemosyna, commodiora subsidia obvenirent Cœnobiis ad alendos Religiosos.

Obstare tamen videtur resolutio, quam hæc Sac. Congr. edidit die 22. Martii superioris anni *in Romana reductionis oneris Missarum*. Cum enim postulassent Clerici Regulares Barnabitæ, S. Caroli ad Catinarios declarari, an simili Apostolico Indulto uti possent ad moderandum quoque onus perpetuum Missæ quotidianæ, pro cujus celebratione ex legato Clementis Boncompagni Archiconfraternitas SS. XII. Apostolorum solvit eisdem Patribus annuam certam summam scutorum 48. nulli obnoxiam periculo detrimenti, Eminentissimi PP. unanimiter responderunt, Indultum quo ad eum casum non suffragari.

Ad declinandam tamen vim hujusmodi resolutionis animadvertunt Minores Conventuales, quod Clerici Regulares Barnabitæ non alio suffulti erant Indulto, quam concepto juxta formulam priori loco superius exscriptam, in qua nulla habetur peculiaris mentio de oneribus activis. At vero ipsi Minores Conventuales, præter primum Indultum, obtinuerunt illud etiam extendi *ad onera activa*.

Cæterum examinari oportet, an hujus vocis ea sit propria significatio, quam Patres arbitrantur; an vero potius significet casum, quo ex. gr. Cœnobium possideat hæreditatem aliquam cum onere faciendi, ut Missæ celebrentur in alia Ecclesia, eique solvendi eleemosynam. Et nihilominus posita etiam interpretatione ab eis tradita, adhuc non parum interesse videtur, an legatum pro Missis celebrandis ita relictum sit, ut hæredes jussi fuerint curare, quod Missa quotidie celebretur a Religiosa Familia alicujus Cœnobii, soluta ei congrua eleemosyna ex fructibus fundi perpetuo manere debentis apud hæredes; an vero legatum consistat in annua præstatione pecuniæ in summa a Testatore ipso taxata, quæque abunde sufficiat ad præscriptum Missarum onus implendum. In priori enim hypothesi contingere potest diminutio fructuum ejus fundi, qui fuerit assignatus in dotem oneris Missarum, quamvis ille penes hæredes existat. At hoc periculum abest ab annua præstatione pecuniæ, cujus quantitas ex determinatione ipsius Testatoris certa sit, & invariabilis.

Proferunt denique Patres prorogationem Indulti impetratam à Sanctissimo D. N., cui in precibus exposuerunt se jam obtinuisse à Prædecessoribus Pontificibus facultatem *pro reductione Missarum solemnium, onerum activorum, seu annuarum præstationum.* Sed in rescripto Sanctitatis Suæ fit solum mentio generalis de oneribus Missarum, non autem peculiariter de annuis præstationibus. Ac præterea nihil novi tribuere sensit Sanctissimus, sed dumtaxat prolatare tempus ad exequutionem facultatis, quam ipsi Religiosi narrarunt sibi jam ante concessam fuisse.

Placeat itaque EE. VV. decernere.

An Fratribus Minoribus Conventualibus suffragetur Indultum pro reducendis

cendis oneribus perpetuis Missarum, etiam quando pro illis relictæ fuerunt certæ annuæ præstationes, quæ tamen non attingant annuam summam scutorum sexaginta monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidie celebrandain ca su &c.

Die Sabbathi 28. Februarii 1733.



Inæ, quæ subjicientur Causæ, quæque discuti non potuerunt in Congregatione habita die 7. exeuntis mensis, hodiernam expectant definitionem.

ROMANA REDUCTIONIS ONERUM MISSARUM.

An Fratribus Minoribus Conventualibus suffragetur Indultum pro reducendis oneribus perpetuis Missarum, etiam quando pro illis relictæ fuerunt certæ annuæ præstationes, quæ tamen non attingant annuam summam scutorum sexaginta monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidiè celebranda in casu &c. Sess.22. Decr. de observ. & evit. in celeb. Miss.

Negative, & amplius.

ARIANEN. CANONICATUUM.

Sess.22. c.3. de ref.

I. An substineatur erectio trium Canonicatuum ab Episcopo facta anno 1714. in Ecclesia Collegiata S. Angeli. *Et quatenus affirmative.*

II. An substineantur pacta occasione ipsius erectionis inita inter antiquos, & novos Canonicos. *Et quatenus affirmative.*

III. An Canonici novi teneantur contribuere ad omnes impensas necessarias, tam pro Ecclesia, quam pro Divinis Officiis, prout tenentur Canonici antiqui.

IV. An iidem Canonici teneantur interesse Choro, dum adimplentur onera perpetua spectantia ad antiquos Canonicos.

V. An emolumentum proveniens ex tumulatione puerorum, quorum associationi interesse non solent, neque antiqui, neque novi Canonici, spectet privative ad antiquos, sive potius participare illud debeant etiam novi Canonici.

VI. An prohibendum sit Canonicis antiquis concordare, seu diminuere funeralia emolumenta in damnum Canonicorum novorum.

VII. An jus accrescendi ob absentiam alicujus ex Canonicis, sive novis, sive antiquis in emolumento associationis Cadaverum, spectet dumtaxat ad antiquos, vel potius dividi illud debeat inter novos, & antiquos.

VIII. An quando omnes Canonici novi absint à Choro, eorum punctaturæ dividi debeant inter antiquos Canonicos, qui sunt præsentes, seu potius inter ipsosmet novos Canonicos, & viceversa si omnes

Canonici antiqui absint, an eorum punctaturæ accrescant novis Canonicis tantum præsentibus.

IX. An legata pia tam Missarum, quam Anniversariorum a Testatoribus relicta Capitulo spectent privative ad antiquos Canonicos, vel potius ea participare debeant etiam Canonici novi.

X. An Canonicus exercens curam Animarum tamquam Vicarius deputatus ab Episcopo ad nutum amovibilis, debeat lucrari emolumentum duplicatum, seu potius tantum emolumentum uti Vicarius.

XI. An Canonicus Clericus prius receptus in Capitulum debeat præcedere Canonicum Presbyterum postea receptum.

XII. An Præfectus Chori in rebus ad chori disciplinam spectantibus valeat multam Canonicis in obsequentibus irrogare, illam in schedula annotare, & occasione divisionis redditiuum Canonicalium ad commodum Ecclesiæ applicare.

XIII. An Procurator pro exigendis emolumentis funerum deputandus sit vicissim, hoc est uno anno ex Canonicis antiquis, & alio ex novis in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess. 24. c. 3. de ref. matr.

GALLIPOLITANA SPONSALIUM. Sponsalibus inter Lucretiam Manieram, & Cajetanum Roccium initis contradictorem se præbuit Francus de Acugna, propterea quod puella ipsi Franco prius de scripto, (non tamen interposita jurisjurandi religione), desponsa fuerat. Id quidem non revocatur in dubium: sed Lucretia, jamdiu Parentibus orbata, in Curia Episcopali pluros proposuit causas, ob quas sibi licere putabat à fide Franco data discedere. Potissimum vero, tum quod inconsulto, clanculum, ignarisque omnibus suis propinquis, syngraphæ sponsaliorum subscripserat, re autem comperta à Fratre, Avunculo, aliisque affinibus, omnes id adeo ægre tulerant, ut gravia inde dissidia manaverint, & graviora sint pertimescenda, si inter Lucretiam, & Francum nuptiæ inirentur: tum quod eadem Lucretia nesciverit Francum antea sibi conjugem petiisse aliam Puellam, eique suam obligasse fidem: tum demum quod Francus convicia, & calumnias in ipsam Lucretiam evomuerit.

Episcopus hoc prudens iniit consilium, ut ipse, adstante etiam suo Vicario Generali, voluntatem Lucretiæ exploraret. Adeo autem illa se abhorrere á nuptiis cum Franco contrahendis declaravit, ut nunquam se id assensuram disertis protestata fuerit verbis, etiamsi acerbissima quæque sibi impenderent. Puellam deinde demigrare jussit Episcopus ad Asceterium Puellarum Civitatis Neritonensis, ubi tam caute custodita fuit, ut nulli extremo eam alloqui licuerit. Cumque ibidem ambo Antistites, Gallipolitanus, & Neritonensis iterum sententiam Lucretiæ per se ipsos indagassent, eam invenere tam obfirmato animo in hoc rejiciendo conjugio, ut nec etiam denuntiata anathematis pœna, dimoveri ab ea sententia potuerit. Aliquo temporis spatio interjecto, rursus Episcopus Neritonensis a Gallipolitano Præsule rogatus mentem Puellæ fuit perscrutatus: sed ea propositi sui tenax quicquid antea dixerat jurejurando etiam confirmavit.

Quam ob rem, servatis servandis, Vicarius Generalis Episcopi Gallipolitani decrevit licere Lucretiæ Matrimonium juxta Tridentinas leges cum

cum alio quovis homine inire. Ab hujusmodi autem definitione provocavit Francus, & res ad hanc Sac. Congr. delata est.

Porro ob justam causam licere à Sponsalibus resilire, etiam sine mutuo utriusque Sponsi consensu, habetu. *in Cap. Quemadmodum de jurejur.* Et minus etiam gravem causam requiri, ubi sponsalia non fuerint juramento firmata, tradit *Rot. dec.*19. *num.* 30. *par.*10. *rec.*, *& dec.*44. *n. fin. cor. Cavaler.*

Hinc aliqua probabili causa suffragante, abstinendum esse à coactione reluctantis Sponsi, & permittendas nuptias cum alio, censuit Sac. Congr. in *Senogallien. Sponsalium* 1. *Septembris* 1714. *lib.*64. *Decretor. pag.*346., *& in Majoricen. Sponsalium* 24. *Aprilis* 1723. *lib.*73. *Decret. pag.*369. *terg.*, *& in Mediolanen. Sponsalium* 13. *Julii* 1725. *lib.*75. *Decret. pag.*353., *& in Neapolitana* 17. *Aprilis* 1728. *lib.*78. *Decret. pag.*275. *terg.*

Erit itaque definiendum.

An Lucretia possit Matrimonium contrahere cum quo maluerit in casu &c.

Affirmative, & amplius.

VULTURARIEN. JURISDICTIONIS. Ad Hierosolymitanum Prioratum Baruli pertinet Oppidum Alberona. Episcopus Vulturariensis contendebat Oppidum illud esse in sua Diœcesi. Contra autem Magnus Prior Baruli propugnabat illud esse Nullius Diœcesis, adeoque minime subjectum jurisdictioni Episcopi Vulturariensis. *Sess.7. cap.8 de Reform.*

Controversia olim delata ad hanc Sac. Congr., die 24. Februarii 1652. hoc prodiit Decretum -- *Episcopum Vulturariensem potuisse, uti delegatum Sedis Apostolicæ, visitare Ecclesiam Parochialem S. Mariæ Terræ Alberonæ Religionis Hierosolymitanæ, & in Visitatione Decreta edere in concernentibus curam Animarum, administrationem Sacramentorum, adimplementum onerum ex piis depositionibus provenientium, illaque esse executioni demandanda* -- Die vero 5. Junii 1655. hoc additum fuit Rescriptum -- „ Episcopo Vulturariensi competere jus ap- „ probandi Confessarios in Ecclesiis prædicti Prioratus, nec non bene- „ dicendi, & respective licentiam impertiendi Prædicatoribus in eisdem „ Ecclesiis concionantibus, donec constiterit per rem judicatam dictum „ Prioratum esse nullius, & habere Territorium separatum cum jurisdi- „ ctione quasi Episcopali, „ ut in *lib. Decret. pag.*173., *& pag.*475., & habetur etiam apud *Card. de Luc. de Jurisdict. disc.*3.

Postmodum anno 1663. confirmatis eisdem resolutionibus datæ simul fuerunt litteræ remissoriales ad novas probationes conficiendas: quibus allatis, cum die 23. Januarii 1666. Causa iterum discussa fuisset, Sac. Congr. eam remisit ad Rotam, in cujus tamen Auditorio nihil deinde actum fuit.

Interea vero, scilicet anno 1711., S. M. Benedictus XIII., tunc Archiepiscopus Beneventanus, cum ex Pontificia delegatione visitaret Ecclesiam Vulturariensem, per Decretum declaravit, Oppidum illud, quod asserebatur *Nullius*, non esse territorium separatum, sed subjectum jurisdictioni Episcopi Vulturariensis.

Instauratis anno 1728., tum veteribus, tum novis quæstionibus, Pontifex eas dirimi jussit judicio hujus Sac. Congr., adjectis tamen his verbis -- *præterquam quoad qualitatem Nullius.* Quamobrem die 19. Novembris 1729. proposita fuerunt octo Dubia, nec ulla prodiit eorum decisio.

Postea die nimirum 21. Aprilis 1731. rescriptum fuit -- *Quo ad qualitatem Nullius, ad Rotam* -- Rursus die 9. Februarii 1732. non solum illa octo, sed, & alia duo Dubia discussa fuerunt. Tunc verò Sacra Congr. ita rescripsit - ,, Dilata, & firma remanente remissione Causæ quoad ,, qualitatem Nullius ad Rotam,& firmis quoque remanentibus Decretis ,, anni 1652., & 1665. Episcopus interim utatur jure suo in exercitio ,, Jurisdictionis ordinariæ.

Huic rescripto reclamavit, iterumque reclamat Magnus Prior, ejusque etiam nomine Sacra Hierosolymitana Religio. Inquit enim nunquam ab Episcopo probatum fuisse, quod Oppidum Alberona sit intra fines suæ Diœceseos: Regulam vero illam, ut Episcopo assistat jus commune circa titulum, & exercitium jurisdictionis ordinariæ in aliquo Territorio, tunc solum sibi vindicare locum, ubi certa sit, & non controversa existentia talis Territorii in sua Diœcesi, quemadmodum explicat *Fagnan. in Cap. cum dilectus n.*15., *& sequen. de Relig. domib.*

Negat præterea Magnus Prior Episcopum ordinariam jurisdictionem unquam hactenus exercuisse in eo Oppido, sed superiori tempore eum tantummodo exoptasse, ut sibi tamquam viciniori retinere liceret exercitium jurisdictionis delegatæ in respicientibus curam animarum, & administrationem Sacramentorum, necnon circa Ordinum collationem, concursum ad Beneficia Parochialia, approbationem Confessariorum, aliaque huius generis. Itaque in medium etiam proferuntur litteræ testimoniales Episcopi de Ordinibus collatis, hac adhibita verborum formula --,, Clericum N. N. Terræ Alberonæ Nullius, ut asseritur, sed ,, nobis tamquam viciniori quoad curam animarum, administrationem ,, Sacramentorum, Ordinum collationem, aliaque spiritualia immediate subjectæ.

Addit postremo Vicarium Generalem Magni Prioris in prædicto Oppido, anno 1695.jussu hujus Sacræ Congr. interfuisse Synodo Provinciali tunc habitæ ab Archiepiscopo Beneventano, adeoque eumdem Magnum Priorem habitum fuisse, tamquam Ordinarium in eo Castello, ut etiam refert *Eminentissimus Petra tom.*5. *ad Constit.*3. *Pii II. sub num.*23.

His vero positis, concludit attribui interim non posse Episcopo Vulturariensi exercitium ordinariæ jurisdictionis, qua hactenus potitus non fuit; sed prius examinandam, ac definiendam esse à Sacra Rota quæstionem, an Oppidum ipsum existat intra fines Diœcesis Vulturariensis, an vero constituat Territorium separatum, in quo jurisdictio quasi Episcopalis competat Magno Priori.

At pro Episcopo respondetur Territorium separatum, & pleno jure subjectum Prælato inferiori non præsumi, nisi certis documentis id ab eo comprobetur; Episcopo autem ex juris præsumptione satis esse, quod locus conterminus suæ Diœcesi,& quem nullus alter Episcopus contendat sibi esse subjectum, ad suam ipsam Diœcesim pertinere censeatur, ut apud *Eminentissimum Petram to.*2. *ad Const.*6. *Alex.III. num.*32. *& seqq.*, *Rot. dec.*338. *num.*10. *& seq. cor. Priolo*, *& dec.*126. *num.*3. *&* 4. *cor. Carillo,& dec.*578. *n.*1., *&* 2. *dec.*912. *n.*2. *coram Buratto*, *& dec.*130. *n.*4. *& seq. par.*8. *rec.*

Potissimum vero, quia donec Episcopus plures causas, tam Criminales, quam Matrimoniales incolarum Alberonæ fuisse in sua Curia Episcopali agitatas.

Addit quoque animadvertendum esse, tum quod Decretum editum anno 1652. refertur dumtaxat ad Ecclesiam, ex privilegiis Ordini Hierosolymi-

lymitano competentibus exemptam, proindeque non repugnat, Episcopum in toto Oppido potiri jurisdictione ordinaria, in ea vero Parochiali Ecclesia exempta solam delegata: Tum etiam quod Episcopus in litteris testificantibus collationem Ordinum enunciavit Alberonam non absolute tamquam *Nullius*, sed caute addita ea voce - *ut asseritur*.

Pertinet igitur ad EE. VV. decernere.

An sit standum, vel recedendum à decisis die 9. Febr. 1732. *in casu &c.*

In Decisis juxta modum, & interim sine præjudicio jurium ambarum Partium, Episcopus exerceat omnia ea, quæ pertinent ad jurisdictionem Ordinariam authoritate S. Congregationis.

CAPUTAQUEN. CONCORDIÆ. In Oppido Sicignano binæ sunt Ecclesiæ Parochiales, altera dicata S. Matthæo Apostolo, & altera S. Margharitæ, ad quas etiam aggregari solent omnes Presbyteri incolæ. Rector Ecclesiæ S. Matthæi appellari consuevit Archipresbyter, Rector vero alterius Primicerius. *Cap. 11. sess. 24. de Ref.*

Turbas haud leves diu excitaverat mutua contentio de præstantia, & prærogativa. Anno tamen 1730. adnitente in primis sacro Missionario, & assentientibus quoque Rectoribus Universitatis, finem controversiis imposuit concordia pluribus pactionibus concepta, cujus confirmationem ab Apostolica Sede omnis Clerus postulavit, eamque interea ad effectum re ipsa perduxit.

Pacta inita hæc potissimum sunt. Primo, quod utraque Ecclesia deinceps constituat unum corpus, quasi una esset Ecclesia, collatis etiam in unum acervum redditibus.

Secundo, quod Processionum initium, tum ab una, tum ab altera Ecclesia ducatur per vices, unicam præferendo Crucem.

Tertio, quod alternatim Quadragesimales Conciones in una tantum earumdem Ecclesiarum habeantur.

Quarto, quod Archipresbyter utrique Ecclesiæ præsidens dimidia cujusque anni parte in unaquaque resideat, sublata Parochianorum distinctione, iisque habitis instar unius gregis.

Quinto, quod post Archipresbyterum proximus ab eo sit Primicerius, & penes istos sit indiscriminatim cura Animarum; quodque obeunte Archipresbytero, statim semperque jure suo in Archipresbyteralem Dignitatem succedat Primicerius.

Sexto, quod in Processionibus inter Dignitates, & Presbyteros utriusque Cleri, is potioris loci ordo servetur, quem cujusque major in accepto gradu antiquitas tribuet, firmo etiam manente eo Presbyterorum participantium numero, qui hactenus fuit in utraque Ecclesia.

Septimo, quod eligatur unus Procurator, qui communes proventus administret, & quoad funera servetur solitum.

Octavo, quod sacra suppellex utriusque Ecclesiæ sit communis quoad usum.

Nono, quod utrique Ecclesiæ servitium præstetur, & in utraque Missarum oneribus satisfiat juxta normam, & ordinem in tabellis præscribendum,

Decimo, quod emolumenta provenientia ex jure stolæ sint communia inter Archipresbyterum, & Primicerium.

Undecimo, quod novum conficiatur sigillum, in quo impressæ sint Imagines

nes S. Matthæi, & S. Margharitæ, & utriusque Ecclesiæ privilegia sint invicem communia.

Duodecimo, quod de duobus Cantoribus, qui nunc sunt, postquam alter objerit; unus deinceps remaneat; vice autem alterius eligatur à Clero Presbyter, nuncupandus Magister Cæremoniarum.

Episcopus laudavit, & approbandam censuit hujusmodi concordiam, excepto tantum eo capite, quo Primiceriotribuitur jus succedendi in Archipresbyteralem Dignitatem, quotiescumque eam per obitum Archipresbyteri vacare contigerit; id enim putat canonicis sanctionibus adversari.

Eminentissimus Belluga rogatus rem omnem perpendere, suamque sententiam aperire, respondit Transactionem sibi videri bene oonstitutam, præter quam quoad suppressionem unius Cantoratus; nam cum Divina Officia persolvenda in duabus Ecclesiis sint, retinendum existimat morem eligendi in unaquaque Cantorem. Cæterum Eminentia Sua authumat absurdum non esse, quod Primicerius in quacumque vacatione assequi ipso jure debeat Archipresbyteratum quia concussus, qui non habebitur in conferendo Archipresbyleratu, habendus erit in conferendo Primiceriatu, & transitus ab una ad alteram Dignitatem fiet quasi jure optionis, quæ in pluribus Collegiis est usitata.

At sunt, qui hujusmodi concordiæ contradicunt. Reclamat enim Sacerdos Antonius Grassius adscriptus Ecclesiæ S. Matthæi. Reclamatum itidem fuit nomine Magistratus Oppidi Sicignani. Sed Episcopus significavit, falso in precibus huic Sacræ Congr. oblatis usurpatum fuisse nomen ejusdem Magistratus.

Perpensis igitur rationibus, quæ tam ad tuendam, quam ad impugnandam concordiam utrinque exponendum, definiendum ab EE.VV. erit.

An concordia sit confirmanda in casu &c.

Affirmative, ita tamen ut Cura habitualis sit solum penes Archipresbyterum, actuale videlicet ejus exercitium penes Archipresbyterum, & Primicerium, necnon retineatur Cantor in utraque Ecclesia.

Cap. 17. sess. 24. de Ref.

VERULANA. In Ecclesia Parochiali S. Pauli, quam Collegiatam esse decisum olim fuit *à Sac. Rot. in decis.690. coram Pœnia edit. Lugdun.* non solum est Parochus, qui appellatur Abbas, sed sunt etiam sex Beneficiati, ejusdem Ecclesiæ servitio addicti. Pluribus autem jam pridem exortis controversiis inter Parochum, & Beneficiatos, proposita primum fuerunt in hac Sacra Congr. die 20. Decembris 1721. XXV. Dubia, sed iis deinde redactis ad tria, nimirum.

I. *An in Ecclesia S. Pauli omnimoda Cura Animarum resideat penes Abbatem Parochum, vel actualis tantum.*

II. *An administratio bonorum, & redditum Ecclesiæ spectet privative ad Abbatem.*

III. *An dicto Abbati debeatur duplicata portio fructuum etiam ex legatis Piis provenientium*

Die 14. Martii 1722. rescriptum fuit- *Ad I. Affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam - Ad II. Negative - Ad III. affirmative - ut in lib.72. Decret. pag.93.*

Postmodum disceptata fuere totidem hæc alia Dubia.

I. *An frumenta, & panis, quæ in Ecclesia S. Pauli à Parochianis in Festo*

Festo omnium Sanctorum deferuntur, spectent ad Massam communem, vel ad Parochum.

II. *An omnia emolumenta funerum spectent ad prædictam Massam, vel ad Parochum.*

III. *An Beneficiati non participantes de emolumentis Curæ, teneantur ad onera, & ad expensas ejusdem Curæ.*

Quibus die 15. Januarii 1724. responsum fuit -- *Ad Eminentissimum Præfectum in omnibus* - Eminentia vero Sua *ad Primum declaravit frumentum spectare ad Parochum; Panem vero ad Massam communem. Ad Secundum declaravit mappas, & cereum spectare ad Parochum; Candelas vero, & pecunias spectare ad Massam, & distribuendas esse præsentibus, & associantibus. Ad Tertium per modum provisionis, & sine præjudicio jurium ambarum Partium, mandavit pro nunc servari solitum, donec aliter declaratum non fuerit.*

Hujusmodi declarationes impugnant Beneficiati, contendentes ex veteri more omnes oblationes, & emolumenta, de quibus agitur in præmissis Dubiis, communicari inter omnes consuevisse. (Parocho tamen assignata duplicata portione) idque etiam esse rationi consentaneum, propterea quod ipsi quoque Beneficiati inserviunt Ecclesiæ Parochiali, ejusque onera communiter sustinent. Itaque concludunt, vel communicanda esse cum eis quæcumque emolumenta, vel saltem declarari oportere, nihil ab ipsis Beneficiatis esse contribuendum pro sumptibus ad curæ exercitium spectantibus.

Pertinet igitur ad EE. VV. decidere.

An sit standum, vel recedendum à declarationibus editis anno 1724. *in casu &c.*

Ad eumdem Eminentissimum Præfectum.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Marchio Prosper Costagutus emit duodecim loca Montis Sixti, quibus deinde anno 1644. subrogavit octo loca Montis Bentivoli, & quatuor loca Montis Qualenghi, ad commodum puellarum nubilium, quarum electionem prius ad seipsum spectare voluit, ac deinceps ad eos, qui succederent in Primogenituram conditam ab Ascanio Costaguto. Annuos vero redditus constituentes summam scutorum sexaginta distribui jussit, vel inter duas, vel inter quatuor Puellas, assignatis nimirum cuique, vel scutis triginta, si binæ fuerint, vel quindecim, si fuerint quatuor. Hæc deinde verba adjecta fuerunt -- ,, In casum extractionis pretium reinvestiri ,, debeat in aliis locis Montium non vacabilium ab favorem earumdem ,, Puellarum, sed cum expresso consensu in scriptis dicti D. Prosperi, ,, si supervixerit, sin minus illius, ad quem spectabit nominatio, ut ,, supra, & hæredes dicti D. Prosperi teneantur supplere de proprio ,, quidquid deerit pro hujusmodi reinvestimento, ad effectum ut semper ,, reinvestimentum sit ejusdem redditus, & non aliàs &c; *Sess. 24. c. 4. de ref.*

Rursus anno 1685. idem Marchio Prosper emit alia tresdecim loca Montis S. Petri cum tertia parte alterius loci, itidem pro Puellis, quæ essent nupturæ. Annuos vero fructus in summa scutorum sexaginta jussit dari sex talibus Puellis, quas eligendi jus attribuit eisdem memoratis Primogenitis, quorum in arbitrio etiam posuit, vel duas nominare, assignando cuique subsidium scutorum triginta, vel sex cum subsidio scutorum decem, hisce postea subjectis verbis -- ,, quæ loca ut supra resignata ,, stare debeant semper, & in perpetuum pro fundo, & assignamento ,, Dotium distribuendarum dictis Puellis, ut supra nominandis sub expressa

,, pressa conditione, & prohibitione, quod ullo unquam tempore, &
,, quavis causa, & prætextu in totum, vel in partem non possint vendi,
,, & alienari, & in eventum extractionis, vel extinctionis dictorum lo-
,, corum in partem, vel in totum, pro rata extincta, vel extracta pre-
,, tium solvi debeat illi Patrono, ad quem tunc temporis spectabit di-
,, ctum jus nominandi, ac disponendi, ad effectum tamen illud in actu
,, solutionis reinvestiendi in aliis locis Montium Cameralium non va-
,, cabilium Romanæ Curiæ ad favorem dictarum Puellarum, ut supra
,, nubentium, pro fundo, & assignatione Dotium dictis Puellis distri-
,, buendarum, & non aliàs, ad effectum, ut semper reinvestimentum sit
,, ejusdem redditus scutorum sexaginta - ,, quemadmodum habetur in litteris, ut vocant, patentibus dictorum locorum Montium; non enim de hujusmodi pia dispositione aliud extat documentum.

Fructus locorum Montium, ut notum est, auctoritate Principis diminuti fuerunt, ideoque mox dicta loca Montis S. Petri non majorem conferunt proventum, quam in annuis scutis quadraginta. Alii vero duo Montes, nempe Bentivolus, & Qualengus multo minus hodie reddunt in annuo fructu, qui etiam raro exigitur. Inde vero factum est, ut subsidia dotalia hactenus collata fuerint in ea dumtaxat quantitate pecuniæ, quæ ex dictis locis Montium percipi singulis annis potuit.

Sed cum ab Administris Rev. Fabricæ S. Petri, quæ præest executioni legatorum piorum, hodiernus Marchio Costagutus fuerit monitus, ut doceret satisfactum fuisse largitioni subsidiorum dotalium à Marchione Prospero præscriptæ, censuit Sacra Congr. ejusdem Rev. Fabricæ exquirendam ab hac Sac. Congr. Decisionem quæstionis, an ex aliis bonis ad hæreditatem dicti Marchionis Prosperi spectantibus suppleri debeat quantum deest in annuo redditu eorum locorum montium, ut scilicet quotannis in subsidia dotalia erogentur scuta viginti supra centum.

Marchio Costagutus existimat sarciendum ex aliis proventibus non esse quidquid detrimenti absque ejus culpa subjerunt loca montium, sed illud cedere damno Puellarum, tum quia ipsa loca montium fuerunt acquisita pro Puellis dotali subsidio indigentibus, quasi translato in eas dominio, cui consectarium solet esse quidquid, sive lucri, sive damni circa rem ipsam accidit: tum etiam quia nnn agitur de legato annuorum scutorum centum viginti, quam scilicet pecuniæ summam jussi fuerint solvere hæredes pro subsidiis dotalibus; sed solum de assignatione ipsorum locorum Montium in eam causam piam facta, tametsi habita etiam fuerit mentio de annuorum proventuum quantitate, quæ tunc temporis ex talibus locis Montium percipiebatur, ut in affinibus terminis observant *Card. de Luc. de donat. disc.*52. *num.*6., *Gratian. discept.*620. *num.*23. *Rot. dec.*62. *n.*29. *part.*11., *& dec.*433. *coram Cerro*, *& in Romana Supplementi*, *& Applicationis* 11. *Junii* 1731. *coram Reverendissimo Patriarcha Aldrovando*.

At contra Marchionem Costagutum animadverti potest pium largitorem præcipue habuisse respectum annuorum fructuum in summa scutorum centum viginti, cum diserte præscripserit summam singulis Puellis assignandam, distr buta inter illas quantitate scutorum centum viginti singulis anni; circa quod videri possunt tradita ab *Ansald. de Commerc.*, *& Merc. disc.*71. *num.*30., *& seqq. Rot. Florent. apud de Comitib. dec.*46. *n.*13., *& seqq. Sac. Rot.* 165. *n.*18. *par.*16., *& dec.*352. *cor. Molines*.

Eoque etiam magis patefacere hanc ejus mentem videtur declaratio illa in-

serta

ferta prioribus litteris -- *Hæredes teneantur supplere de proprio quidquid deerit pro hujusmodi reinvestimento*, *ad effectum*, *ut semper reinvestimentum sit ejusdem redditus* -- itemque alia adjecta in aliis litteris, ibi -- *Ad effectum ut semper reinvestimentum sit ejusdem redditus scutorum sexaginta* -- Quamquam enim detrimentum, quod contigit circa fructus, non versetur in iis casibus, de quibus eo modo cavit Marchio Prosper, scilicet diminutæ sortis propter extractionem Locorum Montium; non tamen dispar est ratio, in eo potissimum posita, quod juxta voluntatem pii donatoris annuus redditus numquam debet esse minor scutis viginti supra centum, etiamsi diminutio contingeret ex facto Principis, cujusmodi est extractio Locorum Montium, de qua ille cogitavit, imposito hæredibus onere supplendi de proprio.

Non aliena a præsenti disceptatione videntur Responsa quædam aliàs edita ab hac Sacr. Congr. -- *In Brixien. reductionis Missarum* -- legatum ita fuerat conceptum -- *Lascia*, *che l' infrascritte sue Eredi siano obligate subito dopo la morte sua assegnare tanti suoi Beni a i Reggenti della Scuola del Santissimo Rosario della Terra di Ludriano*, *quanti siano sufficienti colli frutti*, *che de essi si caveranno*, *di far celebrare una Messa Quotidiana al detto Altare del Santissimo Rosario*, *dovendo detti Reggenti aver cura*, *acciò detta Messa sia celebrata perpetuamente* -- Cum autem post obitum Testatoris hæredes assignassent Rectoribus Scholæ certa Prædia reddentia in annuo fructu quantum satis erat ad Missam Quotidie celebrandam, sed tempore procedente diminuti annui proventus fuissent, nihilominus die 1. Decembris 1685. rescriptum fuit -- *Hæredes non teneri ad supplendum*, ut in lib.35. Decr. pag.487.

In Romana Dotis Cappellaniarum actum fuit de legato, in quo Princeps Camillus Pamphilius ita caverat -- *Voglio*, *ed ordino*, *che il mio Erede*, *seguita la mia morte*, *debba assegnare alla detta mia Chiesa di S. Agnese tanto capitale*, *che frutti scudi* 400. *l'anno*, *acciò di quelli si celebrino ogn' anno in perpetuo*, *finchè durerà il Mondo*, *tante Messe per suffragio &c. dando facoltà al medemo mio erede*, *che per la celebrazione delle dette Messe possa deputare tanti Cappellani a suo nuto amovibili*, *quanti a lui parerà convenienti* -- Translulit hæres ad Ecclesiam S. Agnetis centum Loca Montium, quæ tunc reddebant in annuo fructu scuta quadringenta: sed diminutis deinde ex lege Principis annuis proventibus Montium, die 13. Junii 1722. propositum fuit Dubium -- *An sit locus reductioni Cappellanorum*, *seu potius supplemento* -- prodiitque Rescriptum -- *Ad primam Dubii partem negative Ad secundam iterum proponatur* -- ut in lib.72. Decr. pag.271.

Eodem anno 1722. proposita etiam fuit Causa *Bononien.* in cujus hypothesi Testator fidei hæredum commiserat, *che s' investino lire seimila in tanti crediti di Monte*, *o altra cosa stabile*, *e sicura*, *e si consegni detta investita*, *e sua entrata all' Opera*, *e Congregazione del Catecumeno* -- per cujus Congregationis Præsides jussit erogari annuos proventus in celebrationem Missarum juxta numerum ab eo præscriptum. Verum cum ii proventus impares essent injuncto oneri, quæsitum fuit, num satis esset tradi ab hæredibus bona empta pretio librarum sex millium, an vero oporteret bona tradenda reddere tantum in annuo fructu, quantum sufficere posset ad præscripti oneris implementum. Die vero 19. Septembris Sac. Congr. rescripsit -- *Affirmative ad primam Dubii partem*, & *negative ad secundam* -- ut in lib.72. Decr. pag.460.

Placeat itaque EE. VV. declarare.

I. *An hæredes teneantur ad præstandum supplementum*. Et quatenus negative.

II. *Quomodo sit providendum in casu &c.*

Dilata, & proponatur in prima.

Sess. 22. c. 3 de ref.

ROMANA REDUCTIONIS ONERUM. Joannes Andreas Castellanus majorem patrimonii sui partem anno 1645. donavit Ecclesiæ dicatæ Almæ Domui Lauretanæ in hac Urbe, eamque etiam deinde hæredem scripsit. Plura autem pia onera imposuit; in donatione quippe jussit tres Missas quotidie celebrari; subsidium dotis in scutis triginta quotannis dari decem Puellis; victum, & vestitum subministrari decem Alumnis cuique eorum assignatis annuis scutis centum; ac deinde ita cavit -- *Il resto delle sue Entrate serva per doti delle sudette tre Messe in perpetuo, come sopra, per la manutenzione della Fabrica, per servizio della Processione solita da farsi ogn' anno, per ornamento della Sagrestia della Santa Cappella, o altri bisogni, ed urgenze, che saranno giudicate opportune dall' Eminentissimo Signor Cardinale Protettore pro tempore*. In Testamento autem addidit onus alendi sex alios Alumnos in Collegio Piceno, qui progressu temporis ob diminutionem reddituum redacti fuerunt ad quatuor.

Anno 1729. ii, qui præsunt memoratæ Ecclesiæ, exposuerunt Sac. Cong. expensum superari ab accepto in annuis scut. 127. & obul. 60., ideoque supplices petierunt non solum tolli sumptum, quem subire hæreditas Castellana solebat in annuis scut. 75. ad recolendam cum musico concentu memoriam translationis Almæ Domus Lauretanæ, sed etiam supprimi unum ex locis Alumnorum per Testamentum additis. Die vero 3. Decembris ejusdem anni 1729. proposito Dubio -- *An, & quomodo sit precibus annuendum* -- Rescriptum fuit -- *Pro deletione Musicæ, & ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem*. Sublato jam eo onere, Gubernatores Ecclesiæ exponentes adhuc reliquis oneribus impares esse annuos proventus hæreditatis, quos excedere ajunt onera illa in annuis sc. 52. & ob. 60., iterum postulant liberari Ecclesiam ab alimentis subministrandis uni ex Alumnis.

Eminentissimus Laurentius de Alteriis Protector pluribus de causis annuendum postulatis non censet, ut ex ejus litteris EE. VV. cognoscere poterunt. Itaque examinandum rursus proponitur.

An, & quomodo sit precibus annuendum in casu &c.

Satis provisum, & amplius.

Sess. 25. c. 9. de Ref.

GERUNDEN. JURISDICTIONIS. Ex veteri more, quem approbavit Sac. Rota *dec. 731., & dec. 764. cor. Emer. Jun., & dec. 132. cor. Benincasa*, habet Archidiaconus Major Capituli Gerundensis eam singularem prærogativam, ut Sede Episcopali vacante, omnis Jurisdictio, & administratio in Spiritualibus, & Temporalibus ad eum devolvatur.

Inde vero multæ manarunt controversiæ inter eumdem Archidiaconum, & Capitulum. Et in hac quidem Sacra Congregatione, cum inter cætera fuerint die 5. Septembris 1699. proposita bina hæc Dubia, videlicet tertium -- *An Archidiaconus Sede Episcopali vacante teneatur in deputatione Vicarii servare formam præscriptam à Sac. Concilio in cap. 16.*

sess.

*seſſ.*24. *de Ref.*, & Quartum -- *An deputatio Canonici coadiutoris, & Doctoris in jure civili tantum in unum ex Vicariis Generalibus facta per Archidiaconum fuerit valida* -- reſponſum fuit. Ad tertium - *Negative* -- & ad quartum -- *Proviſum in tertio* -- Quæ reſolutio confirmata etiam fuit die quinta Julii 1700.

Plures itidem diſcuſſæ poſtea fuerunt quæſtiones in Sac. Rotæ Auditorio, ac potiſſimum - *An Capitulum congregari debeat ab Archidiacono Majori, vices Epiſcopi gerente, ſeu ab ejus Vicario Generali de gremio* - &, *An Archidiaconus, ſeu Vicarius Generalis de gremio Capituli, Sede Epiſcopali vacante, præſidere debeat in Congregationibus Capitularibus, vota colligere, & juxta eorum majorem partem reſolutiones publicare, & exequi* - Ad quæ bina Dubia die 14. Junii 1702. coram Card. Priolo Reſcriptum fuit - *Affirmative* - ut videre eſt *in dec.*26. & 27. *impreſſ. poſt Ceccoper. lucubr. Canon. tom.*1. *cum annot. Scarfant.*

Recentius vero, nimirum die 12. Februarii 1729. diſceptata fuerunt in hac Sac. Congr. ſex, quæ ſequuntur, Dubia.

I. *An Archidiaconus Major Eccleſiæ Gerunden., vices Epiſcopi gerens Sede Vacante, teneatur deputare in Vicarium Generalem pro cauſis, negotiis, & rebus Eccleſiæ, Capituli, & Canonicorum, unum de gremio Capituli.* Et quatenus affirmative.

II. *An idem Archidiaconus Sede Vacante poſſit deputare in Vicarium Generalem de gremio, qui Capitulum Cathedralis Eccleſiæ debeat convocare, in eo præſidere, primum votum proferre, vota colligere, & juxta majorem partem votorum reſolvere negotia Capitularia, & alia exercere, quæ ad Officium Vicarii de gremio competunt, unum ex Canonicis coadiutoribus dictæ Eccleſiæ.*

III. *An Archidiaconus prædictus per ſe viſitare poſſit Eccleſiam, Capitulum, Canonicos, & Diœceſim, & neceſſaria ad bonum Eccleſiæ regimen demandare.*

IV. *An idem Archidiaconus procedere valeat in Viſitatione, & extra eam contra Capitulum, & Cononicos ſingulos, tam in civilibus, quam in criminalibus, ſine conjudicibus, & adjunctis ejuſdem Capituli.*

V. *An præſente, vel etiam abſente Archidiacono à Civitate, vel Diœceſi, poſſit Coadiutor in Archidiaconatu aſſumere adminiſtrationem, & præmiſſa omnia in ejus locum adimplere, ſeu potius in caſu abſentiæ Juriſdictio ſpectet ad Capitulum.*

VI. *An dictus Archidiaconus poſſit eamdem Juriſdictionem exercere per ſuos Vicarios in caſu &c.*

Reſcriptum vero fuit. *Ad* I. *Affirmative quoad actus Capitulares tantum, & in reliquis negative. Ad* II. *Negative. Ad* III. *Negative quoad Eccleſiam Cathedralem, & Capitulum, & in reliquis affirmative. Ad* IV. *quoad Viſitationem proviſum in ſuperiori, extra vero Viſitationem Archidiaconum procedere debere cum adjunctis ad formam Concilii in criminalibus tantum. Ad* V. *quoad primam partem negative in omnibus, ad ſecundam partem affirmative in caſu abſentiæ tantum Archidiaconi de tempore vacationis Sedis. Ad* VI. *Affirmative.*

Facta litigantibus poteſtate iterum de ſuo jure experiendi, Reſolutiones tunc editæ ad trutinam hodie ſunt revocandæ. Id vero potiſſimum videtur indagandum, an Archidiaconus per omne tempus vacationis Sedis Epiſcopalis ſit immediate, & jure proprio ſubrogatus in locum demortui Epiſcopi quoad exercitium Juriſdictionis, & adminiſtrationem

Ecclesiæ Gerundensis; an vero hoc jus in eum transeat per medium Capituli, & reprefentando ipsum Capitulum, quod cæteroquin juxta Canonicas Sanctiones succedit in Episcopalem Jurisdictionem Sede vacante. Tum, & illud inspicere operæ pretium erit, num Archidiaconus jus illud acquisierit vi tantum præscriptionis; ita quidem ut inferri possit, id tantum pertinere ad Archidiaconum, quod ipse manifeste docuerit fuisse præscriptum, salvis penes Capitulum cæteris, quæ ab eo per præscriptionem avulsa non demonstrentur.

Deliberari itaque oportet.

An, & in quibus sic standum, vel recedendum à decisis die 12. *Febr.* 1729.

Dilata.

Die Sabbathi 14. Martii 1733.

Sess. 25. c. 4. de ref.



OMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Resumpto Folio Congregationis habitæ die 28. Februarii, dignentur EE. VV. declarare.

I. *An hæredes teneantur ad præstandum supplementum*. Et quatenus negative.

II. *Quomodo sit providendum in casu &c.*

Quoad Loca Montium Bentivoli, & Gualenghi pro nunc negative; In reliquis Dilata.

Sess. 5. c. 1. de ref. & Sess. 24. c. 8. de ref.

SANCTI MINIATIS VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. Episcopus statum suæ Ecclesiæ referens, quæsitum hoc exposuit -- ,, Cum saluberrimo Tridentinæ Synodi Decreto cap. 1. sess. 5. de re- ,, form. cautum sit, ut in Cathedrali præsertim Ecclesia, Prabenda ,, primo vacatura, ipso facto pro Sacræ Scripturæ lectione perpetuo ,, constituta, ac deputata intelligatur; hujus Decreti executionem ,, profecto utilissimam Benedictus XIII. Apostolica Constitutione man- ,, davit, modum collationis præscripsit, ac ubi Præbenda Theologalis, ,, computatis etiam distributionibus quotidianis ad annuum saltem red- ,, ditum scutorum sexaginta monetæ Romanæ non ascendat, ut Episco- ,, pus unire possit, & debeat eidem Præbendæ aliquod simplex Benefi- ,, cium primo vacaturum, ad prædictam summam conficiendam, statuit, ,, atque decrevit: quin etiam eamdem formam ad institutionem Cano- ,, nici Pœnitentiarii, cujus meminit eadem Tridentina Synodus cap. 8. ,, sess. 24. de reform. provide extendit, & ad unguem servari voluit, & ,, mandavit. Quia vero omnes Præbendæ hujus Ecclesiæ meæ Cathedra- ,, lis ad laicos Patronos ex fundatione, & dotatione spectant, quæro, ,, liceatne mihi quæcumque Beneficia simplicia vacatura, quæ simul ,, unita ad præscriptam taxam sufficiant, ex integro erigere in utram- ,, que distinctam Præbendam; vel aliud magis opportunum remedium,

&

„ & consilium , quo rebus adeo utilibus , & plane necessariis provide-
„ ri possit , postulo .

Duo itaque videntur inspicienda . Alterum , an Episcopus instituere possit Theologalem, & Pœnitentiariam binas Præbendas jam erectas, quarum Patronatus ad Laicos pertineat . Alterum, an de integro erigere valeat Episcopus Præbendas Theologalem, & Pœnitentiariam , constituendo illis dotem ex unione Beneficiorum simplicium .

Quantum attinet ad primam, fuit olim ab hac S.Congregatione definitam, Tridentinam Sanctionem *in cap.*1. *sess.*5. *de Ref.* editam de assignanda ad lectionem Sacræ Scripturæ Præbenda primo vacatura , habere locum in iis etiam Ecclesiis , in quibus omnes Præbendæ sint Jurispatronatus Laicorum, ut referunt *Garz. de Benef. par.*5. *cap.*4.*num.*162. , *Monet. de commut. ult.volunt. cap.*11. *num.*262., *Barbos.ad Conc.loco cit.n.*16. *& de Canonic. cap.*27. *num.*3., *Ventrigl. in prax. tom.*1. *lib.*7. *tit.*3. *num.*9. *Eminentiss. Petra tom.*4. *ad Const.* 2. *Innoc. VI. num.*19.

Sed circa id non levis occurrit difficultas ob Constitutionem sa. me. Benedicti XIII. relata in *Append. Concil. Rom. pag.*135. Jussit enim sapientissimo consilio Pontifex utramque Præbendam, tam Theologalem, quam Pænitentiariam deinceps conferri *per formalem concursum* , *eo plane modo* , *quo Parochiales Ecclesiæ conferuntur*, ut ii eas obtineant, qui magis idonei ab Examinatoribus fuerint renunciati , addita etiam declaratione , quod collatio aliter facta ipso jure nulla , ac irrita sit . Servari autem id minime poterit, si Præbendæ sint Jurispatronatus Laicorum, nam legitima Patronatuum jura tollere, æquitati consentaneum non esse, inquit ipsum *Sac.Concil. Trid. cap.*9.*sess.*25. *de Ref.* Quamobrem Ecclesias Parochiales , quarum Laici Patroni fuerint , Sancta Synodus non per concursum jussit conferri , sed ab hac regula eas voluit exceptas in *cap.*18. *sess.*24. *de Ref.*, ubi tamen ita statuit ,, Quod si Ecclesia juris-
,, patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit ab
,, eisdem deputatis , ut supra examinari , & non, nisi idoneus repertus
,, fuerit, admitti .

Considerari igitur poterit , an secluso concursu eadem iniri ratio valeat circa Præbendas, quarum Patroni sint Laici , & quibus modo annexum reddatur munus Pœnitentiarii, & Lectoris Sacræ Scripturæ, ita scilicet ut penes ipsos Patronos illæsum deinceps maneat jus præsentandi ad easdem Præbendas, sed non admitti debeant præsentati , nisi ab Examinatoribus Synodalibus reperti ad id muneris idonei fuerint, ac tamquam tales approbati .

Quantum verò ad aliud, quod ab Episcopo proponitur deliberandum , an scilicet ei liceat potius duas illas Præbendas nunc primum constituere , assignata eis dote ex fructibus Beneficiorum simplicium; hoc fortasse majori non vacat difficultate . Siquidem Tridentini Patres potestatem Episcopo fecerunt assignandi Lectori Scripturæ fructus alicujus simplicis Beneficii non absolutè , & generatim , *sed quatenus in Ecclesiis ipsis Cathedralibus, val Collegiatis nulla, vel non sufficiens Præbenda foret*, *ut in dicto cap.*1. *sess.*5. *de Ref.* Quo vero ad Pœnitentiarium , nihil tale de assignandis ei fructibus alicujus Beneficii cavit Sancta Synodus, sed solum jussit sacrum hujusmodi Administrum constitui in Ecclesiis Cathedralibus *cum unione Præbendæ proxime vacaturæ* , *ut in cap.*8. *sess.*24. *de Reform.*

Itaque inferunt Doctores non esse permissum Episcopo Beneficia simplicia in hunc effectum unire , ubi sint Præbendæ, & Canonicatus ; atque ita etiam

etiam alias ab hac S.Congregatione declaratum fuisse affirmant *Barbos. ad Concil. dicto cap.1. sess.5. n.38.*, *Pignatell. consult. Can.62. n.17. tom.3.*, *Corrad. Prax. Benef. lib.2. cap.5. num.16. Eminentiss. Petra tom.4. ad Const.2. Innoc.VI. num.12.*

Constitutio itidem san.mem. Benedicti XIII. eo tantum casu facultatem impertitur Episcopo uniendi simplex aliquod Beneficium, ubi necessarium id fuerit ad supplendam tenuitatem fructuum Præbendæ, vel Theologalis, vel Pœnitentiariæ, qui alioquin annua scuta sexaginta non attingant, proindeque non videtur illud tribuisse remedium ad instituendas de integro tales Præbendas seorsum à Præbendis jam ante cum aliqua dote fundatis.

Pertinet igitur ad EE.VV. decernere.

An, & quomodo circa postulatum Episcopi sit providendum in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo juxta Instructionem.

Sess.22. decr. de observ. & evit. in celebrat. Miss.

MEDIOLANEN. Magdalena de Sbacchettis anno 1550. quidquid bonorum habebat, donavit piæ Domui mulierum pœnitentium, in qua etiam ipsa Deo se devovit. Peculiariter vero dedit eidem Domui libras imperiales septingentas supra mille adjectis his verbis -- *cum onere celebrandi usque in perpetuum Missam unam parvam in Ecclesia S. Valeriæ* -- quæ eidem Domui est annexa. Dubitant autem Administratores, ideoque declarari postulant, num impositum censeatur onus unius Missæ Quotidianæ, an vero unius tantum Missæ singulis annis celebrandæ. Quod si Missæ Sacrificium quotidie fieri donatrix voluisse videatur, illud etiam in quæstionem venit, an cum huic oneri impares hodie sint annui redditus ejus pecuniæ, supplere quantum deest debeat pia Domus ex aliis bonis sibi per donationem obventis, an vero potius minuendus sit Missarum numerus.

Porro animadvertunt Administratores, Mulierem jussisse quidem perpetuo Missam unam celebrari, sed tamen non quotidie id fieri mandasse. Addunt quoque non esse inverisimile, quod Mulier contubernium illud eligens per omne vitæ suæ tempus liberaliter agere cum ea Domo voluerit, exiguum imponendo onus unius tantum Missæ singulis annis celebrandæ.

At contra urget, quod si donatrix ea mente fuisset, ut non singulis diebus, sed singulis annis una celebranda esset Missa, superfluum fuisset segregare à cæteris rebus, quas donavit, certam illam summam librarum septingentarum, & mille. Id ergo cum fecerit, argumento est voluisse Mulierem constituere fundum, sive dotem idoneam Cappellaniæ perpetuæ cum onere Missæ quotidianæ. Certè enim sub illud tempus, quo donatio facta fuit, ea nummorum quantitas tantum reddebat in annuo fructu, quantum satis esse poterat ad solvendam eleemosynam pro una Missa quotidiana, ut refert Vicarius Generalis Eminentiss. Archiepiscopi.

Observandum præterea est, quod in eadem donationis syngrapha Magdalena assignavit libras trecentas -- *cum onere celebrandi, & celebrari faciendi in Ecclesia S. Nazarii in Broglio duo Officia cum Missis duodecim parvis, & una magna pro quolibet officio semel omni anno usque in perpetuum* -- Si itaque hoc onus injunxit ob traditas libras trecentas, multo magis à verisimilitudine obhorret, quod adeo majori summæ librarum septingentarum, & mille impositum voluerit onus levissimum unius tantum Missæ quotannis celebrandæ.

Deni-

Denique ex codicibus ejusdem piæ Domus constat (ut in suis literis itidem significavit Vicarius Generalis) per centum, & amplius annos celebrari in hujus oneris causam consuevisse singulis annis Missas quinque & octoginta: Inde vero conjicitur, existimatum fuisse, quod esset impositum onus Missæ Quotidianæ, sed ideo celebratas fuisse tantum quinque, & octoginta, quia annuus redditus non excedebat totidem libras, & eleemosyna à Synodalibus Constitutionibus taxata erat in una libra pro quaque Missa.

Tractant Doctores quæstionem, quomodo sit præstituendus numerus Missarum, quem Testator in ipso Legato pro Missis celebrandis facto non præscripserit, & communiter censent determinationem esse faciendam, vel ab hæredibus, vel ab Exequutoribus Testamentariis, vel ab Ordinario, juxta arbitrium bono Viro conveniens, habita nimirum ratione facultatum Defuncti, & hæredum, ac etiam aliorum onerum, quæ in eodem Testamento imposita fuerint, itemque perpensis cæteris circumstantiis, ex quibus mens Testatoris cognosci verisimiliter possit, ut videre est apud *Pasqualig. de Sacr. nov. leg. tom.*2. *qu.*995. *n.*5. *& seqq. Perez. de Lara de Anniverf. lib. cap.*10. *num.*97., *Alphons. de Leon. de Off. Cappell. qu.*5. *sect.*2. *num.*26.

Quantum vero spectat ad alteram inspectionem, num scilicet supplementum præstari debeat ex aliis proventibus bonorum, quæ eadem Mulier piæ Domui donavit, videri poterunt Decisiones Sac. Rotæ editæ *in Roman a fundationis Monasterii* 10. *Decembris* 1714. *coram Lancetta*, & 30. *Martii* 1716. *coram Cerro.* Cum enim Constantia Ludovisia jusserit hæreditatem suam obvenire Ecclesiæ S. Ignatii, ut annui redditus partim in Missarum celebrationem. partim in alios pios usus impenderentur; prætereaque in eodem Testamento mandasset fundari Monasterium, assignato in id pretio suarum gemmarum, suæque aureæ, & argenteæ supellectilis; censuit Sac. Rota non esse ex aliis hæreditariis bonis supplendum id, quod ad Monasterium construendum, & dotandum deerat in pretio earum rerum, quas Testatrix pro huic operi peculiariter addixerat.

Definiendum itaque erit.

I. *An celebratio unius Missæ in perpetuum demandata à Magdalena de Sbacchettis sit quotidiana*. Et quatenus affirmative.

II. *An sit locus reductioni in casu &c.*

Eminentissimus Archiepiscopus mandet celebrari etiam imposterum annuas Missas octuagintaquinque.

OLOMUCEN. JURIS CONCIONANDI. Fratres Augustiniani Excalceati anno 1696. domicilium habere cœperunt in Oppido Fratingen. ea lege, ut nullo modo turbarent Parochum in cura Animarum, administratione Sacramentorum, cæterisque Parochialibus functionibus. Suborta autem inter ipsos Religiosos, & Parochum contentione circa tempus habendi conciones, ad eam sopiendam in hanc sententiam partes convenerunt, ut Parochus diebus Dominicis, & Festis initium daret Divinis Officiis in sua Ecclesia hora octava matutina, eaque simul cum concione protraheret usque ad semihoram decimam; deinde vero Divina Officia itidem cum concione peragerent PP. Augustiniani, exceptis tamen solemnioribus Festivitatibus, scilicet Nativitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes, necnon die Anniversario Dedicationis Ecclesiæ Pa- *Sess.* 24. *c.* 13. *Sess.* 25. *c.* 13. *de ref.*

ro-

rochialis, ac demum diebus Sacris Divo Jacobo Majori Apostolo, qui est ejusdem Parochialis Ecclesiæ Patronus, & S. Annæ, cui Sacellū in eadem Ecclesia est dedicatum: his enim diebus conventum fuit conciones mane habendas esse solum in Ecclesia Parochiali, tributa tamen Religiosis facultate dicendi ad populum de rebus Divinis in sua Ecclesia horis promeridiani. Ex diverso autem annuit Parochus, ut si in diem Dominicum inciderit anniversaria gratulatio SS. Augustini, Nicolai Tolentinatis, Monicæ, & Joannis Nepomuceni, tunc ipse Parochus a concionando vacaret.

At Consistorium Episcopale istiusmodi conditiones non censuit approbandas, decrevitque sub finem anni 1731. Fratribus Augustinianis nonnisi promeridianis horis licere conciones instituere, & postquam in Ecclesia Parochiali absoluta fuerit Vesperarum decantatio, ac etiam elementorum Fidei traditio. Indulsit tamen, ut si quando Dominicus fuerit dies, quo celebrari contingat memoriam SS. Augustini, Nicolai, & Monicæ, tunc etiam in Ecclesia Augustinianæ Familiæ Divina Officia cum concione haberi possint, sed postquam ea finita fuerint in Templo Parochiali.

Huic Decreto reclamantibus Religiosis, datæ ab hac Sac. Congregatione de more fuerunt litteræ ad Eminentissimum Episcopum, qui rescripsit æquissimum sibi videri Decretum sui Consistorii, & omnino servandum, quia exiguus est pagus ille, in quo septingenti circiter numerantur incolæ; hi autem minus frequenter ad Parochialem Ecclesiam, suumque Pastorem adirent, si matutino tempore conciones haberentur à PP. Augustinianis, cum tamen Sac. Concilium Tridentinum *cap.* 4 *sess.* 24. *de ref.* hæc habeat - *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*-- Illud etiam subjungit habendum ob oculos esse, quod huic Religiosæ Familiæ haud aliter permissus fuit ingressus in illud Oppidum, quam ea conditione, ut salvum, atque illæsum semper esset jus Parochi in omnibus ad ejus officium spectantibus.

At Religiosi satis se putant fretos Constitutione Clementis V. in Concilio Viennensi edita pro Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, quorum privilegia sunt etiam communicata Augustinianis: ibi enim sic habetur: *Auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, ut dictorum ordinum Fratres in Ecclesiis, & locis eorum, & in plateis communibus libere valeant Clero, & populo prædicare, ac proponere verbum Dei, hora illa dumtaxat excepta, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicari, in qua prædicare cessabunt*: ut in *Clement. Dudum de Sepult.*

Addunt nullam hujus generis conditionem fuisse injectam Regularibus a Sac. Concilio Tridentino *cap.* 2. *sess.* 5. *de ref.* Sed ut ii concionari in suis Ecclesiis possint, solum fuisse requisitum, ut a suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac ab eis obtinuerint concionandi facultatem, cum qua sistere se debeant Episcopis, & ab eis Benedictionem petere, antequam Divini verbi præconem agere incipiant.

Jura autem Parochialia nullatenus in hoc violari existimant, quia concionibus a Paroco habendis nullum afferre impedimentum intendunt, & alioquin concionationem non ad solum Parocum spectare, deducunt etiam ex generalibus Decretis a Sac. Rituum Congregatione editis anno 1703.; ubi ad XVIII. Dubium ita conceptum--*An in Ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicæ conciones, etiam per totum cursum Quadragesimæ, vel adventus cum licentia Ordinarii, & absque licen-*

licentia Parochi -- Rescriptum fuit -- *Affirmative*, ut apud *Monacell. Formul. For. Eccles. tom.2. tit.13. Formul.1. post n.46.*

Postremo non repugnant, ut libera concionandi facultas binis conditionibus sibi coerceatur, altera ut deinceps etiam à stipe roganda abstineant; altera, ut Paroeho optio fiat eligendi pro concione habenda, quam maluerit, horam antemeridianam; possint autem Religiosi matutino itidem tempore concionari, sive ante, sive post concionem Parochi.

Proponitur igitur definiendum.

An liceat PP. Augustinianis Excalceatis Oppidi Frattignæ conciones habere in sua Ecclesia horis antemeridianis in casu &c.

Arbitrio Episcopi, & amplius.

PAMPILONEN., ET BARBASTREN. DECIMARUM. In Folio Congregationis habitæ die 7. Februarii proxime elapsi descripta fuit hæc Causa, quæ tamen ob temporis angustias proponi non potuit, ac propterea discutiendum hodie erit. *Sess.25. c.12. de ref.*

An stantibus resolutionibus a S. Congregatione editis, Decretum Judicis Executoris quoad Monasteria Ordinis Cisterciensis sit servandum, vel potius an, & quomodo sit reformandum in casu &c.

Affirmative quoad utramque partem juxta modum videlicet ad instar aliorum Regularium habentium expressam derogationem Cap. nuper de Decimis.

ORDINIS MINIMORUM QUARTÆ FUNERALIS. Constitutione edita anno 1725. sancivit san.mem. Benedictus XIII. tradendam deinceps esse quartam partem emolumentorum funerariorum Parochis, quibus suberant defuncti, in Ecclesiis quorumcumque Regularium tumulandi, sublatis propterea de medio Privilegiis a Sede Apostolica antea tributis cuicumque Religiosæ Familiæ, ut videre est in *Appendice Concil. Roman. pag.151.* *Sess.25. c.13. de ref.*

Contendentibus nonnullis Parochis ea nova lege comprehendi etiam Fratres Minimos, in quorum Ecclesiis sepelienda sint Cadavera, Moderator Generalis ejusdem Ordinis preces obtulit Sanctissimo Domino Nostro, ut per suas Apostolicas literas declarare dignaretur non esse ex vi memoratæ Constitutionis sublatam exemptionem huic Religiosæ Familiæ competentem a præstanda Parochis quarta funeraria, & ad potiorem cautelam eamdem quoque exemptionem confirmare. Hac autem de re consilium sibi dari voluit Sanctitas Sua ab hac S.Congregatione.

Quæ circa id exponunt Fratres Minimi, in summa hæc sunt. Anno 1471. dum viveret Divus Franciscus de Paula, Gloriosus institutor Ordinis, Archiepiscopus Consentinus per suum Diploma plura ei indulsit Privilegia ad fovendam, & amplificandam Congregationem, quam recens singulari cum omnium laude, & admiratione fundaverat, & sanctissimis legibus munierat. Potissimum vero hæc adjecit ,, Concedimus, & ,, indulgemus, ut omnibus Privilegiis, gratiis immunitatibus, libertatibus, & exemptionibus, quibus Fratres Sancti Francisci, cæterique ,, Mendicantes fruuntur, & utuntur, frui, & uti auctoritate nostra in ,, Civitate, & Diœcesi Consentinensi possitis, & valeatis ,, Subinde vero agens de Ecclesia, quæ in Oppido Paula constructa fuerat, sic habet ,, Hujusmodi Oratorium sive Ecclesiam, ac alia quæcumque loca

,, Oratoria, & Ecclesia per vos in posterum acquirenda cum omnibus ,, juribus, & pertinentiis suis, Eremitisque, & personis, rebusque ,, omnibus ad vos, vestraque loca quomodolibet spectantibus, ,, & pertinentibus, personisque hujusmodi inibi degentibus ab ,, omni Jurisdictione, subjectione, & superioritate Matrum Ecclesiarum, ac nostra, nostræque Consentinæ Ecclesiæ, cæterarumque per- ,, sonarum (salva tamen semper quarta omnium legatorum, quam om- ,, nino nobis, & successoribus nostris, prout juris est, solvere tenea- ,, mini) ex certa nostra scientia, motuque proprio, & de plenitudine ,, nostræ dignitatis, quantum cum Deo possumus, in perpetuum eximimus, & totaliter liberamus, ac sub protectione, submissione, juris- ,, dictione, & superioritate Sedis Apostolicæ totaliter, specialiter, ,, & singulariter, & expresse remittimus, & relaxamus, præsentibus, ,, perpetuis, futurisque temporibus valituris.

Quæcumque concesserat Archiepiscopus Consentinus, mox jussu Xisti Quarti Pontificis Max. Apostolica auctoritate confirmavit Episcopus S. Marci. Quin etiam anno 1474. ipsemet Pontifex ea per suas literas rata iterum habuit, ampliavitque, necnon eisdem Privilegiis potiri voluit quascumque Ecclesias, & Cœnobia ejusdem Ordinis ubicumque posita, ut videre est in *Bullar. tom.1. Constit.6. ejusdem Xisti IV.*

Uberius etiam indulta omnia antea concessa approbavit, aliaque etiam addidit anno 1506. supplicante ipso S. Francisco de Paula, Julius Secundus, ut in *Constit. 9. eodem. Tom.1. Bullar.*, in cujus etiam Bullæ §.35. hæc habentur -- *Quartam ex funeralibus solvere minime teneantur* -- prout ubique locorum reipsa Fratres Minimi exempti fuere a præstanda Quarta Funeraria, quousque prodiit Constitutio Benedicti XIII.

His igitur positis inquiunt Fratres Minimi exemptionem hujusmodi trahere originem a pacto inter Sanctum Ordinis Parentem, & Archiepiscopum Consentinum inito in ipso limine fundationis Instituti, nam quamvis expressa ibidem non habeatur mentio exemptionis a Quarta Funeraria, eam tamen putant satis intelligi concessam vi tributæ exemptionis *ab omni jurisdictione, subjectione, & superioritate Matrum Ecclesiarum*, cum appellatione illa indicatæ videantur Ecclesiæ Parochiales, indeque etiam deducunt, istiusmodi privilegium, tamquam tributum ex causa onerosa, & correspectiva fundationis novi Instituti non censeri comprehensum sub generali revocatione privilegiorum, ut notat *Gonzal. ad Reg.8. Cancel. Glos.36. n.36.*

Denique licet in memorata Constitutione Julii Secundi disertis verbis indulta fuerit huic Ordini exemptio à solutione Quartæ Funerariæ, ajunt tamen non in ea constituendum esse initium exemptionis, sed ibi fuisse clarius confirmatam exemptionem jam ante in pactum deductam in primitiva Ordinis institutione.

Quid adversus hæc obiicere valeant Parochi, non satis constare potest iis inauditis. Sed tamen considerari posset, tum quod qualiscumque concessio primum facta ab Archiepiscopo Consentino non videtur præseferre contractum, sed gratiosum Indultum; tum etiam quod in eo Diplomate nulla habetur mentio de exemptione a solutione Quartæ Funerariæ Parochis reservatæ ex Decreto generalis Concilii Viennensis *in Clemen. dudum de sepult.*, cui nec etiam volens potuisset derogare Archiepiscopus. Quinimo sicuti ille voluit salvam esse quartam omnium lega-

legatorum ipsi Archiepiscopo solvendam, ita credi potest ejus animum fuisse omnino alienum a tollendo jure Parochis competente pro Quarta Funeraria.

Nec diversa videtur adhiberi posse interpretatio circa Bullam Xisti IV., nam quamvis Pontifex confirmaverit gratias a prædicto Archiepiscopo concessas, nullum tamen verbum fecit de exemptione a præstanda Quarta Funeraria; sed primus, qui illam fuerit expresse impertitus, fuit Julius Secundus, ut supra narratum est.

Si ergo Fratres Minimi nihil peculiaris juris habent circa exemptionem a Quarta Funeraria, sed solum innituntur privilegio; sicque Constitutio san.mem. Benedicti XIII. substulit exemptionem a quacumque amplissima forma concessam, quamvis etiam in eodem Privilegio fuisset derogatum dictæ Clementinæ *Dudum*, ac Decreto Sac. Concilii Trident. *cap.13.sess.25. de ref.*, plane sequitur non facile proponi posse solidam rationem differentiæ inter privilegium, quo potiuntur Fratres Minimi, & privilegium hac de re impertitum ab eadem Apostolica Sede cæteris Religiosis Familiis, adeo ut concludi queat Fratres Minimos non censeri comprehensos generali illa lege Benedicti XIII.

Itaque dignentur EE. VV. re, ut par est, perpensa rescribere.

I. *An exemptio PP. Minorum à præstatione Quartæ Funeralis sit revocata per Constitutionem san. mem. Benedicti XIII.* Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro nova ejusdem exemptionis confirmatione.*

Ad primum negative quoad Diœcesim Consentinam. Ad secundum provisum in primo.

RAVENNATEN., SEU FERRARIEN. JURISDICTIONIS. Oratorium publicum B.M.Virgini de Monte Carmelo dicatum construxit Vincentius Suzzi, impetrata ad illius ædificationem, & benedictionem facultate a Rmo Archiepiscopo Ravennatensi. Sed cum fundus, in quo Oratorium excitatum fuit, situs sit in confinio Paræciæ spectantis ad Ecclesiam Pagi Traghetti Diæcesis Ferrariensis, & alterius Paræciæ pertinentis ad Ecclesiam Villæ Marmortæ Diœcesis Ravennaten., in controversiam venit, qua nam in Diæcesi existat Oratorium, proindeque an subjectum sit Emo Episcopo Ferrariensi, an vero Rmo Archiepiscopo Ravennatensi. *Sess.22. de observ.& evit. in cel. Miss.*

Itaque pespectis documentis, quæ utrinque in medium proferentur, dignentur EE. VV. determinare.

I. *An Oratorium publicum sub invocatione B. M. Virginis de Monte Carmelo ædificatum a Vincentio Suzzi sit subjectum jurisdictioni Emi Episcopi Ferrarien., seu potius Reverendissimi Archiepiscopi Ravennaten.*, Et quatenus affirmative ad primam partem.

II. *An Reverendissimus Archiepiscopus Ravennaten. potuerit impertiri facultatem ædificandi, & benedicendi idem Oratorium.*

Dilata, & conficiatur Planta Judicialis, & examinentur formiter Testes.

ROMANA SUPPLEMENTI, CONCORDIÆ, ET REINTEGRATIONIS. Princeps Camillus Pamphilius anno 1666. ita in *Cap.11. sess. 24. de Ref.*

Teſtamento cavit ,, Il mio Erede , ſeguita la mia morte, debba aſſe-
,, gnare alla mia Chieſa di S. Agneſe tanto di capitale , che frutti ſcu-
,, di 400. l'anno , acciò di quelli ſi celebrino ogn' anno in perpetuo ,
,, finche durerà il Mondo, tante Meſſe per ſuffraggio dell'anima mia ,
,, & paulo poſt ,, dando facoltà al medeſimo mio Erede , che per la ce-
,, lebrazione di dette Meſſe poſſa deputare tanti Cappellani a ſuo nuto
,, amovibili , quanti a lui parerà conveniente &c.

Ut Paternæ ſatisfaceret voluntati Princeps Joannes Baptiſta Pamphilius hæres, anno 1667. tranſtulit ad Eccleſiam S. Agnetis centum Loca Montis S. Bonaventuræ , quæ tunc temporis reddebant in annuo fructu ſcuta quadringenta , ſed cum anno 1685. auctoritate Summi Pontificis facta fuerit moderatio annuorum reddituum omnium locorum Montium, prætereaque Mons ille S. Bonaventuræ fuerit extinctus cum tranſitu in alias ſpecies Montium , inde factum eſt , ut ex locis quinque , & nonaginta, qui hodie exiſtunt, annui proventus percepti fuerint ſolum in ſcutis 285.

Antequam ea fructuum diminutio contingeret, Princeps Pamphilius quinque Cappellanos eligere conſuevit, aſſignatis cuique eorum annuis ſcutis duobus, & ſeptuaginta . Poſt diminutos verò , ut dictum eſt , fructus locorum Montium , per aliquot annos Cappellani idem ſtipendium exigere perrexerunt, ſupplente ſcilicet Eccleſia S. Agnetis ex aliis ſuis redditibus quantum deerat in fructibus locorum Montium .

Die autem 1. Aprilis 1713. diſceptatum fuit in hac Sac. Congregatione , an ab hærede præſtandum eſſet ſupplementum , an verò locus eſſet reductioni oneris Miſſarum . Sed ob ſuffragiorum diſcrepantiam dilata fuit deciſio .

Poſtmodum anno 1726. inter eamdem Eccleſiam , & Principem Pamphilium juniorem inita fuit Tranſactio , per quam idem Princeps promiſit ſe ſoluturum memoratæ Eccleſiæ ſcuta quingenta, ut damnum, quod illa jam ante ſubierat , ſarciretur ; deinceps vero ſe daturum ſpopondit ſingulis annis ſcuta ſex , & triginta . Beneplacitum Apoſtolicum , quod in ea tranſactione fuerat reſervatum , Princeps Pamphilius anno 1729. poſtulavit à Sac. Congregatione , illudque concedendum cenſuit tunc ſententiam ſuam aperire rogatus, Laurentius Cardinalis Corſinus, nunc Pontifex maximus , quem Deus diu ſoſpitem ſervet .

Ad impediendam tamen illius Tranſactionis confirmationem , & demonſtrandum non mediocre damnum , quod ex ea caperet Eccleſia S. Agnetis , plura hodie exponuntur , quibus perpenſis definiendum ab Eminentiis VV. erit .

I. *An ſit locus ſupplemento ad effectum, de quo agitur* .
II. *An ſit approbanda Concordia* . Et quatenus negative .
III. *In qua ſumma ſit reintegranda Eccleſia in caſu &c.*

Dilata, & ad Eminentiſſimum Præfectum pro nova Concordia .

S. ſ. 25. c. 19. de ref.

LEODIEN. FRUCTUUM . Eſt in Oppido Thorenſi Eccleſia Collegiata , cujus Capitulum tum ex Canonicis , tum ex Canoniſſis conſtat . Abbatiſſa potiri uno etiam Canonicatu ſolet . Cumque Abbatiſſæ Thorenſi delatus anno 1727. per electionem fuerit etiam Abbatiſſatus Eſſendienſis, impetravit illa à Sede Apoſtolica facultatem retinendi utrumque, ea tamen lege, ut ſex cujuſque anni menſibus reſideret in uno, & ſex in altero ; deinde vero obtinuit Indultum Apoſtolicum , ut per biennium moram facere poſſet Eſſendii.

Hinc

Hinc igitur eſt quæſtio, an Abbatiſſæ per id tempus, quo reſidet in Eccleſia Eſſendien. debeantur proventus Canonicatus Eccleſiæ Thorenſis ſeorſum, & ultra redditus Menſæ Abbatialis Fructus autem Canonicatuum in plures dividuntur ſpecies. Alii enim appellantur fructus Præbendales, qui nimirum ex communi maſſa percipiuntur à reſidentibus: alii vero dicuntur fructus œconomici, qui ſcilicet aſſignari ſolent Canonicis, & Canoniſſis domicilium in eodem loco habentibus cum familia; alii denique fructus proveniunt ex fundationibus Anniverſariorum, vel Miſſarum, aliarumque functionum in choro obeundarum, & habent quaſi naturam diſtributionum quotidianarum, quas aſſequuntur præſentes, quemadmodum refert Ordinarius Leodienſis.

Porro in memoratis Indultis, quæ Abbatiſſa Thorenſis obtinuit, tam pro retentione utriuſque Abbatiſſatus, quam pro abſentia per biennium ab Eccleſia Thorenſi, nulla fuit facta mentio de Canonicatu annexo Abbatiſſatui Thorenſi, nec de ejuſdem Canonicatus fructibus. Exponit verò etiam Capitulum pluries ſuperioribus temporibus accidiſſe, quod Abbatiſſæ quandoque fuerint abſentes ab Eccleſia Thorenſi; quin etiam nunc aliquas eſſe in eodem Collegio Canoniſſas poſſidentes ex Apoſtolica diſpenſatione alium quoque Canonicatum in diverſa Eccleſia; uſitatum tamen fuiſſe, atque etiam nunc ſervari, ut fructus Præbendales, & œconomici non niſi a reſidentibus percipiantur; emolumenta autem anniverſariorum, aliarumque functionum dumtaxat præſentibus tribuantur.

Deliberandum itaque proponitur.

I. *An, & pro qua rata temporis debeantur D. Abbatiſſæ Thorenſi fructus ſui Canonicatus Præbendales nuncupati.*

II. *An eidem non reſidenti cum familia in Abbatiſſatu Thorenſi debeantur fructus, quos vocant œconomicos.*

III. *An eidem non intereſſenti Anniverſariis, & ſimilibus debeantur fructus, ſeu emolumenta pro illis dari ſolita in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem.

Die Sabbathi 28. Martii 1733.



LEODIEN. FRUCTUUM. Dilata ad hodiernam Congregationem fuit deciſio hujus Cauſæ propoſitæ in folio ſuperioribus Congregationis, ideoque deliberandum erit. *Seſſ. 24. c. 4. de ref.*

I. *An, & pro qua rata temporis debeantur D. Abbatiſſæ Thorenſi fructus ſui Canonicatus præbendales nuncupati.*

II. *An eidem non reſidenti cum familia in Abbatiſſatu Thorenſi debeantur fructus, quos vocant œconomicos.*

III. *An eidem non intereſſenti Anniverſariis, & ſimilibus debeantur fructus, ſeu emolumenta pro illis dari ſolita in caſu &c.*

Dilata, & ſcribatur Nuncio Apoſtolico juxta inſtructionem.

GE-

Sess. 5. c. 1. de ref. & Sess. 24. c. 8. de ref.

GERUNDEN. JURISDICTIONIS. Cum in Congregatione habita die 28. Februarii proxime elapsi discuti non potuerit hæc causa, non graventur EE. VV. Folium tunc ad eas transmissum resumere, ac definire.

An, & in quibus sit standum, vel recedendum a decisis die 12. *Februarii* 1729.

Quoad tertium, & quartum particulariter videatur; In reliquis verò in decisis, & amplius.

Sess. 25. c. 19. de Ref.

URBINATEN. CONCURSUS. Indicto concursu ad vacantem Ecclesiam Parochialem S. Cassiani, quæ ter mille passuum spatio distat Urbino omnibus Examinatorum suffragiis approbati fuere plures competitores, inter quos erant Petrus Uguccinus, & Antonius Prævidus. Archiepiscopus verò, aliis quoque conditionibus inspectis, præferendum judicavit Prævidum, cui Beneficium illud contulit.

Æquum in hoc minime fuisse judicium Archiepiscopi contendit Uguccinus. Ipse enim in Urbinatensi Diœcesi natus, & cujus ætas est quadraginta annorum, septendecim ab hinc annis Sacerdotali Ordine initiatus fuerit: diu variis in locis humanas literas docuit: alibi per quadragesimam Divini Verbi præconem egit: Confessiones sacras per plures annos excepit; aliquando etiam animarum curam exercuit: ad Parochi officium obeundum idoneus itidem renunciatus fuit in aliis quatuor concursibus: quin etiam anno 1726. ab eodem Archiepiscopo adjudicata illi fuit Paræcia S. Laurentii Cerqueti boni, quam tamen ille justis de causis ab ipso Antistite approbatis sponte abdicavit; denique plurium testimonio ejus anteacta vita, moresque commendantur.

Antonius verò Prævidus, quem ei prætulit Archiepiscopus, Civis Urbibinas, unum & quadraginta annos natus, tunc temporis erat solum Clericus, quamquam deinde post adjudicatam ei Parochialem Ecclesiam, de qua agitur, ad omnes sacros ordines fuerit promotus. Matrimonii vinculis diu fuerat obstrictus. Uxore tamen jam è vivis sublata: sed ex eo conjugio unus superest filius, itemque superstites sunt quatuor filiæ, adhuc innuptæ. In ipsa Archiepiscopali Curia Cancellarii munere per annos quatuordecim perfunctus fuit, in quo etiam versabatur sub ipsum tempus habiti concursus, fratremque habet, qui a cubiculo inservit Archiepiscopo.

At Archiepiscopus Sac. Congregationem instructam reddere jussus affirmat Antonium Prævidum visum sibi fuisse magis idoneum ad eum gregem, ipsique populo longe acceptissimum, quia Urbini ortum. Doctrinam, prudentiam, rerum Ecclesiasticarum peritiam diuturno ex mure haustam, morum integritatem, pietatem in egenos, aliaque virtutum ornamenta in eo plurimum laudat. Præterea significavit Petrum Uguccinum, qui reclamat, claudum ambulare, adeoque ægre posse, in repentinis potissimum casibus, præsto esse Parochianorum necessitati, cum hyberno tempore pars aliqua Paræciæ equitando peragrari nequeat. Nonnulla etiam alia notat in eodem Petro, de quibus num ille satis se purget, ex documentis, quæ ab eo proferentur, cognosci ab EE. VV. poterit. Quæritur itaque.

I. *An constet de irrationabili judicio Archiepiscopi*. Et quatenus affirmative.

II. *An, & cui debeatur Parochialis Ecclesia S. Cassiani in casu &c.*
Iterum proponatur.

PAM-

PAMPILONEN. DISPENSATIONIS. Franciſcus de Mencos y Ayanz, claris ortus Parentibus in Civitate Tafalla cum adoleſcens litterarum ſtudiis ſe tradidiſſet, ex eorum fortaſſe intemperantia cæcitatem fere penitus contraxit, integris tamen manentibus oculis. Sed non ideo ſtudia intermiſit, & aliena uſus opera hauſis per aures, quæ haurire non potuit per oculos. Itaque non mediocres fecit progreſſus, tum in ſacra, tum in profana hiſtoria: Catecheticam quoque doctrinam, & myſticarum rerum cognitionem eſt aſſequutus; denique concinne cymbaliſſare didicit. Nunc eo clericali militiæ adſcribi cupiente, Epiſcopus indolem hominis, cæteraque virtutum ornamenta commendans ipſum putat diſpenſatione dignum, ut prima Tonſura initiari poſſit, & ad Eccleſiaſtica beneficia aſſequenda habilis reddi, affirmat quippe eum Officium Beatæ Mariæ Virginis, & Officium Defunctorum recitare memoriter poſſit. *Seſſ.24. c.2. de ref.*

Hac itaque de re eſt nunc deliberandum. Certum ſane eſt, hominem tali corporis vitio laborantem eſſe irregularem, nec ſolum impediri, quo minus promoveatur ad Ordines, ſed etiam quin prima Tonſura initiari poſſit & Clericus fieri, ut docent *Præpoſit. in cap. fin.* 55. *diſt. verſ. Oppono quod imo. Geminian. & Turrecrem.* ibidem. *Fagnan. in cap. cum contingat. num.*116. *de ætat. & qualit. Pignattell. conſult.*146. *num.*7. *tom.*8. *Fermoſin. loc.cit. num.*36. *Bellet. diſquiſit. Cleric. par.*1. §.7. *num.*21. *& ſeqq. Barboſ. de Epiſcop. par.*2. *allegat.*42. *num.*27. *&* 29. *Rot deciſ.*625. *coram Seraphin.* Sed perpendi oportet, an diſpenſatio, qua indiget Orator, concedenda ſit, cum agatur de promovendo, quem nulla neceſſitatis, vel utilitatis ratio poſtulare videtur cooptari inter Clericos.

In antiquo volumine Decretorum Sacræ Congregationis, quod extabat in Bibliotecha Cardinalis Panciatichi olim hujus Sacræ Congregationis Præfecti, reperitur illud, quod infra exſcribetur.

Cum quidam cæcus muſicæ artis peritiſſimus vellet permutare Beneficia ſimplicia cum Canonicatu Cathedralis Legionen. inſtante etiam Epiſcopo, & Capitulo, & res Sanctiſſimo delata eſſet, ad Sacram Congregationem Concilii rejecit. Congregatio autem cenſuit admittendam eſſe permutationem: & ſi enim Cardinalis S. Xiſti dixerit ſe vidiſſe denegari Beneficia etiam ſimplicia in Eccleſiis Collegiatis hominibus cæcis per Signaturam Sanctiſſimi, unde tanto magis erat denegandum in Cathedralibus, & in Canonicatu, qui requirit ſervitium quotidianum, & præſertim poſt Concilium, cum non poſſit ad Sacros Ordines promoveri, nec muſicam eſſe ſufficientem cauſam diſpenſationis, cum Canonici non inſerviant pro Muſicis. Tamen cæteri omnes dixerunt cæcum obtinentem cum diſpenſatione ſimplicia Beneficia poſſe ea permutare cum Canonicatu Legionen. ad ſupplicationem Capituli, abſque eo tamen quod cæcus fieret Subdiaconus, attento quod præfatus cæcus Muſicam, & liberalem artem callet, & in pulſandis Organis eſt valde peritus, & totum Pſalterium memoria tenet.

Præterea in hac Sacra Congregatione fuit die 10. Maji 1732. inter ſummaria ſupplicum libellorum propoſitus caſus de Clerico Faventino luminibus capto, qui fuerat præſentatus ad Beneficium Juriſpatronatus ſuæ Familiæ, cenſuitque Sacra Congregatio gratiam ei concedendam, ut Beneficium illud poſſet obtinere, commutato onere recitandi Officium Divinum in alias pias preces arbitrio Epiſcopi. Sed ibi agebatur de aſcripto Eccleſiaſticæ militiæ, antequam luminum expers factus fuerit, & diſpenſationem ſuadebat æquitas, ne Beneficium a majoribus ſuis fundatum obveniret extraneo.

Cæ-

Cæterum ne omittantur alia, quæ hodiernæ petitioni favere possent, animadvertendum occurrit, Franciscum non omnino inutilem Ecclesiæ futurum; poterit enim Fidei elementa pueris tradere, poterit etiam Organa tractare in Divinis Officiis, poterit denique per integritatem morum, piasque exercitationes aliis prodesse exemplo, quod esse veluti perpetuum quoddam prædicandi genus inquit *Sac. Concil. Trid. cap.1. sess.25. de Ref.*

De Roberto Scoto ad Sacerdotium, & Episcopatum evecto, quamvis cæco, hæc habet Surius in historia sui temporis ad annum 1551. *Hoc anno obiit Robertus Mautop Scotus Lutetiæ Parisiorum. His a puero cæcus usque eo Parisiis in literis processit, ut Theologiæ Doctor creatus sit. Inde Romæ fit Sacerdos, ac paulo post Archiepiscopus Armachanus in Hibernia, & postea sub Julio III. Legatus a latere. Interfuit quoque Synodo Tridentinæ.* Et ex Surio idem refert *Majol. de irregularit. lib.1. cap.20. sub num.2.* his verbis; *omnibus memorabilior fuit Joannes Palestinus cæcus, qui omnem sacram Scripturam tenaciter memoriæ ita servabat, ut publicis Conventibus in Ecclesiis ita referret omnia quasi ex libro ipso. Propterea quisquis cæcus sit, si prædicationis causa velit promoveri, poterit Papa dispensare, ut & Sacerdos, & Episcopus fiat: nam, & si Sacerdotium in Sacramentis, & Sacrificiis exercere non valeat oculorum defectu, Confessiones tamen, & prædicationem exercebit, & jurisdictionalia: quod contigit Roberto Scoto cæco a puerili ætate, qui Parisiis Theologiam perdidicit adeo insigniter, ut Romæ creatus Sacerdos, & Archiepiscopatu Armacano in Hybernia, & Legatione pro Julio III. fuerit perfunctus.* Hoc ipsum quoque memorat *Barbos. de Offic. Episcop. d.par.2. allegat.42. num.28.* ubi præterea habetur Belgam quemdam a teneris annis oculorum sensu destitutum, nihilominus in Parisiensi Accademia floruisse, & Monachum Ordinis S.Benedicti, atque etiam Diaconum fuisse.

Sed errasse Surium, qui cæcum dixit fuisse Robertum Scotum, cum solum angusta ille fuerit, & suppressa oculorum vi, notat *Spondan. ad annum* 1546. *num.3.* Idemque confirmat *Card. Pallavicin. in Histor. Concilii Trid. lib.6. cap.5. circa fin.* multoque etiam certius evincunt Legationes, quas ille à Paulo III., & Julio III. ad Cæsarem, & ad Galliæ Regem accepit, antequam Tridentinæ Synodo interfuerit. At verò is, cui hebes, vel obtusa sit oculorum acies, non est irregularis, ut advertunt *Fermosin. in cap.2. quæst.1. num.34. de corp. vitiat. Ugolin. de irregularit. cap.47. num.5.*

Dignentur itaque EE. VV. deliberare.

I. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione Oratoris ad suscipiendam primam Tonsuram.*

II. *An etiam sit habilitandus ad Beneficia simplicia cum commutatione Divini Officii in Officium B. M. Virginis.*

Negative.

Sess.22. c.3. de ref.

TARENTINA INDULTI. Dominicus Cataldus Lo Jucco, Metropolitanæ hujus Ecclesiæ Canonicus ob servitium per quadraginta annos cum laude obitum impetravit ab hac Sacra Congregatione anno 1726. ut moris est, Indultum, quod vocant, jubilationis. Deinde sub annum 1730. senio jam affectus, atque ægra utens valetudine obtinuit a Sede Apostolica Coadjutorem in Canonicatu cum successio-

cessionis jure sibi dari Clericum Franciscum Antonium Ciuram, qui tunc duodeviginti ætatis annos numerabat. In literis vero Apostolicis Coadjutoriæ cautum fuit, ut Franciscus Antonius Divinis Officiis vice, & loco Dominici Cataldi residere nolentis, aut non valentis interesse posset, omnesque proventus Canonicatus, atque etiam distributiones quotidianas lucrari ad commodum Canonici coadjuti, his verbis subjectis: *Si vero tui culpa, causa, vel negligentia, seu ob tui non residentiam apud primodictam Ecclesiam prædictus Dominicus Cataldus aliquid ex fructibus, redditibus, & proventibus, distributionibus quotidianis, aliisque emolumentis prædictis dictorum Canonicatus, & Præbendæ perdiderit, seu lucrari omiserit, omne, & totum id sit deperditum, seu non lucrifactum, tuque de tuis propriis bonis prædicto Dominico Cataldo etiam debeas, & tenearis*: At cum in assequenda hujusmodi Coadjutoria expositum Pontifici non fuisset Canonicum Dominicum Cataldum jam ante obtinuisse Indultum jubilationis, Franciscus Antonius curavit prioris gratiæ vitium sanari anno 1732. per alias literas, quas nuncupant: *Perinde valere*: quibus expeditis possessionem Coadjutoriæ adiit.

Nunc verò cum Neapolis literarum studiis vacet, supplex petit facultatem sibi impertiri, ut ob eam causam à Tarentina Ecclesia abesse possit absque ullo, vel suo, vel Canonici coadjuti detrimento. Capitulum, ut Archiepiscopus refert, non repugnat, quod Canonicus coadjutor studiorum causa absens habeatur pro præsente quoad assecutionem reddituum, qui de Massa communi percipiuntur, sed negat id esse permittendum quoad distributiones quotidianas, præsentibus, & re ipsa inservientibus destinatas.

Peculiari itaque discussione res hæc digna visa est, non quidem circa distributiones, quas certe amittere debet, qui studiorum causa abest, sed quoad ipsius Indulti concessionem. Siquidem in alia Causa *Praten. Indulti* die 2. Martii 1697. propositus jussu Sac. Congregationis in folio fuit casus Canonici itidem coadjutoris, qui istud peteb.t Indultum, offerente etiam coadjuto seipsum interea Divinis Officiis interfuturum. Sed qui tunc Secretarii munere fungebatur, considerandum proposuit in eodem folio, quod facultas ab Ecclesiasticis Sanctionibus circa id tributa *in cap. Tuæ de Cleric. non resid. & in cap. Licet de præb.* collata est in Canonicos, & Præbendarios: Talis verò propriè dici non potest coadjutor, qui superstite coadjuto, titulum non acquirit, nec est vere Canonicus, aut Præbendarius. Tum & illud subjecit, quod si coadjutor hujusmodi Indulto potiri posset, frustraretur finis coadjutoriæ, quæ ideo admittitur, ut servitium, quod præstare nequit Canonicus, re ipsa obeat alter in coadjutorem datus, cui simul assignatur remuneratio per jus certum succedendi deinde in ipsum Canonicatum, proindeque concesso Indulto sequeretur, mercedem quidem servitii ab Ecclesia persolvi, neque tamen eam Ministri opera frui, itemque sequeretur coadjutorem assequi præmium successionis sine merito, & labore servitii. Denique exposuit oblationem à Canonico coadjuto tunc factam inserviendi per semetipsum repugnare causæ ejusdem coadjutoriæ, utpote concessæ, quia ingravescens ætas minus aptum reddiderat Canonicum ad servitii onus subeundum per seipsum. Itaque Sac. Congregatio petitum Indultum censuit negandum, rescripsitque: *Oratorem uti posse jure suo*; *ut in lib.47. Decret. pag.82.* scilicet quia si Cano-

nicus coadjutus, ut ajebat, poterat, & volebat interim Divinis adesse Officiis, licebat coadjutori sine Indulto abesse.

Decretum hoc firmavit Regulam, quæ semper deinceps servata fuit, rejiciendo preces coadjutorum postulantium Indultum pro absentia ob studiorum causam.

Quin imo coadjutoribus nec etiam dari a Sacra Congregatione consuevit Indultum, quod ratione alicujus muneris in hac Romana Curia concedi alioquin solet Canonicis pro diebus, & horis quibus impediti ob hujusmodi officium fuerint.

At nihilominus casus, qui hodie proponitur, peculiarem habet circumstantiam in eo positam, quod Canonicus Dominicus Cataldus coadjutus jam ante coadjutoriam obtinuerat Indultum jubilationis, ac proinde si permittatur coadjutori abesse, ut studiis det operam, non fraudabitur Ecclesia servitio, quod alioquin sibi debitum esset à coadjuto, cum hic jam fuisset exemptus ab ejus præstandi onere.

Sed ad hoc posset responderi, tum quod ideo fortasse Franciscus Antonius coadjutoriæ gratiam impetravit, quia ab initio reticuit Canonicum Dominicum Cataldum potiri Indulto jubilationis; tum etiam quod coadjutoria, quamvis concessa post Indultum jubilationis, id habere videtur pro scopo, ut Divino cultui prospiciatur subrogando alterum, qui Ecclesiæ serviat in locum Canonici, qui propter Indultum jubilationis servire non tenetur, & verisimiliter nec etiam potest. Quamobrem deduci inde fortasse posset casum præsentem in ratione decidendi parum, aut nihil differre ab alio casu, in quo agatur de Coadjutore Canonici non habentis Indultum jubilationis, sed tamen ob senectutem non valentis per seipsum inservire Ecclesiæ.

Pertinet igitur ad EE. VV. decernere.

An petitum Indultum pro absentia ob studiorum causam sit concedendum in casu &c.

Negative, & amplius, & ad mentem.

Sess. 21. c. 8. de Ref. GUARDIEN. Seriem, statumque hujus Causæ fuse exposuit Folium Congregationis habitæ die 24. Maji superioris anni. Sed cum proposita tunc non fuerit, eodem Folio resumpto decidendum hodie erit.

I. *An Episcopus Guardien. possit exigere Subsidium charitativum ab Ecclesia S. Joannis Aquævivæ.*

II. *An dictus Episcopus possit exigere Cathedraticum, seu Synodaticum à dicta Ecclesia, ejusque Parocho.*

III. *An idem Episcopus in actu Visitationis faciendæ possit exigere Procurationem.*

IV. *An dictus Episcopus in eadem Visitatione possit recognoscere libros administrationis bonorum ejusdem Ecclesiæ, ejusque rationem petere.*

Dilata, & coadjuventur probationes.

Sess. 24. c. 4. de ref. CREMONEN. SUPPLEMENTI DOTIS. In publico Oratorio, quod in Pago Cassano construxit, & SS. Carolo Borromeo, & Aquilino dedicavit Christophorus Bentius, fuit quoque ab eo fundatum anno 1702. (suspenso tamen fundationis effectu, quandiu viveret) Beneficium, cujus Rectori plura imposuit onera, ac potissimum illud ut

ut quotidie binas Missas in eo Oratorio celebrari curaret. Hæc deinde subjecit: *Al qual fine si sia risoluto per la conveniente dotatione in tanti stabili siti nel Territorio di d. luogo di Cassano, non solo per la congrua, e corrispondente mercede per la celebratione di due Messe quotidiane; ma anche per qualche condegna annua rendita a favore del titolare, che per tempora sarà del detto Benefizio*: & inferius: *in dote, e per dote, e sostentazione del d. Benefiziato titolare, e respettivamente per la celebrazione di d. due Messe quotidiane, e adempimento di ogn'altro carico*.

Obiit Fundator anno 1709. ejusque opulentissima hæreditas obvenit Paulo Fratri, qui deinde cum mascula sobole careret, hæredes ex æquis portionibus scripsit Abbatem Paulum, & Pompejum Fratres de Cantiis, nec non Ambrosium, & Angelum Mariam Fratres de Medicis.

Memoratus Abbas Paulus de Cantiis (qui etiam obtinet Beneficium, cujus mentio supra facta est) cum compererit bona à Fundatore assignata, non tantum in annuo fructu reddere, quantum ille crediderit redditura, actionem instituit adversus cohæredes dicti Pauli, ut dotis tenuitatem supplerent, declarans se quoque ex ea parte, qua hæres erat, id facturum, assentiente itidem Pompejo ejus fratre, & cohærede. At cum hoc impugnarent alii duo cohæredes, nimirum Fratres de Medicis, die 13. Augusti 1729. disceptatum in hac Sacra Congregatione fuit; *An sit locus reductioni onerum, seu potius supplemento dotis, & in qua summa*: prodiitque rescriptum; *Non esse locum reductioni, & quoad supplementum dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem*.

Mandato Sacræ Congregationis morem gerens Episcopus delegit Peritum, qui fundos dotales Beneficii inspiceret; & quanti valeant, quotque annui redditus inde percipi queant, referret. Constat igitur ex relatione Periti, pretium Prædiorum, quæ jussu Fundatoris tradita fuerunt, anno 1713. attigisse summam librar. 18083. eaque tunc in annuo fructu reddidisse libras 659. nunc verò prætium esse in libris 21763. annuos autem proventus in libris 666. Subjunxit tamen idem Peritus, quod cum anno 1713. solutæ etiam fuerint Abbati Paulo Cantio, qui Beneficium tunc possidebat, libræ 3963. ut eas in eadem Prædia instruenda, & excolenda erogaret, addi oportet hanc summam æstimationi factæ relatè ad annum 1713. itemque haberi rationem annui redditus, qui manare posset ab ea summa, quam non omnino impensam fuisse apparet; proindeque concludit proventus ascendere nunc posse ad summam librarum 677.

Quantum verò attinet ad annua onera subeunda a Rectore Beneficii, asserit dictus Abbas Paulus Cantius ea ascendere ad æstimationem scutorum 144. monetæ Romanæ, proindeque onera ipsa excedere annuos redditus in summa circiter scutorum quinquaginta ejusdem monetæ.

At non in hac solum quantitate supplementum dotis ab hæredibus esse præstandum contendit memoratus Abbas Paulus; sed postulat etiam assignari ex aliis bonis hæreditariis tantum annuorum proventuum, quantum par sit honorificæ sustentationi ipsius Rectoris Beneficii, ad quam ait requiri saltem annua scuta quadringenta. Plura verò cumulat argumenta ad suadendum; quod hoc animo fuerit fundator; ac potissimum quia ille in fundatione declaravit bona à se in ea assinari, tum ut oneribus injunctis satisfieri posset, tum etiam ut honesta vitæ subsidia haberet Beneficii Rector: quem voluit esse unum ex nobili familia sua progenitum, quoties idoneus existeret.

Denique petiit Abbas Paulus Cantius decerni supplementum Dotis habito etiam respectu temporis præteriti, ducto scilicet initio ab anno 1710. quo Beneficium ipse fuit assecutus.

Has igitur omnes controversias complectitur Dubium, quod proponitur decidendum.

An, & in qua summa Dos supplenda sit, à quo tempore, & à quibus in casu &c.

Dilata, & Episcopus deveniat ad electionem alterius Periti juxta instructionem, non retardata tamen interim celebratione Missarum salvis juribus Abbatis.

Seß. 22. c. 6. de ref.

FIRMANA COLLEGII CANUTI. Andreas Canutus Episcopus Oppidensis anno 1615. scripto hærede Nicolao Ptolomeo jussit erigi in hac Urbe Collegium pro sex Alumnis oriundis è Castello S. Elpidii, postquam redditus bonorum pio huic operi destinatorum pervenissent ad annuam summam scutorum sexcentorum. Regulas etiam tradidit vivens ad ejusdem Collegii gubernationem, ibidemque jussit Adolescentes è domo sua ad Collegium deferre vestes, pannosque lineos, quibus in eo uterentur.

Cum Gregorius XV. facta loci commutatione permisisset Collegium erigi in Civitate Firmana, illud tamen Urbanus VIII. anno 1633. ad hanc Urbem revocavit, atque etiam potestatem fecit, ut institueretur, quamvis fructus bonorum legatorum nondum eam summam attigissent.

Anno 1699. cum annui proventus jam pervenissent ad scuta 323. ex auctoritate Innocentii XII. Collegium Canutum annexum, incorporatumque fuit Collegio Piceno in hanc eadem Urbe existenti, simulque impertitus fuit Pontifex Cardinali Mariscotto tunc Protectori facultatem stabiliendi conditiones circa id oportunas cum assensu Communitatis S. Elpidii. Inter cæteras itaque conditiones cautum fuit, ut in ipso Collegio Piceno ali debeant tres Alumni, sive etiam pauciores, sive plures, ratione habita annuorum proventuum Collegii Canuti, utque singulis mensibus ex eis solvantur Collegio Piceno scuta octo cum obulis viginti pro unoquoque Alumno, necnon domestica suppellex, cujus usus esset necessarius, ex eisdem hæreditariis redditibus comparetur, vestimentis tamen exceptis, & ære proprio ab unoquoque Alumno emendis; ac demum, ut quatuor postquam proventus hæreditarii pervenissent ad quantitatem idoneam alendis in Collegio adolescentibus, posset Communitas, si vellet reliquam majorem summam distribuere in eorumdem Alumnorum subsidium. Facta itaque fuit hæc distributio inter quatuor Alumnos ex decreto Communitatis ab anno 1716. ad 1728. Sed eo tempore Eminentissimus Protector animadvertens rationi magis consentaneum esse, ut juxta vota Fundatoris plures, quam quatuor juvenes in Collegio educarentur, vetuit eis dari id, quod in annuo fructu supererat. Quamobrem Communitas Sanctissimo Domino nostro supplicavit, ut cum derogatione, si opus esset, voluntatis Fundatoris approbare dignaretur distributionem reliquorum proventuum perpetuò faciendam inter dictos quatuor Alumnos; qua quidem de re Sanctitas Sua agi voluit in hac S. Congregatione.

Eminentissimus Protector eam reddere instructam rogatus significavit, Alumnis ab instituto Collegio usque ad annum 1716. subministrari consuevisse dumtaxat victum: quidquid verò in annuo fructu superfuit,

con-

converſum fuiſſe in capitale, atque inde factum eſſe, ut tempore procedente ali potuerint in Collegio quatuor adoleſcentes, ſperari etiam poſſe, ut eamdem adhibita diligentia in cumulandis annuis redditibus penſionem neceſſariam ad alimenta quatuor Alumnorum eo res deduci poſſit, ut & quintus, ac deinceps aliquando ſextus adoleſcens ſubſtentari in Collegio valeat. Hanc itaque rationem ineundam potius ajebat Eminentia ſua, quam liberalius agendum cum quatuor dumtaxat Alumnis, quibus grave videri non debuerat veſtitum ſibi comparare de ſuo, ut faciunt cæteri omnes Alumni Collegii Piceni, itemque ii, qui in pluribus aliis Collegiis ejuſdem Urbis educantur. Ad hæc ſubjunxit voluntatisFundatoris circa numerum ſex adoleſcentium nec àGregorio, nec ab Urbano, nec ab Innocentio derogatum fuiſſe; facultatem vero ab eodem Innocentio traditam Cardinali Mariſcotto ſpectaſſe ſolum conditiones opportunas ad ſociandum Collegium Canutum cum Collegio Piceno, nequaquam vero ad minuendum Alumnorum numerum, quem fundator præſtituerat.

Re itaque inter ſummaria ſupplicum libellorum propoſita die 9. Februarii 1723. Sacra Congregatio ſententiam Eminentiſſimi Protectoris approbavit, & Communitatis S. Elpidii, Alumnorumque petitionem cenſuit rejiciendam. Sed iis minime acquieſcentibus, examinandum proponitur.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis die 9. *Februarii* 1732. *in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

ASCULANA CATHEDRATICI. Gravis olim controverſia agitata fuit, tum in Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, tum etiam in Sacræ Rotæ Auditorio, an quædam Eccleſiæ exiſtentes in Diæceſi Aſculana ſubſint juriſdictioni illius Epiſcopi, an verò Abbatis Farfenſis, ad quem earum collatio pertinet. Nulla autem hactenus prodiit definitio; ſed anno 1628. eadem Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium per modum proviſionis, & ſine præjudicio Juris utriuſque Partis avocavit ad ſe ipſam omnem Juriſdictionem Epiſcopalem in eaſdem Eccleſias, ſimulque commiſit talis juriſdictionis exercitium ſub nomine obeundum Vicario Farfenſi uſque ad exitum litis. *Seſſ. 25. c. 4. de ref.*

At poſtmodum inter Eminentiſſimos Abbates Farfenſes, & Reverendiſſimos Epiſcopos Aſculanos inita fuit concordia, in qua, ſalvis utriuſque partis juribus, conventum fuit, primo quod eveniente vacatione dictarum Eccleſiarum Parochialium, à Miniſtris Curiæ Epiſcopalis Aſculanæ indici debeat concurſus nomine, tam Abbatis, quam Epiſcopi, & concurſus habeatur coram Epiſcopo, ejuſque examinatoribus Synodalibus, qui tunc cenſeantur deputati etiam ab Abbate; acta verò concurſus ab Epiſcopo mittantur Abbati, qui Eccleſiam conferat illi ex approbatis, quem magis idoneum cenſuerit. Secundo quod Eccleſiæ illæ tam ab Abbate Farfenſi, quam ab Epiſcopo Aſculano viſitentur, ſed in ſpectantibus ad Curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum jus viſitandi exerceatur à ſolo Epiſcopo. Tertio quod exercitium juriſdictionis, tum in populum, tum in Parochos, alioſque Presbyteros ſit penes eumdem Epiſcopum. Et hæc concordia nunc etiam viget, ac ſervatur.

Cum

Cum vero in Concilio Romano habito anno 1725. *Tit.8. cap.4.* redintegratæ fuerint veteres Juris Canonici Sanctiones de Cathedratico Episcopis solvendo, Episcopus Asculanus, credidit jus sibi esse illud exigendi etiam a memoratis Ecclesiis, quæ dicuntur Farfenses.

Id quidem impugnat Eminentissimus Abbas, tum quia Ecclesiæ, de quibus agitur, antiquitus essent Granciæ Monasterii Sancti Salvatoris Majoris, quod annexum deinde fuit Abbatiæ Farfensi, adeoque gaudeant exemptione, qua potiebatur Monasterium; tum etiam, quia Cathedraticum ab Episcopo Asculano exigi nequeat ab illis Ecclesiis nisi prius definitum fuerit id, quod adhuc ast in lite, nimirum, quod eæ sint de Diœcesi Asculana, adeoque subsint ordinariæ jurisdictioni Episcopi; tum demum quia numquam antea Asculani Antistites Cathedraticum ab istis Ecclesiis exegerint, sed imo usque ad annum 1600. constet illud fuisse solutum Abbatibus Farfensibus.


Sed Episcopus respondet, vel priscum Monasterium non fuisse exemptum à solutione Cathedratici, vel eius exemptionem non potuisse suffragari Ecclesiis sæcularibus, quamvis ab ipso Monasterio dependentibus, iuxta Textum in *cap.Conqueren. de Offic.Ordinar.* Contendit quoque Cathedraticum, utpote subiectionis notam, sibi deberi ab iis Ecclesiis, in quas ipse ex vi etiam concordiæ iurisdictionem exercet, excepta solum earum collatione Eminentissimo Abbati reservata; potissimum verò cum Rectores earum Ecclesiarum consueverint Asculano Episcopo solvere *subsidium charitativum, & procurationem* in visitatione. Ait denique Cathedraticum nulla contraria consuetudine posse præscribi, ideoque a Sacra Congregatione, cui prius commissa fuerat cognitio Causarum spectantium ad Cathedraticum fuisse die 29. Aprilis 1731. decisum, *Cathedraticum deberi ab Ecclesia Cathedrali Asculana, aliisque existentibus in centenaria possessione non solvendi.*

Non graventur itaque EE. VV. decernere.

An Cathedraticum debeatur Episcopo Asculano ab Ecclesiis, & Beneficiis Farfensibus in casu &c.

Non proposita.

Die Sabbathi 18. Aprilis 1733.



N hodierna Congregatione proponentur binæ Causæ, quæ fuerunt itidem descriptæ in folio postremæ Congregationis habitæ die 28. Martii videlicet.

URBINATEN. CONCURSUS.

Sess.24.c.18. de ref. I. *An constet de irrationabili judicio Archiepiscopi.* Et quatenus affirmative.

II. *An, & cui debeatur Parochialis Ecclesia S.Cassiani in casu &c.*

Ad primum affirmative. Ad secundum deberi Uguccino.

ASCU-

ASCULANA CATHEDRATICI. *Sess. 7. c. 7. de ref.*

An Cathedraticum debeatur Episcopo Asculano ab Ecclesiis, & Beneficiis Farfensibus in casu &c.

Dilata ad sequentem;

VISEN. PAROCHIALIS. In Congtegatione habita die 9. Augusti superioris anni discussa fuit controversia inter Josephum de Almeyda, & Emanuelem de Azevedo vigens, cujus cardo in hoc versabatur, an Josephus fuisset approbatus ab Examinatoribus Synodalibus in concursu habito ab Ecclesiam Parochialem S. Mariæ de Canas, quemadmodum fuerat expositum in litteris Apostolicæ collationis, sed ab Emanuele impugnabatur. Suspensa autem tunc fuit decisio, quia Josephus in medium protulerat testimonium Capituli Cathedralis affirmantis, quod examinatores, qui eum approbaverant, erant verè Synodales, qui legitime electi in Diœcesana Synodo per ipsum Capitulum habita Sede Episcopali vacante. *Sess. 24. c. 16. de ref.*

Nunc ad rei gestæ veritatem certius demonstrandam producitur testimonium Vicarii Capitularis, ex quo documento habetur Synodum Diœcesanam à Capitulo, ejusque Vicario fuisse habitam die 18. Septembris 1727. in eaque electos fuisse viginti examinatores; coram verò tribus eorum factum fuisse concursum, in quo approbationem obtinuit memoratus Josephus de Almeyda; quin etiam duos ex istis tribus examinatoribus fuisse illos ipsos Viros, quos cum aliis quatuor eodem anno idem Vicarius Capitularis ex potestate ei facta ab hac Sacra Congregatione jam subrogaverat de mortuis Examinatoribus Synodalibus. Re itaque sic se habente determinandum erit.

An sustineatur provisio Apostolica per Josephum de Almeyda obtenta de Ecclesia Parochiali S. Mariæ de Canas, vel potius sit locus impetrationi in casu &c.

Affirmative ad primam partem, & negative ad secundam, & amplius.

ROMANA REDUCTIONIS ONERIS MISSARUM. Bartholomæus Bandinellus anno 1617. hæredem scripsit Archiconfraternitatem S. Joannis Decollati, cui mandavit, ut celebrari curaret perpetuò in Ecclesia S. Gregorii unam Missam quotidie, ac duo Anniversaria. Biennio post Archiconfraternitas, solutis scutis mille Monachis Camaldulensibus, qui eidem Ecclesiæ præsunt, transtulit in eos hæc onera, quibus se perenniter satisfacturos promiserunt. At cum anno 1724. Abbas Generalis Camaldulensium impetrasset a Summo Pontifice facultatem moderandi onera perpetua Missarum juxta normam annuorum scutorum sexaginta pro unaquaque Missa quotidiana, decretum ab eo fuit celebrandas in posterum esse annuas Missas 161. cum binis Anniversariis, habito scilicet respectu annuorum scutorum 28., & obulorum 25., quæ Monasterium percipiebat ex dictis scutis mille in locis Montium collocatis. *Sess. 22. Dec. de observ. & evit. in celeb. Miss.*

Id igitur an ritè factum fuerit, in controversiam venit, nam si Monasterium

rium juvari poſſet Pontificio Indulto, Archiconfraternitas obnoxia fieret oneri celebrationis aliarum Miſſarum 204. ſingulis annis, quia ſcilicet Teſtator non aſſignavit certum fundum, nec illum ab hærede aſſignari juſſit pro celebratione Miſſæ quotidianæ, ſed huic oneri univerſam ſubjecit hæreditatem, proindeque non prodeſt hæredi aſſignatio fundi, quam ille ultrò fecerit ſi progreſſu temporis impares oneri reddantur ejus proventus, juxta tradita per *Rot. in Romana annuæ præſtationis* 16. *Januari* 1702. §. 13. *coram Card. Caprara, & in Romana ſupplementi, & appilicationis* 11. *Junii* 1723. *cor. Rmo Patriarcha Aldovrando*.

Porrò Indultum Illud generalibus verbis complectitur onera Miſſarum perpetuarum jam ante ſuſcepta a Monachis, non diſtinguendo, an per legatum, vel per contractum. Sed tamen Archiconfraternitas contendit illud ſuffragari non poſſe ad excutiendam obligationem ex contractu proficiſcentem. Sic enim non conſuevit hæc Sac. Congregatio ob diminutos fructus onera Miſſarum reducere, ſi per contractum ſuſcepta fuerint, ſed tunc agi oportet, coram judice ordinario, ut cognoſcat num contractus ob læſionem, & injuſtitiam ſit reſcindendus, vel reducendus ad æquitatem, juxta plura decreta relata à *Monacell. tom.* 4. *formul. legal. pag.* 83. *num.* 466.

Speciatim verò agendo de Indultis, quæ à Sede Apoſtolica impetraverant aliquæ Religioſæ Familiæ pro moderandis Miſſarum oneribus, haud quaquam ea ſuffragari quoad onera per contractum ſuſcepta, reſcripſit alias Sacra Congregatio *in Maceraten. oneris Miſſarum* 15. *Novembris* 1687., *ut in lib.* 47. *Decret. pag.* 636. *& in Montis Politiani* 3. *Septembris* 1716., *ut in lib.* 66. *Decret. p.* 429. At recentius contrariam ſententiam amplexa fuit, nam quoad *PP. Ordinis B. M. de Mercede*, qui ab Innocentio XIII. obtinuerant Indultum ſimile illius, quod impetrarunt Camaldulenſes, die 8. Julii 1724. reſpondit Sac. Congregatio *in reductione ab indulto permiſſa comprehendi etiam onera Miſſarum per contractum acceptata, ut in lib.* 74. *Decr. pag.* 226. Eamdemque declarationem edidit die 19. *Auguſti ejuſdem anni* 1724. quoad PP. Congregationis Reformatæ S. Bernardi eodem Indulto ſuffultos, ut in *d. lib.* 74. *Decr. pag.* 345. Quæ tamen bina Decreta, nullo contradicente, prodierunt inter Summaria ſupplicum libellorum.

Alter quoque affinis caſus diſcuſſus fuit *in Bergomen reductionis Miſſarum* 10. *Julii* 1728. Cum enim PP. Congregationis Somaſchæ ſuſcepiſſent onus celebrationis Miſſæ quotidianæ per contractum initum cum hærede, a quo certa pecuniæ ſumma fuerat ſoluta, cumque moderator Generalis illius Congregationis, hoc onus reduxiſſet ex vi ſimilis Indulti, reſponſum fuit; *Reductionem non ſubſtineri, ut in lib.* 78. *Decr. pag.* 337. Sed, ut ex Folio apparet, in eo caſu hæres, qui factam reductionem impugnabat, pluribus nitebatur rationibus, ſcilicet tum quod Indultum Pontificium cenſendum non eſſet tribuere poteſtatem moderandi onera Miſſarum per contractum ſuſcepta; tum ſpeciatim quod in ipſo contractu cum PP. Somaſchis inito adjectum fuiſſet pactum de numquam petenda reductione; tum denique quod bona olim empta nummis ab hærede traditis adhuc in annuo fructu redderent ſaltem annua ſcuta ſexaginta. Itaque non ſatis certum eſt, quid Sacra Congregatio ſenſerit circa interpretationem Indulti per ſe conſiderati.

Denique *non ſubſtineri reductionem Miſſarum* factam ex Indulto, quod itidem Innocentius XIII. impertitus fuerat Ordini Servorum B. M. V. deci-

cisivum fuit in *Mediolanen.* 7. *Aprilis*, *&* 1. *Septembris* 1731., *ut in lib.*81. *Decr. pag.*143. *&* 466. Verum ad infringendam reductionem, non solum proponebatur contractus, quo Religiosi onera Missarum susceperant, & quem deinde per transactionem confirmaverant; sed etiam urgebat non fuisse ab ipsis Religiosis satis demonstratam annuorum redditųum diminutionem.

Decidendum itaque erit.

An sustineatur reductio Missarum in casu &c.

Negative.

PAPIEN. Circiter annum 1540. Benedictus XII. Pontifex Max. Papiensibus, quos ab interdicto absolvit, ad expiationem publicæ noxæ injunxit præter alia, ut in Cathedrali templo Sacellum constuerent Divo Benedicto Abbati dicandum, in quo Divinam victimam quotidie immolare deberet unus Præsbiter cum Ministo, assignando etiam in dotem Sacelli fundum, cujus annui proventus attingerent triginta florenos auri de Camera. *Sess.7. c.8. de ref.*

At multo post, cum in dubium venisset, an quæcumque memoratus Pontifex præscripserat omnino effecta a Papiensibus fuissent AlexanderVI. anno 1496. injuncta eis erogatione certæ quantitatis pecuniæ in fabricam ejusdem Ecclesiæ, iterum a censuris eos liberari mandavit, his verbis subjecti: *nec non prædicta omnia*, *& singula per præfatum Benedictum prædecessorem injuncta onera tollas*, *& amoveas*: Itaque Vicarius generalis Episcopi Papiensis, qui Pontifice fuerat ad id delegatus, in ipso absolutionis Chirographo, & absolutionem fuit impertitus, & hæc addidit; *nec non omnia*, *& singula onera per præfatum Benedictum olim Pontificem*, *de quibus in eisdem literis continetur tollit*, *& amovet in omnibus*, *& per omnia*.

Verum nihilominus bina reperiuntur olim fundata in eo sacello Beneficia juxta legem a Benedicto XII. impositam, alterum nomine Cappellaniæ, alterum titulo Clericatus, quamvis ignotum sit fundationis initium. Jus verò nominandi Beneficiarios spectare consuevit ad eos, qui præsunt fabricæ Ecclesiæ.

Nunc autem cum utrumque Beneficium sit vacuum, iidem Præsides fabricæ preces obtulerunt Sanctissimo Domino Nostro, ut iis Beneficiis extinctis omnes eorum proventus perpetuo transferre dignetur ad ejusdem Cathedralis Templi restaurationem, & perfectionem. Pronius autem putant indulgendum sibi esse, quod postulant, quia ut ipsi interpretantur, onus constituendi dotem Cappellano, & Ministro sustulit Diploma Alexandri VI.

Prædia, quæ utriusque Beneficii dotem constituebant, reddunt nunc in annuo fructu scuta septuaginta, & septem monetæ Romanæ. Id non solum confirmat Episcopus, sed etiam addit Templum ipsum, licet pulcherrimum, adhuc magna ex parte imperfectum esse, atque etiam octo scutorum millia impendenda in illius reparationem fore; exiguos tamen esse proventus, quibus alioquin fruitur ejusdem Ecclesiæ fabrica, proindeque censet petitioni annuendum. Cæterum summam certam talium proventuum non explicat Episcopus, itidemque nihil ait de mediis fructibus, primi anni, quos pro fabrica Ecclesiæ Cathedralis solvere debent quicumque obtineant Beneficia excedentia annuum redditum

tum scutorum centum, juxta constitutionem anno 1725. editam a Benedicto XIII. Pontifice Maximo, & relatam in *Appendice concilii Romani pag.* 271.

Deliberabitur itaque.

An sit consulendum Sanctissimo pro gratia petitæ applicationis.

Negative.

Sess. 7. cap. 8. de ref.

NULLIUS FORI POMPILII CAPPELLANIARUM. Cæsar Armannus omnem hæreditatem suam addixit fundationi Consortii, sive Cœtus Presbyterorum in Oppido Meldula, ut ii quotidie in Ecclesia Parochiali ejusdem Oppidi divina Officia persolverent, eo prorsus ritu, qui in Ecclesiis collegiatis servari solet. Decem Presbyteros ad consortium illud voluit primum aggregari, deindeque aucto patrimonio per cumulum annuorum redditum addi etiam alios binos Sacerdotes, & unicuique ipsorum destinavit annua scuta triginta. Jussit quoque solvi à singulis Præsbyteris in ingressu scuta duo, ac deinceps quotannis julios tres, ut hæc pecunia in sacræ suppellectilis reparationem erogaretur.

Anno 1698. impletus fuit numerus duodecim Sacerdotum constituentium illud Consortium, cujus regimini præesse voluit Fundator Communitatem Meldulæ, proindeque ab eadem Communitate eligi consueverunt Presbyteri in cœtum illum cooptandi.

At sub annum 173 . á nonnullis Presbyteris huic Consortio adscriptis, & asserentibus emolumentum ipsis obveniens longe esse infra præscriptum a Fundatore, preces oblatæ fuerunt huic Sacræ Congregationi, ut injungeretur suspendi saltem per decennium electionem duorum ex dictis duodecim Presbyteris, sive Cappellanis, & interea annuos redditus, qui ab eis percipi debuissent, impendi in restaurandum, & ampliandum Sacrarium, comparandamque sacram suppellectilem. Vicarius tamen Generalis Fori Pompilii, audita Communitate Meldulæ, retulit Cappellanos Consortio adscriptos annua scuta triginta juxta votum Fundatoris, atq; etiam amplius consuevisse percipere; Sacrarium omnino idoneum esse; ac denique sacræ suppellectili prospectum ab ipso Fundatore fuisse, certis, ut dictum est, in id assignatis redditibus. Itaque, cum interea duo ex Presbyteris aggregatis obiissent Communitas Meldulæ in eorum locum subrogari curavit Paulum Georgium, & Josephum Amigonum.

Ut autem de statu proventuum hæreditariorum, aliisque in deliberationem venientibus certius constaret, commissa deinde eorum cognitio fuit Episcopo Faventino, qui ratiocinatorem elegit, & peritiam ab eo confectam transmisit. Circa vero Sacrarium, & sacram suppellectilem, idem Episcopus accuratam quoque fecit descriptionem, quæ simul cum dicta peritia Ratiocinatoris subjicietur oculis EE. VV. Acriter igitur impugnante Communitate petitam duarum Cappellaniarum suspensionem, quippe quæ divino cultui detrimentum afferret, & suffragium Fundatori debitum interim minueret, examinandum proponitur.

I. *An sit locus suspensioni duarum Cappellaniarum Adunantiæ Armannæ, & usque ad quod tempus.* Et quatenus affirmative.

II. *An emolumenta Cappellaniarum, ad quas fuerunt nominati Paulus Georgius, & Joseph Amigonus, eisdem sint adjudicanda, seu potius cadere debeant sub eamdem suspensionem.*

III. *An,*

III. *An, & quomodo, & de quibus pecuniis liceat Cappellanii Adunantiæ Admannæ construere Sacristiam, & parare sacram suppellectilem in casu &c.*

Ad primum negative, & ad Iudices suos pro ratione reddenda de administratione per Æconomos gesta, qua redditione rationis peracta Ordinarius certiorem redd at S. Congregationem. Ad secundum affirmative ad primam partem, & negative ad secundam. Ad tertium Ordinarius mandet restaurari Sacrarium, & Sacram Suppellectilem à quibus de Iure, & amplius.

MAJORICEN. LEGATI. Petrus Llabres, dum viveret sepulchrale monumentum sibi posuit in Ecclesia Religiosæ Familiæ Divi Francisci de Paula ante Aram maximam, & prope Presbyterium. In Testamento autem, quod deinde fecit anno 1630., legavit Religiosis ejusdem Cœnobii annuas libras biscentum, hac lege adjecta: *cum pacto, & conditione, quod teneantur conservare sepulturam, & lapidem, existentem in medio Ecclesiæ eo modo, & forma, in qua nunc reperitur. Et si contrarium fecerint, quamvis Pontificium Breve obtinuerint, vel aliter nunc pro tunc lego dictas libras ducentas censuales Hospitali Generali.* *Sess. 24. c. 8. de Ref.*

Anno 1725. Religiosi exposuerunt Sac. Congregationi magno esse incommodo tumulum illum inanem, qui supra pavimentum extollebatur palmis sex, & cujus latituto undecim occupabat palmos, longitudo verò sex, idque etiam repugnare Constitutioni V. Sancti Pii V. Narrarunt itidem legem illam legato insertam, & facultatem postularunt æquandi sepulchrum solo, apposito marmoreo elogio ad perennem Viri in ea Ecclesia sepulti memoriam. Audito autem Episcopo, Sac. Congregatio precibus annuendum censuit, edito die 1. Decembris 1725, hoc rescripto -- *Sepulchrum æquetur pavimento, & lapis marmoreus apponatur cum verbis exprimentibus nomen, & cognomen, & elogium Petri Testatoris, cujus ossa sub humo, & sub novo lapide sunt humanda, & Episcopus invigilet etiam auctoritate Sac. Congregationis, ut omnia ritè, & rectè adimpleantur* -- Itaque ex Decreto Episcopi demolitum fuit cenotaphium, quo quidem demortui Petri corpus minimè continebatur; lapis verò ipse, quo antiquus tumulus tegebatur, & in quo scriptum eidem Petro epitaphium fuerat, collocatus in Templi pavimento fuit.

Anno insequente reclamavit coram hac Sac. Congregatione Nicolaus Llebres acriter conquestus, se inscio, & inaudito sublatum cenotaphium Petri Avi sui, & Fundatoris Ecclesiæ, ideoque postulans illud in pristinum statum restitui. At die 26. Julii 1726. rescriptum fuit -- *in Decisis* -- Deinde Hospitalis Domus in legato substituta litem intentavit Fratribus, contendens locum idcirco datum fuisse substitutioni, & Fratres a legato cecidisse; atque ita pronunciatum a Curia Episcopali fuit. Provocantibus verò Fratribus per Decretum R. P. D. Auditoris Sanctissimi eiusdem controversiæ discussio commissa est huic Sac. Congregationi.

Æquam verò non fuisse sententiam Episcopi existimant Fratres, tum quia conditioni, quam legato iniecerat Testator, refragabatur memorata Piana Constitutio, quæ in §. 6. sic hab[illegible] *in Ecclesiis nihil in-*

cens relinquatur, Episcopi provideant, ut capsæ omnes, & deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur -- Tum etiam quia quidquid à Fratribus gestum fuit, auctoritate, jussuque hujus Sac. Congregationis factum est. Hinc verò deducunt Fratres, se legati amissione non esse mulctandos, nec ejus emolumentum dici posse devolutum ad hospitalem domum substitutam cum substitutio adimens emolumentum jam collatum, & in alium transferens, quamvis pœnæ nomine appellata non fuerit, re ipsa vim habeat pæna sine culpa non subeundæ, juxta *Text. in l. Uxorem* §.3.*ff.de leg.*3., *& in* § *final. Instit. tit. de legat.*, *& Aretin. in leg. Titia* 134. *n.*3.*ff. de verb. oblig.*

At Rectores Hospitalis judicium putant esse ferendum, non quasi de dispositione pœnali, sed uti de substitutione facta in eventum certæ conditionis, in qua proinde non de mala, aut bona fide quærendum sit, sed merum factum inspici debeat ad servandam Testatoris voluntatem, juxta alterum *Text. in l.*19.*ff. de cond.*, *& demonstr.*, *& in l.*2.*ff. de his, quæ pæn. nom.*

Deliberandum itaque erit.

I. *An sit locus substitutioni ad commodum Hospitalis generalis*. Et quatenus affirmative.

II. *An à PP. S. Francisci de* Paula *restituendum sit eidem Hospitali generali integrum capitale cum annuis proventibus, & a quo tempore in casu &c.*

Ad primum negative. Ad secundum; Satis provisum.

*Cap.*3.*Sess.*22. *& c.*12. *Sess.* 24. *de ref.*

CALAGURITANA JUBILATIONIS. In veteri more positum est, ac statuto etiam confirmatum, ut Dignitates, Canonici, & Portionarii, postquam per quadraginta continuos annos Cathedrali Ecclesiæ inservierint, vacationem à choro, quam vocant *jubilationem*, consequi possint.

Josephus de Miranda in eadem Ecclesia primum Canonicus, deindeque etiam Archidiaconus *de Vircaja*, aliquot annis antequam quadragenarium servitium expleverit, coadjutorem sibi dari obtinuit Gasparem fratris sui filium. Hic tamen uno tantum die interfuit Divinis Officiis pro Patruo in Archidiaconali subsellio. Reliquo verò tempore per se ipsum assiduè munus obivit suum Josephus Patruus, atque ita quadragenarii serviti curriculum confecit, ducto scilicet initio ab assecutione Canonicatus, cum tamen postquam Archidiaconus factus fuit, duo tantum supra triginta effluxerint anni.

Rebus ita se habentibus, dubitatio suborta penes Capitulum fuit, an Josepho competat indulum jubilationis, tum quia ille jam habet coadjutorem; tum quia in Archidiaconatu non præstitit Ecclesiæ servitium spatio quadraginta annorum; quin etiam uno die fuit interruptum per servitium, quod obivit Coadjutor. Itaque Episcopus utrumque dubium aperiri sapientissimo Sacræ hujus Congregationis judicio postulat, ut inde etiam statuatur norma deinceps servanda.

Porrò Jubilatio non ex justitia debetur, nec ex Juris Canonici sanctione, sed ejus concessio est semper gratia, æquitati tamen, & pietati consentanea post quadragenarium servitium, jugiter, & cum laude obitum, ut advertunt *Navar. consil.*12. *de Cleric. non resid. Bonac. de hor. Canon.*

*non. quæst.*5. *punct.*6.*num.*15.*Monet. de distrib. par.*1, *quæst.*13. *n.*41. De simili autem statuto refert *Gallemart.adConcil.Trid.sess.*24.*cap.*12. *de ref.* olim Sac. Congregationem rescripsisse his verbis -- *Licet statuta sint sublata, per quæ absentibus dantur distributiones, nihilominus Gregorius XIII. senibus, & benemeritis misertus mandavit Statutum Compostellanum tolerari, per quod debentur distributiones non servientibus, qui per quadraginta annos jam servierunt.*

Jam verò quantum attinet ad primum dubium, difficultas in eo posita videtur, quod jubilatio superflua est, & minime necessaria ei, Coadjutorem habeat, cum seclusa etiam jubilatione liber fieri possit, & immunis à ministerio exibendo, dum tamen inserviat Coadjutor, qui id circo peculiariter datur, ut Divinis Officiis intersit pro Canonico, id per se ipsum facere non valente, cum Coadjutoriæ in Beneficiis Ecclesiasticis cum futura successione non sint permittendæ, nisi quando id exigat, vel urgens necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiæ, ut statuit *S.Conc. Trid. cap.*7. *sess.*25. *de ref.*

Cæterum Coadjutoriam supervenientem post quadragenarium servitium, ideoque post acquisitam jubilationem, non obesse, quominus Canonicus coadjutus jam parte jubilationis commodo potiri queat, docent *Garz. de Benef. par.*4. *cap.*5. *num.*89. *Rot. decis.*790. *num.*11. *coram Pœnia.* Sed ex hoc ipso, quod coadjutoriam subsequentem ajunt non officere jubilationi antea acquisitæ, significare quodammodo videntur aliud esse dicendum, si coadjutoria præcedat jubilationem.

Accedit, quod in eadem *dec. n.*14. firmatum quoque fuit Coadjutorem, qui datus fuerit Canonico jam habenti indultum jubilationis, minime juvari hoc Indulto, sed nihilominus eum inservire debere. Quorsum igitur tribuatur Indultum jubilationis Josepho de Miranda, si ubi etiam fuerit concessum; tamen oportebit Coadiutorem inservire Ecclesiæ? Coadiutore autem inserviente, iure suo vacare a choro poterit Josephus coadiutus, quamvis non donatus privilegio iubilationis.

Quo ad alteram dubitationem, facere ad rem possunt resolutiones alias editæ. De eo enim, qui Lateranensi Basilicæ inservierat prius per aliquot annos tamquam Clericus Beneficiatus, ac deinde uti Beneficiatus, responsum fuit *in Romana Jubilationis* 12. *Decembris* 1699. id non obstare iubilationi, & servitii tempora esse conjungenda, ut in *lib.*49. *Decret. pag.*433. Et ex diverso repulsam passus fuit, qui Ecclesiæ SanctæMariæMaiorisBaruli prius inservierat uti Clericus, postea tamquam Subdiaconus, & postremo tamquam Presbyter, ut videre est *in Tranen. Jubilationis* 13. *Januarii* 1703. *lib.*53. *Decret. pag.*1. Quo verò ad eum, qui servitium præstitit partim tamquam Coadiutor, partim verò tamquam Titularis, Jubilationem ei competere, inspecto etiam initio Coadiutoriæ, rescripsit Sac. Congregatio *in Brixien.*27.*Martii* 1683. *lib.*33. *Decret. pag.*91. *in Novarien.*4.*Augusti* 1691. *lib.*41. *Decret. pag.*113. *in Bergomen.* 11. *Februarii* 1696. *lib.*46. *Decret. pag.*83., *& in alia Bergomen. Jubilationis* 8. *Augusti* 1716. *Decretorum. pag.*346.

His itaque Decretis inhærens etiam Sacra Congregatio, cum die 14. Decembris 1718. propositum generatim fuisset hoc Dubium -- *An indulgenda sit jubilatio illis, qui inservierunt spatio annorum quadraginta, sed partim in una Ecclesia, partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam Beneficiati in una, & Canonici in alia, nec non illis, qui in una, & eadem Ecclesia per totum tempus inservierunt,*

sed

sed partim tamquam Clerici Beneficiati, partim tamquam Beneficiati, & aliquando partim tamquam Beneficiati, partim tamquam Canonici, vel partim tamquam Coadjutores, & partim tamquam principales titulares -- Rescriptum fuit -- *Negative ad primam partem, & affirmative quoad secundam; ut in lib.68. Decret. pag.*521.

Præterea aliquando negavit hæc Sacra Congregatio Indultum jubilationis, propterea quod servitium, quamvis per annos quadraginta obitum, non tamen fuerit continuum, ut in *Maceraten. Jubilationis die* 8. *Martii* 1698. *lib.*48. *Decret. pag.*105. *& in Romana Jubilationis 6. Augusti* 1712. *lib.*62. *Decret. pag.*296. Sed nullo in casu aderat adeo tenuis interruptio per unum dumtaxat diem.

Sed, & illud videtur considerandum in casu proposito, quod Archidiaconatus, in quo Iosephus per annos duos, & triginta inserviit Ecclesiæ, non illud solum exigit servitium, quod à Canonicis est præstandum, sed sunt etiam aliquæ peculiares functiones ab Archidiacono obeundæ, solemnibus præsertim diebus. Itaque si ille nunc impetraret iubilationem, non tantum assequeretur immunitatem à servitio, quod tamquam commune & Canonicis, & Dignitatibus fuit ab eo præstitum per annos quadraginta; sed redderetur quoque exemptus ab eo peculiari servitio, quod ad Dignitatem Archidiaconalem spectat, quamvis non fretus merito quadragenarii servitii in tali genere, & ordine præstiti. Fortasse autem ad huiusmodi peculiarem conditionem servitii pertinentis ad Dignitatem respexit Sacra Congregatio, quæ in *Senen.* 16.*Martii* 1726. ad Dubium ita conceptum -- *An Indultum Jubilationis concessum Fabio Balluto olim Canonico Ecclesiæ Metropolitanæ eidem suffragetur post obtentam in eadem Ecclesia Dignitatem Decanatus*: respondit; *Affirmative, dummodo in solemnioribus inserviat: ut in lib.*76. *Decret. pag.*121.

Denique videndum est, an expediat, (ne labefactetur Canonica Disciplina, cuius custos, & vindex est hæc Sacra Congregatio) rigorem adhiberi in admittenda iubilatione, de qua hodie deliberatur: nam alioquin facile usuvenire potest, quod possidentes Canonicatus, vel Dignitates impetrent Coadiutores sibi dari suos Nepotes ut Beneficia remaneant in Familia, quasi per speciem hæreditariæ successionis contra tot Decreta Patrum, & tot Sacras Constitutiones, de quibus in *Can. plerique, & can. Apostolica 8.quæst.*1. *cap. ex transmissa, & cap. Ad extirpandas de Fil. presb. cap. Quia Clericis, & cap. cum nos de Jurepatr. & in Sac. Conc.* Trid. *d. cap.*7. *sess.*25. *de Ref.* Deinde verò Titulares, qui iam Coadiutorem sibi dari obtinuere, atque ita in tuto posuerunt successionem Consanguineorum in locum suum inservire pergant Ecclesiæ per seipsos, donec perveniant ad assequendam iubilationem. Quamobrem, si iubilatio negetur habent Coadiutorem, id etiam boni redundabit in Ecclesiasticam Disciplinam, ut minus facile, minusque frequenter exposcantur Coadiutoriæ, quæ ut plurimum cadentes in iuvenes, impedimento sunt, quo minus Beneficia cum per obitum possidentium vacaverint, conferantur veteranis in Ecclesiastica Militia, & dignioribus, maiorique merito commendatis.

Placeat igitur EE. VV. decernere.

I. *An Josepho de Miranda ad obtinendam Jubilationem obstet, quod jam habet Coadjutorem cum futura successione.* Et quatenus negative.

II. *An prædicto Josepho competat Jubilatio solum in Canonicatu, an verò etiam in Archidiaconatu.*

III. *An*

III. *An obstet interruptio servitii per unum diem.*

Non proposita cum sequenti.

ORTONEN. Antiquam Ecclesiam S. Margharitæ sacram, & appellatam de Suffragio, quæ pleno iure regi consueverat ab Episcopis, quinquaginta circiter ab hinc annis Episcopus Casanatte refecit, amplificavit, ornavitque. Cumque ingens esset copia legatorum piorum, quæ ad suffragium Animarum Purgatorio igne peccata expiantium relicta fuerant, idem Episcopus anno 1713. monitis prius per edictum omnibus, qui sua interesse putarent, nec tamen ullo contradicente, instituit ex huiusmodi bonis, & proventibus quinque perpetuas Cappellanias in titulum conferendas. Cappellanis vero certas imposuit Leges circa servitium Ecclesiæ præstandum, & Missarum onera implenda. Sess. 25. c. 4. de ref.

At Capitulum Cathedrale contendit Ecclesiam illam sibi esse subiectam, adeoque non ad prædictos Cappellanos, sed Canonicos spectare ius peragendi Officium funebre, quoties cadavera sint sepulturæ mandanda in ea Ecclesia, itemque ibidem Missam solemniter celebrandi festo die S. Margharitæ. Cappellani tamen negant Ecclesiam ullo iure subjectam esse Capitulo, itemque affirmant nullas functiones peragi in ea Ecclesia consuevisse à Canonicis.

Erit itaque decidendum.

An constet de aliquo jure Capituli Cathedralis pro peragendis functionibus Ecclesiasticis occasione tumulationis cadaverum, & die festo S. Margharithæ, in Ecclesia, de qua agitur; vel potius jus faciendi dictas functiones spectet privative ad Rectores, & Cappellanos ejusdem Ecclesiæ in casu &c.

Die Sabbathi 2. Maii 1733.



REsumpto folio superioris Congregationis habitæ die 18. Aprilis degnentur EE. VV. tres, quæ subiicientur, Causas ibidem descriptas definire.

ASCULANA CATHEDRATICI.

An Cathedraticum debeatur Episcopo Asculano ab Ecclesiis, & Beneficiis Farfensibus in casu &c. Sess. 7. c. 7. de ref.

Non proposita.

CALAGURITANA IUBILATIONIS.

I. *An Josepho de Miranda ad obtinendam Jubilationem obstet, quod jam habet Coadjutorem cum futura successione.* Et quatenus negative. Sess. 22. c. 3. Sess. 24. c. 12. de ref.

II. *An*

II. *An prædicto Josepho competat Iubilatio solum in Canonicatu, an vero etiam in Archidiaconatu.*

III. *An obstet interruptio servitii per unum diem.*

Ad primum affirmative, & amplius, Ad secundum, & tertium provisum in primo.

Sess. 24. c. 4. de ref.

ORTONEN.

An constet de aliquo jure Capituli Cathedralis pro peragendis functionibus Ecclesiasticis occasione tumulationis cadaverum, & die festo S. Margharitæ in Ecclesia, de qua agitur, vel potius jus faciendi dictas functiones spectet privative ad Rectores, & Cappellanos ejusdem Ecclesiæ in casu &c.

Dilata, & ad D. Secretarium.

Sess. 13. c. 14. de ref.

FABRIANEN. FONTIS BAPTISMALIS, ET IURIS BAPTIZANDI. Contendente Capitulo Cathedralis Ecclesiæ S. Venantii non licuisse Monachis Camaldulensibus Fontem Baptismalem ponere in Ecclesia Parochiali S. Blasii ad expiandos lustralibus aquis pueros in ea Parochia ortum habentes, sed eis pro veteri more Sacramentum hoc conferendum esse in ipso Cathedrali Templo, proposita fuerunt die 21. Junii 1732. bina, que sequuntur, dubia.

I. *An erectio Fontis Baptismalis facta in Ecclesia Parochiali S. Blasii substineatur.*

II. *An liceat Parocho Ecclesiæ Cathedralis S. Venantii in ea baptizare natos in alienis Parochiis, etiam Fontem Baptismalem habentibus, seu potius spectet privative ad unumquemque Parochum habentem Fontem in sua Ecclesia Baptismum conferre propriis Parochianis in casu &c.*

Responsum quæ fuit: ad primum *Negative*: ad secundum; *Servetur solitum.*

Sed cum hæc controversia novæ discussioni subiecta fuerit die 22. Novembris eiusdem anni, Sacra Congregatio rescripsit -- *Ad I. recedendum a decisis. Ad II. Dilata.* Circa enim secundum dubium Parochus Ecclesiæ Cathedralis insistebat priscæ consuetudini regenerandi ibidem sacro Baptismate indiscriminatim infantes, alienis etiam Parochiis subiectos. Sed non levis ponderis erat responsio, quod consuetudo antehac servata, dum scilicet in Parochiali Ecclesia Camaldulensium non existebat Fons Baptismalis, vim deinceps habere non posset, mutata rerum conditione, hoc est instituto in eadem Ecclesia Fonte Baptismali, Si Sacra Congregatio illum minime esse removendum decernat. Præterea animadvertendum proponitur, quod antequam Fons Baptismalis collocaretur in hac Ecclesia S. Blasii, infantes in eius Parochia nati non in sola Ecclesia S. Venantii, sed etiam in alia Ecclesia S. Nicolai promiscuè baptizari consueverant: ex quo inferunt Monachi non potuisse hoc ius quasi privativum acquiri ab Ecclesia S. Venantii, cum exercitium commune alteri Ecclesiæ repugnet præscriptioni iuris privativi, nec titulum huiusmodi iuris constitui posse in Cathedralitate, cum hoc honore nuper tantum aucta fuerit Ecclesia Sancti Venantii.

Acce-

Accedit denique, quod in sua quemque Parochia, & à proprio Parocho salutaribus aquis initiari consentaneum magis est sacris Ecclesiæ Legibus innovatis à Tridentina Synodo *Cap.*13. *sess.*24. *de Ref.* in hæc verba: *In iis quoque Civitatibus, ac locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant; mandat Sancta Synodus Episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & a quo solo licite Sacramenta suscipiant* -- In Constitutionibus verò Synodalibus iterum ab Episcopo editis anno 1726. peculiariter cautum fuit parvulos Baptismo inaugurandos deferri debere ad propriam Parochiam, ut a proprio baptizentur Parocho.

Perpendi igitur hodie oportet.

I. *An quoad primum Dubium sit standum in primo, vel secundo loco decisis.*

II. *An ad secundum Dubium sit standum, vel recedendum a decisis die* 21. *Junii* 1732.

Ad primum standum esse in secundo loco decisis, & amplius. Ad secundum præfigatur ab Episcopo terminus aliis Ecclesiis Parochialibus ad deducendum Jura sua in Sacra Congregatione.

VELITERNA QUARTÆ FUNERALIS. Constitutio edita a san. mem. Benedicto XIII. circa Quartam Funerariam Ecclesiis Parochialibus tribuendam (ut videre est in Appendice Concil. Roman. pag.151.) quæstionem excitavit inter Parochos Veliternos, & Religiosos Carmelitas, necnon Franciscanos de Observantia, an quoties in eorundem Regularium Ecclesiis tumulari contingat defunctos, Quarta Funeraria debeat consistere in quarta emolumentorum parte, an verò in dimidia. Proposita autem huiusmodi disceptatione die 26. Januarii 1732. Sacra Congregatio differendam censuit decisionem, ut de consuetudine ante illius Constitutionis promulgationem servata uberius doceretur. Causa iterum ad examen revocata die 30. Augusti eiusdem anni, cum in utramque partem plures proferrentur testificationes rescriptum fuit: *Examinentur testes formiter.* Sess.25.c.13. de ref.

Cum itaque satis spatii jam datum fuerit ad hoc conficiendum, in hodierna Congregatione deliberandum erit.

An Quarta Funeralis debeatur pro sola quarta parte, seu potius in medietate in casu &c.

Dilata, & proponatur omnino post Pentecosten.

FULGINATEN. SPONSALIUM. Inito tractatu de Matrimonio contrahendo inter nobilem Puellam Annam Frensanellam, & Virum Eugubinum, præbuit se contradictorem in Episcopali Curia Josephus Petrosellus, asserens eam iam ante fuisse sibi desponsam. Ut de hoc doceret, in medium protulit epistolam, quam aiebat sibi scriptam ab ipsa Puella, quæque indicare quodammodo videtur iam datam de coniu- Sess.24.c.1. de Ref.

gio ineundo fidem. Sed Epistolæ nulla est adjecta dies, nec subscriptio, nec cuinam missa fuerit, apparet. Quin etiam Anna à se scriptam negavit.

Testimonium quoque quatuor Mulierum infimæ conditionis produxit Josephus, earumque duæ fuerunt etiam rite interrogatæ. Denique provocavit Annam, ut *ad Positiones* ab eo conceptas responderet. At eas, quantum attinet ad sponsalia, à veritate alienas esse, jurata affirmavit puella.

Cum itaque Vicarius Generalis Episcopi censuerit in memorata Mulierum testificatione, cæterisque documentis vim non satis inesse ad probanda Sponsalia, pronunciavit non constare de impedimento per Josephum objecto, adeoque tradendas esse Annæ literas testantes liberum ejus statum ad nuptias, quas mallet, ineundas.

Præterea cum Episcopus Assisiensis puellam ipsam ibi commorantem fuerit ea de re percuntatus, significavit per suas literas eam constanter negare se umquam fidem obligasse suam de matrimonio contrahendo cum Josepho, nec omnino velle eum sibi Virum adjungere.

Decreto Curiæ Episcopalis Fulginatensis non acquiescente Josepho, erit nunc discutiendum.

An constet de asserto impedimento Sponsalium in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 25. c. 19. de Reg. LANCIANEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Antonius Vayrinus Bergomi ortus die 28. Augusti 1700. Augustinianæ Familiæ in Lancianensi Cœnobio nomen dedit die 19. Decembris 1718. suscepto nomine Nicolai; ibique etiam sub exitum anni insequentis, confecto probationis curriculo, Religiosa vota solemni ritu nuncupavit. Deinde anno 1721. Subdiaconatus Ordine initiatus fuit, & biennio post reliquos etiam Sacros Ordines suscepit. Anno demum 1731. ab Apostolica Sede supplex petiit in integrum se restitui, ut quamvis post quinquennium, Professionis invaliditatem proponere posset.

Ex documentis, quæ in medium proferuntur, colligitur Petrum Vayrinum, memorati Religiosi Patrem, ex priori coniugio unũ illum suscepisse Filium: ad alteras verò nuptias transire volentem improbum hoc iniisse consilium, ut Filium religiosam disciplinam amplecti cogeret, ne ille in avitum fideicommissum succedere posset, ab eoque arcere sobolem ex alia, cui nupturus erat, fœmina procreandam. Id ut à reluctante Filio extorqueret, non vehementibus pepercit instigationibus, non verberibus, non acerbioribus minis, ferro etiam quandoque ei intentato,

Vim facienti Patri tandem cessit Filius. Sed die 20. Octobris 1718. antequam Bergomo discederet, coram Notario, & quinque Testibus, iureiurando interposito, declaravit, se omnino invitum, nec aliter færocem irati Parentis animum mollire valentem, perrecturum ad Augustinianum Cænobium; ea tamen mente, ut opportuno tempore professionem irritam esse demonstraret. Quam quidem protestationem iterum literis mandavit die prima Octobris 1722. coram Notario itidem, ac tribus Testibus, pluries etiam aliter conquæstus de metu sibi à Patre incusso, ac frustra multoties implorata Patris misericordia.

Hæc rei gestæ series habetur, tum ex testimonio, quod in hac Urbe pe-

nes acta dixerunt quinque Bergomenses, non tamen ritè interrogati; tum etiam ex privata testificatione duarum Sororum ipsius Religiosi, aliorumque octo Testium, quorum tres ii ipsi sunt, qui interfuerunt declarationi à Fr. Nicolo editæ anno 1718. ante egressum è paterna domo; tum pariter ex solemni testimonio, quod interrogati perhibuerunt aliis tres in Archiepiscopali Curia Lancianensi.

Sed cæteris quibusque documentis longe præstant septemdecim epistolæ à Patre ipso, qui adhuc vivit, manu sua scriptæ filio, quarum quinque datæ fuerunt anno 1719. (dum scilicet Filius tyrocinium poneret), postrema autem præsefert diem 13. Februarii 1731. Reliquæ interjectum temporis spatium complectuntur. Pandunt profecto omnes animum Filii à Religioso Instituto semper alienum & vicissim obfirmatum jugiter Patris animum in Filio opprimendo, sæpius quoque ei denunciato vitæ periculo, si vel tyrocinium deseruisset, vel postea jure agere tentasset, ut Religiosis votis se minime obligatum ostenderet. Quamobrem Archiepiscopus Lancianensis, qui à Sacra Congregatione jussus fuit Processum conficere, suamque aperire sententiam, citato, auditoque Præside Cœnobii, Professionem existimat procul omni dubio invalidam.

Datis etiam jamdiu literis ad Episcopum Bergomensem, mandatum ei fuit, ut Patri spatium præfiniret ad exponenda eidem Sacræ Congregationi jura, quæ in hac controversia ei suffragari possent.

Deliberandum itaque nunc est.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Affirmative, & amplius, & Episcopus Bergomen. agat contra Patrem prout de Jure.

AQUILANA CAPPELLANIÆ. Bernardinus de Ludovicis in Testamento, quod condidit anno 1707. jussit fundari in Parochiali Ecclesia Villæ *Termini* Cappellaniam cum eo Missarum onere, quod Executoribus visum esset congruum. In ejusdem Cappellaniæ dotem præter alia bona assignavit suam domum, in qua Cappellanum voluit residere. Cum enim eamdem Cappellaniam primo loco destinasset Antonio Cerasolo, hæc subjecit verba -- *Sia obligato a risedere in detta mia casa lasciata per detto effetto*: denique hæc etiam addidit: *Soggiunge, che la casa, dove al presente abita detto Don Bernardino, non si abbia ne vendere, ne permutare per qualsivoglia causa, ma quella resti in benefizio di detto Don Antonio Cappellano, & in futurum per gli altri Cappellani pro tempore, come anche le botti di vino, anche di grano, ed altri tavolini, sedie, ed altro, che in detta casa, e che li Cappellani in futurum non le possino vendere, nè impegnare, nè permutare, ma restino sempre per li futuri Cappellani.* Sess. 6. c. 3. de ref.

Facta juxta normam à Testatore præscriptam, & ab Ordinario approbatam, fundatione Cappellaniæ cum declaratione, quod à Cappellano celebrandæ essent quatuor Missæ unaquaque hedomada, obtinuit prædictus Antonius Cerasolus eamdem Cappellaniam, cujus annui proventus constituunt summam ducatorum circiter quinque, & sexaginta. Sed cum ipse nuper fuerit assecutus etiam Beneficium Parochiale in Diœcesi Reatina, ii, ad quos pertinet Juspatronatus Cappellaniæ, exi-

existimantes eam propter injunctam residentiam in Domo Fundatoris esse incompatibilem cum Beneficio Parochiali, vi cujus alibi residere oportet Cerasolum, nominarunt alterum Cappellanum.

Huic autem nominationi reclamavit Cerasolus putans sibi licere utroque beneficio simul potiri. Inquit enim incompatibilitatem adstrui quidem non posse ex onere Missarum, quæ celebrari debent in Parochiali Ecclesia Villæ *Termini*, cum non fuerit iussus Cappellanus celebrare per se ipsum, adeoque huic oneri rectè satisfacere possit per alium, ut fuse firmatum fuit a *Rot. decis.*825. *coram Merlin.*, quam pluries amplexa fuit hæc Sacra Congregatio, ac præsertim in *Romana Cappellaniæ* 29. *Augusti* 1722., *ut in lib.*72. *Decr. pag.*415. Quamquam ex coniecturis suadentibus aliam fuisse mentem Fundatoris, secundum ea, quæ copiose tradit *Fagnan. in cap. Ut Abbates à num.*60. *ad* 89. *de ætat.*, *& qualit.*, contrarium definicrit eadem Sacra Congregatio in *Civitatis Plebis* 15. *Decembris* 1708., *&* 29. *Martii* 1710., *& in Romana Cappellaniæ* 13. *Martii* 1709., *& in Bononien. Cappellaniæ* 1. *Junii ejusdem anni*.

Itaque ubi Cappellaniæ non inhæreat conditio celebrandi Missas in alia Ecclesia per se ipsum, incompatibilem eam non esse cum beneficio Parochiali, respondit hæc Sacra Congregatio in *Novarien.* 12. *Decembris* 1705. *lib.*55. *Decret. pag.*437., *& in Civitatis Castelli legatorum piorum* 19. *Maii* 1708. *lib.*58. *Decret. pag.*177. Ex diverso autem non posse Ecclesiam Parochialem retineri simul cum Cappellania exigente celebrationem Missarum per se ipsum in diversa Ecclesia, rescriptum est *in Neapolitana Cappellaniarum* 14. *Aprilis* 1725. *ad I. Dubium lib.*75. *Decret. pag.*171., *& in Romana* 17. *Januarii* 1728. *lib.*78. *Decret. pag.*1.

Quantum verò attinet ad alteram conditionem a Fundatore adjectam de residendo in eius domo, quam dixit in hunc finem ab eo rel ctam fuisse, contendit Cerasolus non inde effici Cappellaniam residentialem, ideoque incompatibilem cum Ecclesia Parochiali, nam Ecclesia, in qua fundata fuit Cappellania, non est Collegiata, nec iniunctum fuit Cappellano ministerium ullum, vel in ea Ecclesia, vel in tali Villa obeundum; ac propterea putat Fundatorem eo solum fuisse animo, ut commodum hoc tribueret Cappellano in ea Villa habitare volenti. Est enim certum, non fuisse a Testatore impositam Cappellani legem, ut auxiliarem operam præstaret Parocho, nec ut in Divinis Officiis inserviret Ecclesiæ; quo quidem casu valde dubitari posset indictam esse etiam residendi legem; iuxta terminos quæstionis. quam tractant *Fagnan. in dict. cap. Ut Abbates a num.*89. *ad fin. de ætat.*, *& qualit.*, *Amostaz. de caus. piis lib.*3. *cap.*11. *num.*41., *Piton. de controv. Patron. tom.*1. *alleg.* 27., *& seq. Rot. decis.* 399. *num.*4., *& seqq. coram Merlin.*

Ad rem quoque facit resolutio, quam in quadam causa *Casalen.* olim prodiisse ab hac Sacra Congregatione refert *Garz. de Benef. part.*7. *cap.*1. *num.*87. inquiens, declaratum fuisse non requiri personalem residentiam in Cappellania, cuius in fundatione cavebatur, *ut domus Cappellano ædificaretur, in qua habitaret, & Divinis serviret, & nisi habitaret, & serviret, posset amoveri, & de alio provideri*.

Non absimilis quæstio discussa fuit in *Asten. Cappellaniæ*, in qua licet Testator, qui Cappellaniam fundari iusserat, nullam residentiæ legem adiecisset, Hæres tamen in ipsa fundatione his verbis caverat. *Nominatus*

natus ad Beneficium teneatur habere domicilium in Oppido Villæ novæ, & celebrare personaliter Missas sex qualibet hebdomada in Cappella Beatæ Mariæ Virginis Gratiarum --. Proposito autem dubio ita concepto --, *An Cappellanus teneatur ad onus personalis residentiæ, & celebrationis per se ipsum die* 14. *Februarii* 1699. rescriptum fuit *negative*, ut in *lib.*49. *Decret. pag.*57. Sed non satis constat, num Sacra Congregatio ad ita denniendum adducta fuerit, ex quo forsan censuerit rationem non esse habendam oneris ab Executore fundationis adjecti, quod Testator minime præscripserat.

Pertinet etiam ad hujusmodi controversiam Decisio Sacræ Rotæ edita *in Gerunden. eleemosynæ panis super residentia* 3. *Julii* 1711. *coram Card. Priolo*. Quamvis enim Fundator constituisset Cappellanum debere Divinis Officiis in choro deservire, & Missæ Sacrificium facere in certo Altari, necnon inhabitare domum assignatam ad stipem Pauperibus largiendam, nihilominus determinatum fuit non requiri personalem residentiam.

Ceterum circa articulum incompatibilitatis, de qua potissimum agitur in casu proposito, illud etiam est animadvertendum, quod ad inducendam incompatibilitatem non videtur satis esse conditio residentiæ *causativæ*, videlicet necessariæ ad percipiendum emolumentum destinatum Beneficiario residenti, sed annexam esse oportere residentiam *præcisam*, qua non servata fiat locus amissioni tituli, ac privationi, ut explicant *Hojed. de incompat. Benefic. par.*1. *cap.*17. *num.*34. *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancellar. Glos.*15. *num.*20., & *seqq.*, *Panimoll. decis.*31. *annot.*1.*num.*4., & *seqq.* Itaque *in Ferrarien. Cappellaniæ* disceptato hoc Dubio -- *An Cappellania, de qua agitur, sit præcise residentialis, itaut sit incompatibilis cum alio Beneficio residentiali, seu Parochia* --, Sacra Congregatio die 3. *Martii* 1703. respondit *Negative*, ut in *lib.*53. *Decret. pag.*73. Similisque declaratio prodiit in alia *Ferrarien. Cappellaniæ* 26. *Martii* 1707. ubi agebatur de Cappellania annexum habente onus assistendi singulis horis canonicis, aliisque Divinis Officiis in Ecclesia Cathedrali; propositoque Dubio -- *An Cappellania, de qua agitur, sit residentialis præcise, vel causative, itaut Cappellanus non residens sit illa privandus, vel potius distributionibus* --, rescriptum fuit -- *esse residentialem causative tantum* -- ut in *lib.*57. *Decret. pag.*98.

Dicendum igitur erit.

I. *An Beneficium, seu Cappellania, de qua agitur, habeat onus residentiæ, & quomodo*.

II. *An prædictum Beneficium sit incompatibile cum Parochiali in casu &c.*

Dilata.

CAMERINEN., ET ANAGNINA MEDIÆ ANNATÆ. In recenti Concilio Romano *tit.*27. *cap. unico* decretum fuit medios fructus primi anni ex Beneficiis Ecclesiasticis percipiendos impendi debere in Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum reparationem, & ornatum; id quod fusius etiam cautum fuit in Constitutione san. me. Benedicti XIII., quæ habetur in *Appendice ejusdem Concilii pag.*271. Legem tamen istam temperavit Pontifex hoc modo -- *Volumus, quod huic nostræ Constitutioni, seu solutioni mediæ annatæ prædictæ minime subjecta existant Beneficia illarum Diœcesum, & respective Collegiata-*

*Sess.*21. *c.*7. *de Ref.*

giatarum, in quibus reperitur onus, seu peculiare patrimonium fabricæ, sufficienter instructum; aut onus, seu obligatio reparandi, restaurandi, & conservandi Ecclesias residet pœnes Communitates locorum, vel adsunt dictarum Ecclesiarum Patroni, qui nisi reparare, & manutenere velint easdem Ecclesias, earum Patronatum amittere debent. Cum enim in his satis consultum sit reparationi, & conservationi Ecclesiarum, nolumus aliud superaddere Beneficiatis impendium, quod vergeret in sublevamen eorum, qui de jure tenentur.

Circa vero hujus legis interpretationem duo inciderunt casus, qui propterea conjunctim proponuntur.

Canonici, & Beneficiati Collegiatæ Ecclesiæ Apiri Diœcesis *Camerinen.* contendunt se minime affici hujusmodi Constitutione, tum quia proventus, qui ab eis percipiuntur, in solis distributionibus consistant, tum etiam quia reparationi ejusdem Ecclesiæ satis aliunde prospectum sit.

Sed quod attinet ad primum, observandum est Fundatorem dictæ Ecclesiæ Collegiatæ non videri universos redditus assignasse pro distributionibus quotidianis, sed id solum, quod ex ejus hæreditate obvenisset præter fructus septuaginta duorum locorum Montium, quæ ipse antea donaverat. Sic enim inquit -- ,, In oltre ordino alli Canonici instituiti
,, ti Eredi, che tutta l' entrata, che gli perverrà alle mani della mia ere-
,, dità, oltre li frutti delli sessanta Luoghi de Monti della Fede assegna-
,, tili nella prima erezione della Collegiata, e delli dodici datigli doppo
,, qualche tempo &c. la pongano separatamente, e serva per distribuzio-
,, ni quotidiane, volendo, come e il dovere, che -- ,, *qui non laboret, non manducet* --, subindeque declarat a singulis Canonicis annua saltem scuta centum esse percipienda.

Quo vero ad alios proventus jam fabricæ destinatos, habetur eorum descriptio in Epistola Vicarii Foranei, quam misit Episcopus nihil aliud addens in sua Relatione. Sed animadverti oportet aliquos ex hujusmodi proventibus assignatos esse Sacrario pro Sacra Supellectili, non autem fabricæ Ecclesiæ, quam solum respexit memorata Constitutio Benedicti XIII., ut declaravit hæc Sac. Congregatio *in Tusculana die* 20. *Decembris* 1727. ubi proposito Dubio -- *An exigi possit media annata, eademque erogari in Supellectilia Ecclesiæ Cathedralis Tusculanæ* -- Rescriptum fuit -- *Negative* --, ut in *lib.*77. *Decret. pag.*723.

Alter casus, de quo nunc agitur, est *in Anagnina*. Canonici, & Beneficiati illius Ecclesiæ Cathedralis nihil habent jure, & nomine Præbendæ; sed quidquid eis obvenit, titulo distributionum percipiunt. Ex præscripto Constitutionum ejusdem Ecclesiæ, Præpositus in ingressu solvit scuta viginti, Canonici decem, Beneficiati quinque, & hæc largitio cedit commodo Sacrarii. Ipsius vero Ecclesiæ Cathedralis reparationi, & conservationi jam idoneis subsidiis consultum dicitur, cum tertia pars pecuniæ ad id, atque etiam ad omnem cultum necessariæ subministrari soleat ab Episcopo, reliquum vero a communi massa Capituli, ut constitutum fuit in Bulla Bonifacii Octavi relata ab *Ughel. Ital. Sac. tom.*1. *pag.*360. Quamobrem Episcopus, qui hæc in suis litteris confirmat, censet a Canonicis, & Beneficiatis non esse subeundum aliud onus mediæ annatæ a Pontificia Bulla indictæ.

In deliberationem igitur venit.

I. *An Canonici, & Beneficiati Collegiatæ Ecclesiæ Apiri Diœcesis Camerinen. teneantur solvere mediam annatam in casu &c.*

II. *An*

II. *An Canonici, & Beneficiati Ecclesiæ Cathedralis Anagninæ teneantur solvere eamdem mediam annatam in casu &c.*

Ad primum negative, & Episcopus curet fieri investimentum. Ad secundum negative.

Die Sabbathi 16. Maii 1733.



QUILANA CAPPELLANIÆ. Dilata ad hodiernam Congregationem fuit hujus Causæ decisio, ideoque resumpto Folio superioris Congregationis, placeat Eminentiis VV. definire. *Sess. 6. c. 2. de Ref.*

I. *An Beneficium, seu Cappellaniam, de qua agitur, habeat onus residentiæ, & quomodo.*

II. *An prædictum Beneficium sit incompatibile cum Parochiali in casu &c.*

Ad primum Cappellanum teneri residere ad formam Testamenti. Ad secundum provisum in primo.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Respondit Sacra Congregatio die 14. Martii proxime præteriti hæredes *pro nunc* non teneri ad supplendum quantum deest annuæ summæ scutorum sexaginta, quæ in dotalia subsidia erogari voluit Marchio Prosper Costagutus ex fructibus octo Locorum Montis Bentivoli, & quatuor Locorum Montis Qualenghi, quæ ab eo in hanc causam empta, & assignata fuerunt, & quorum fructus, licet diminuti in quantitate non fuerint, raro tamen exigi solent, ut notum est.

Cum vero etiam quæsitum fuerit, an hæredes sarcire deberent detrimentum, quod ob reductionem a Principe indictam acceperunt annui proventus aliorum Locorum Montis S. Petri, qui eidem piæ subventioni pauperum Puellarum destinati fuere, suspensa circa id fuit decisio. Itaque nunc erit examinandum.

I. *An quoad Loca Montium Bentivoli, & Qualenghi sit standum, vel recedendum a decisis die 14. Martii proxime præteriti.*

II. *An quoad Loca Montis S. Petri hæredes teneantur ad præstandum supplementum.* Et quatenus in decisis ad I., & negative ad II.

III. *Quomodo sit providendum in casu &c.*

Ad primum in Decisis. Ad secundum Negative. Ad tertium esse distribuenda subsidia Dotalia juxta proportionem fructuum, qui singulis annis exiguntur, & ad formam Litterarum Patentium: Nominationem vero Puellarum esse faciendam per mensem ante Festum S. Joannis Baptistæ.

CALLIEN. Episcopus per suas litteras significavit factum, quod in sua Diœcesi accidit, & cujus circumstantiæ, ut accuratius perpendi

di possint, verba ipsa Epistolæ hic exscribentur — „ Parochus pro ejus
„ Ecclesiæ servitio quemdam Clericum Minorem, Josephum Malet
„ Hispanum, secum detinens, manu eumdem Clericum in capite se-
„ mel, atque iterum percussit, necnon pluribus contumeliosis verbis
„ magnam denotantibus iracundiam affecit, eo quia iste morem eidem
„ gerere in quodam domestico famulatu recusavit, simulque ob talem
„ sævitiam illi amplius inservire nolle, necnon ab illius domo quampri-
„ mum velle discedere aliis domesticis affirmavit. Sequenti vero die
„ idem Parochus quædam in Ecclesia disponere, quæ ad Missæ cele-
„ brationem erant necessaria, dicto Clerico injunxit, qui respondit,
„ quod se ab illius servitio dimissum reputabat, illique amplius ob-
„ temperare nolebat ob illatas sibi offensiones. Qua de re ira succen-
„ sus Parochus multis improperiis, & verbis valde injuriosis, maxi-
„ mam animi commotionem denotantibus in dictum Clericum prolatis,
„ primum pugno, deinde baculo eum verberavit, qui statim e Paro-
„ chiali domo aufugit, necnon Parochi servitium reliquit, quamvis
„ postea ex cujusdam opera, & interpositione discedendi animum di-
„ miserit, & nunc etiam in dicto servitio persistat. At quia Clericus,
„ ut supra percussus in suo examine deposuit se fuisse verberatum a di-
„ cto Parocho, tamquam ejus Patre, & Magistro, asserendo, non
„ absque magna subornationis suspicione, ac vehementi fumo, in ta-
„ lem illum habere; Et quia Parochus idem ad correctionem illum per-
„ cussisse jactat, in quo tamen modum excessisse videtur, ideo nunc
„ dubium animum meum pulsat, an in præsenti casu locum habere de-
„ beant censuræ Can. *Si quis suadente*, præsertim quia dictus Paro-
„ chus magna indignatione etiam ante percussionis actum contra di-
„ ctum Clericum captus erat, prout idemmet Parochus ipsis Testibus
„ examinatis asseruit, & quia factum notorium jam evasit non absque
„ aliquo scandalo in Populo; & tamen Parochus ipse, etiam a me
„ quamvis monitus, neque ad cautelam a Divinis voluit se abstinere. „
Itaque declarari ab hac Sac. Congregatione Episcopus postulat, an Parochus in excommunicationem inciderit.

Magistrum, sive alium Superiorem, qui disciplinæ, vel correctionis causa adolescentem Clericum percutiat, non effici obnoxium anathemati inflicto *in Can. si quis suadente* 17. *quæst.* 4., plura declarant Pontificia Rescripta, quæ habentur *in Cap. Super eo* 1. *cap. Ex tenore* 10., *& cap. Cum voluntate* 54., *& cap. Universitatis* 24. *de sent. excom.*

Id tamen exigit conditionem, ut castigatio sit moderata, & Ecclesiastitæ disciplinæ modum non excedens, sed, & causæ, & personæ proportionata, ita quidem, ut ad violentam manuum injectionem, vel ad vindictam ex concepta ira intentatam, referri nequeat, quemadmodum explicant Canonici Juris Interpretes, ac præsertim *Abbas in cap. Super eo sub num.* 1., *&* 4., *Joan. Andr. in cap. Ex tenore sub num.* 2., *Ancaran. ibid. num.* 2., *Gonzal. in dict. cap. Super eo num.* 4., *& in cap. Cum voluntate sub num.* 1. *Fagnan. ibid. num.* 29. *& seq. Reiffenstuel. in jus Canonic. lib.* 5. *tit.* 39. §. 2. *num.* 121., *Pirhing. lib.* 5. *Decretal. dict. tit.* 39. *sect.* 3. §. 3. *n.* 72. *Smalzgrub. lib.* 5. *Decretal. tit.* 39. *n.* 235., *Suarez. de Censur. disp.* 22. *sect.* 1. *n.* 41. *Barbos. de jur. Eccles. lib.* 1. *cap.* 39. §. 1. *num.* 75., *Carol. de Graff. de effect. Cleric. effect.* 9. *numero* 226., *& seq.*

Hoc ipsum quoque tradunt Doctores de verberante Clericum suo addictum servitio, ut videre est apud *Abb. in dicto cap. Ex tenore n.* 4.

Joan.

Joan. Andr. in eod. cap. Sub. n.2., *Ant. de Butr. in cap. Super eo n.7.*, *Boich. ibid. n.1 . & seqq.*, *Ancharan. in dict. cap. Ex tenore n.2.*, *Carol. de Graff. loc. cit. n.225.*

Affinem quoque casum tractat *Pignattell. consult.107. tom.1.* his verbis *Canonicus Clericum quemdam in minoribus manuali mercede Sacristiæ servientem in officiis inferioribus, ut verrendi, campanas pulsandi, Canonicis inserviendi &c. minus prompte sibi obtemperantem manu leviter percussit cum aliqua indignatione, & increpatione. Quæritur, an in aliquam excommunicationem incurrerit, vel saltem mortaliter peccaverit*: Respondet vero *negative*.

Perpensis igitur circumstantiis rei gestæ expositis in Epistola Episcopi, placeat EE. VV. declarare.

An Parochus in casu, de quo agitur, in excommunicationem inciderit.

Affirmative.

ASTEN. DISMEMBRATIONIS PAROCHIÆ. Cum Episcopus, ut remotioribus incolis Parochiæ *Pamparati* consuleret, ad normam Tridentinæ sanctionis in *cap.4. sess.21. de ref.*, decrevisset ejusdem Parochiæ sectionem cum institutione novæ Ecclesiæ Parochialis, reclamavit Parochus *Pamparati*, dolens partem gregis a sua divelli Ecclesia, & contendens non adesse legitimas causas, ob quas ex Sacrorum Canonum præscripto id licet, invito etiam Pastore. Itaque die 6. Decembris superioris anni disceptata fuerunt duo, quæ inferius exscribentur, Dubia. Suspensa tamen fuit resolutio, quia Comes Corderius, cujus ditioni Oppidum illud subest, obtulit, se idoneo, perpetuoque censu assignato, in ?it.turum in publico Oratorio Pagi *Serræ* Cappellaniam conferendam Sacerdoti, qui tamquam Parochi adjutor Sacramenta possit administrare Parochianis, qui vitam degunt in Pagis longius dissitis ab Ecclesia Parochiali. *Sess.21. c.4. de Ref.*

Re ipsa præstitit Comes id, quod erat pollicitus, & Cappellaniæ fundationem, ac dotationem certis adjectis conditionibus explevit. Rei totius documentum communicabitur cum Eminentiis VV., ut considerare possint, num ea cum insertis conditionibus sit approbanda, vel aliter dirimere expediat controversiam ita propositam.

I. *An dismembratio, & erectio novæ Parochiæ sustineatur in casu &c.*

Et quatenus negative.

II. *An Parochus pro tempore Ecclesiæ Pamparati cogi debeat retinere in Ecclesia S. Antonii Coadiutorem pro administratione Sacramentorum; & cujus sumptibus in casu &c.*

Dilata, & audiatur etiam Episcopus.

CABILONEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Bis proposita fuit Causæ hæc, nimirum die 10. Maii 1732., & 24. Januarii labentis anni, ut discuteretur, an Anna Leclerc restituenda esset in integrum ad proponendam nullitatem Professionis, quam in Dominicana Familia emisit anno 1714. Sed cum documenta tunc allata non satis, ut oportebat, rem manifestam facere visa fuerint, & Ordinarius per suas litteras significasset novis, atque etiam clarioribus argumentis sibi patuisse, Annam ad suscipiendum vitæ Religiosæ Institutum fuisse coactam a Matre, & a Fratre, idcirco Sac. Congregatio rescripsit -- *Dilata, & Episcopus transmittat nova documenta.* *Sess.25. c.19. de Ref.*

Nunc vero exponens eadem Anna imparem se esse subeundis sumptibus ad nova documenta paranda, ac transmittenda necessariis, instat, ut iterū pro onatur deliberandum.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Episcopo Cabilonen., qui constito sibi de Causis restitutionis in integrum adversus lapsum quinquennii authoritate Sac. Congregationis Oratricem restituat, & deinde ad ulteriora procedat circa nullitatem Professionis prout de Jure.

Sess. 22. Dec. de observ. & evit. in celeb. Miss.

MEDIOLANEN. APPLICATIONIS MISSARUM. Contendentibus PP. Ordinis Servorum B. M. V. domicilium habentibus in *Castro Malegnano*, pactum anno 1555. initum inter eos, & Communitatem Oppidi Sancti Columbani de quotidiana unius Missæ celebratione in Ecclesia Sancti Rochi, non imponere onus applicandi etiam ipsum Sacrificium, ideoque eos posse aliunde eleemosynam accipere in ejusdem quotidianæ Missæ celebratione, ut fusius expositum fuit in Folio Congregationis habitæ die 15. Decembris 1731. anceps fuit ea de re Eminentissimorum PP. sententia, propterea que rescripserunt -- *Dilata, & coadiuventur probationes.*

Nunc itaque redintegrato ejusdem quæstionis examine, declarandum erit.

An PP. Ordinis Servorum B. M. V. Conventus Malegnani teneantur applicare Sacrificium Missæ quotidianæ celebrandæ in Ecclesia S. Rochi Oppidi S. Columbani.

Affirmative.

Sess. 22. c. 8. de Ref.

ROMANA CONTRIBUTIONIS. Universitas Aurificum, annuente Julio Secundo Pontifice, Ecclesiam construxit, & S. Eligio Patrono suo dedicavit in hac Urbe, conditis etiam Statutis ad rectum ejusdem artis exercitium opportunis, tam circa Magistros, quam circa novitios, vernaculè appellatos -- *Fattori*, ac etiam circa artifices classis mediæ inter Magistros, & novitios, qui vulgo nuncupantur -- *Giovani Lavoranti*.

Operarii isti cogitarunt de instituenda peculiari Universitate seorsum a Magistris ejusdem artis. Sed cum in hac Sac. Congregatione die 25. Septembris 1694. propositum fuisset Dubium -- *An sit locus novæ erectioni Universitatis Juvenum artificum in Ecclesia S. Eligii* -- responsum fuit *negative*.

Anno 1717. resumpto tractatu inter Magistros artis, & memoratos operarios, plures inter eos initæ fuerunt pactiones, quarum ope institui posset nova illa Universitas, in quam Operariorum vota ferebantur, concesso etiam eis usu unius sacelli in prædicta Ecclesia S. Eligii, quo convenire ad pia exercitia obeunda possent. Itaque hæc S. Congregatio die 13. Aprilis 1720. censuit approbari posse tum pacta inter Magistros, & Operarios inita, tum etiam Statuta condita pro nova Operariorum Universitate sub auspiciis SS. Andronici, & Athanasiæ, deindeque san. me. Clemens XI. eadem pacta, & Statuta Pontificio confirmavit Diplomate, salva tamen semper circa ea hujus Sac. Congregationis auctoritate.

Cum vero inter cætera conventum extitisset, Filios, & Fratres Magistrorum artis immunes esse debere a tributo (*Taxam* vocant) in semisse Julii singulis mensibus a cæteris operariis solvendo ad Sacelli cultum, & ad

& ad celebrandas festo ritu ferias Sanctorum Patronorum; hinc eorumdem Operariorum nonnulli ægre potissimum ferentes, quod onus ejusdem tributi commune esse non deberet etiam Filiis, & Fratribus Magistrorum, operam suam in eadem arte collocantibus, similemque ex ea quæstum facientibus, impugnare cœperunt institutionem novæ Universitatis hisce cum legibus factam. Quamobrem die 16. Januarii 1723. disceptatum fuit -- *An erectio controversæ Universitatis Juvenum Aurificum, & Argentariorum sustineatur* -- Prodiitque hujusmodi rescriptum -- *Affirmative, deleto capitulo, quo a contributione eximuntur Filii, & Fratres Magistrorum, qui idcirco teneantur, uti cæteri, ad solutionem*, ut in *lib.73. Decret. pag.2.*

Huic decreto, quantum spectat ad secundam partem, reclamarunt Magistri artis, dolentes, se inscii, ac inauditis abrogari unum ex pactis, de quibus servandis data vicissim fuerat fides, & quorum omnium causa assenserant Magistri institutioni novæ Universitatis Operariorum, eisque Sacellum in propria Ecclesia concesserant. Sed, & illud moleste ferunt, quod Filii, Fratresque sui sint subiiciendi Universitati inferioris conditionis promiscue cum Operariis, qui stipendium ab eis accipiunt. Quapropter non abnuunt, quod ipsis Filiis, & Fratribus simile imperetur tributum, dum tamen illud solvant Universitati ipsorum Magistrorum in cultum Ecclesiæ S. Eligii primarii Artis Patroni.

Erit igitur nunc deliberandum.

An Filii, & Fratres Magistrorum Aurificum, & Argentariorum teneantur contribuere cum Juvenibus Operariis in oneribus impositis, & imponendis pro Cappella, & Festivitate S. Andronici, itaut sit standum, vel recedendum a decisis die 16. Januarii 1723. quoad deletionem capituli in casu &c.

Ad Eminentissimum Præfectum cum facultatibus Sac. Congregationis pro concordia.

TRIVICANA STATUTI. Ecclesia Sanctæ Mariæ de Fracta in Oppido, cui nomen Castellum, juxta morem Ecclesiarum Regni Neapolitani erat receptitia absque certo numero Sacerdotum. Anno autem 1723. Presbyteri ad eam Ecclesiam aggregati, ejusque proventus participantes, qui tunc erant quatuor, & viginti, constituerunt non plures in posterum, quam octodecim esse admittendos, & in subrogando altero in locum demortui habendam esse rationem prius suscepti Ordinis Presbyteralis, ac servitii eidem Ecclesiæ præstiti. *Sess.23. c.6. & 16. de Ref.*

Statutum hoc, utpote consulens honestis vitæ subsidiis Sacerdotum aggregandorum juxta annuos Ecclesiæ redditus, eodem anno 1723. ratum habuit Episcopus.

Sed cum anno 1728. reclamatum fuerit à memorato Statuto coram hac Sac. Congregatione, auditus tunc fuit Episcopus, qui in litteris ad eam redditis plurimum laudavit factam numeri præfinitionem, affirmans proventus illius Ecclesiæ impares esse congruæ plurium Presbyterorum substentationi, necnon commode oneribus Missarum, quæ ibidem sunt celebrandæ, satisfieri posse per illos duodeviginti Presbyteros. Cæterum non explicavit speciatim Episcopus, nec proventuum, nec onerum quantitatem.

Post hæc nomine cœtus Presbyterorum participantium preces porrectæ fuerunt san. me. Benedicto XIII., ut memorati Statuti observationem di-

dignaremur præcipere, prodiitque die 1. Octobris 1729. Rescriptum *Sanctissimus annuit*. Sed conquerentibus aliis ejusdem Oppidi Sacerdotibus, & Clericis, quibus non liber, ut antea, pateret aditus ad participandos illius Ecclesiæ proventus, si ea nova lex servanda esset; ex Decreto R. P. D. Auditoris Sanctissimi nuper iterum commissa hujus Causæ cognitio fuit Sac. Congregationi.

Ad Statuti approbationem sese offert Ecclesiasticæ disciplinæ ratio; non enim majorem numerum Clericorum in Ecclesiis esse constituendum, quam qui juxta ejusdem Ecclesiæ facultates possit convenienter substentari, habetur *in cap.*1., *& cap.*3. *de Instit.*, *& in cap. Quoniam de Vit.*, *& Honest. Cleric. & in cap. unic.* §. *Sane de Stat. Regular. in* 6. Plurium etiam Conciliorum Decreta ad hanc rem edita referunt. *Gonzal. in dicto cap.*1. *num.*3. *de Instit. Hallier. de Hierarc. Jurisd, lib.*3. *art.*6. §.2. *& seq.* Quare in Concilio Provinciali Beneventano, quod habuit san. me. Benedictus XIII. anno 1729. *cap.*4. *tit.*2., ita fuit constitutum -- ,, Statuimus, & decernimus, ut in prædictis Ecclesiis, inspectis, & attente eorum proventibus, & oneribus consideratis, illum tantum Participantium numerum juxta Canon cas sanctiones Episcopi designent, ac præscribant, qui ex Ecclesiæ facultatibus honeste substentari possint, singulis Participantibus annuos saltem ducatos quinquaginta addicendo -- ,, Ecclesiastica autem Provincia Beneventana Trivicanam quoque Diœcesim complectitur.

Fuit quoque hac de re quandoque actum in hac Sac. Congregatione. Etenim die 23. Julii 1590. datæ ab èa fuerunt ad Episcopum Cassanensem litteræ hoc exemplo -- ,, Minime quidem probatur Sac. Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ut in ista Diœcesi passim initientur Clerici ad titulum massæ communis, quæ est in Ecclesiis receptivis, nulla videlicet neque numeri Clericorum, neque ipsius massæ facultatum ducta ratione, Quo fere semper fit, ut tot ferendis titulis vis massæ minime sit par, & plerumque Clerici ad speciem istiusmodi tituli ordinati cum Ordinis dedecore cogantur victum emendicare. Quare ut hujusmodi incommodo quoad ejus fieri potest obviam eatur, placuit certum, ac præfinitum in unaquaque Ecclesia receptiva ab Amplitudine tua constitui Clericorum numerum, qui pro modo facultatum Massæ communis ad ejus titulum ordinari queant -- ,, ut in *lib.*7. *lit. pag.*196.

In Sipontina Congruæ, cum in Ecclesia Parochiali receptitia Oppidi Rhodi numerus Presbyterorum Participantium, qui olim septem esse consueverant, plurimum deinde auctus fuisset, & usque ad viginti, adeo ut tenuis proventuum portio percipi posset a singulis, conquerente de hoc potissimum Archipresbytero, cui animarum cura imminebat, Sac. Congregatio die 8. Martii 1664. rescripsit -- *Neminem in dicta receptitia Ecclesia in posterum, nisi intra numerum septenarium, esse recipiendum*, ut in *lib.*24. *Decret. pag.*60., *& seqq.*

At ex diverso in *Conversanen.* cujus facti speciem exponit *Pignatell. consult.*108. *tom.*1., eadem Sac. Congregatio die 3. Februarii 1652. respondit -- *Nihil esse innovandum*, *sed Secretarius moneat Episcopum juxta mentem*, ut in *lib.*19. *Decret. pag.*196.

Similis controversia examinata itidem fuit in *Squillacen. Communeriæ*, propositoque hoc Dubio -- *An numerus Presbyterorum participantium sit reducendus*, *itaut remaneat congrua centum ducatorum pro Archipresbytero*, *& viginti quinque pro quolibet Presbytero participante*.

Die

Die 18. Novembris 1730. rescriptum fuit *Negative*; ut in *lib.* 80. *Decret. pag.*365. Cumque redintegratum fuerit examen die 21. Aprilis 1731. Sac. Congregatio respondit --,, In decisis, & Episcopus melius informet super statu Ecclesiæ reddituum, ac Presbyterorum admittendorum, nec ob pluralitatem deficiat congrua sublentatio pro singulis, & interim supersedeat in admissione Presbyterorum.,, Denique Causa iterum proposita die 10. Maii superioris anni, hoc editum fuit rescriptum --,, In decisis juxta modum, videlicet ut Archipresbyter semper habeat ducatos quinquaginta præter emolumenta, quæ dicuntur de jure stolæ.

Ex recentioribus Jurisconsultis quæstionem hanc tractant *Piton. discept. Eccles.*17. *tom.*1., *& Ursaya discept. Eccles. tom.*3.*part.*1.*discept.*16.

Deliberandum modo erit.

An Statutum, de quo agitur, sit servandum, & Rescriptum san. me. Benedicti XIII. sit exequendum in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo pro informatione juxta instructionem.

SENOGALLIEN. MANSIONARIÆ. Marcus Antonius de Janfranchis, & Elisabetha conjuges anno 1693. in communi Testamento fundari jusserunt Cappellaniam hoc modo --,, Una Cappellania di prima erezione di due Mansionarii, o Cappellani da nominarsi da Noi in fine del presente Testamento, quali mancanti, li chiamati susseguenti finchè dureranno, e dopo in perpetuo spetti l' elezione, e deputatione di essi alli Signori Arciprete, e Signori Canonici, che saranno pro tempore, e non ad altri in infinito, e perpetuamente, e coll' infrascritte condizioni, e convenzioni, ed obblighi da osservarsi infallantemente, cioè che detti Signori Mansionarii, o Cappellani da nominarsi, siano tenuti, ed obbligati di celebrare tre Messe per ciascheduno in ogni Settimana dell' anno sempre &c., e di più siano tenuti, ed obbligati detti Signori Mansionarii, o Cappellani con l' alternativa fra di loro, o da altri per loro ordine (mentre vi sii impotenza) di celebrare una delle sudette Messe la mattina all'aurora in tutte le Feste di precetto &c. Item vogliamo, ed ordiniamo, che in caso di vacanza per la morte, o per altro di detti Signori Mansionarii, o Cappellani, o per renunzia delli nominati, li chiamati da Noi susseguentemente sieno ammessi, purchè vi siano l'abilità necessarie in essi a poter sodisfare agl' obblighi di sopra espressi, ed in caso, che non vi fossero di tal abilità, e sufficienza, la deputazione, e nominazione di essi Signori Mansionarii, o Cappellani spetti liberamente sempre, ed in perpetuo alli detti Signori Arcipreti, che saranno pro tempore assieme con li Signori Canonici, quali preghiamo aver cura particolare, che venghino ammessi Sacerdoti d' ottima vita,, Eligendorum conditiones iterum inferius explicarunt his verbis --,, Siano di ottima vita, e santi costumi, ed abbino buoni requisiti sì nelle buone virtù, ed in particolare nel Canto Fermo, requisito adequato al Culto Divino, e per bene servire la Chiesa, perchè così vogliamo --,, Denique, & hæc addiderunt --,, Pregando in fine detti Signori Arcipreti, e Canonici a favorire con la solita,, loro

*Sess.*22. *Dec. de observ. & evit. in celeb. Miss.*

„ loro bontà detti Signori Mansionarii, o Cappellani, con certezza,
„ che di simile dimostrazione anch' essi sapranno corrispondere col ri-
„ mostrarle almeno col desiderio di servirli nelle funzioni della Chiesa,
„ ed in particolare ne' giorni più conspicui, e bisognosi, ne quali
„ speriamo potersene compromettere, siccome li preghiamo.

Volentes postmodum designare primos Cappellanos sanguine secum conjunctos, eos nominarunt his adjectis verbis -- *Ogni qualunque volta siano buoni Preti, e Sacerdoti, atti a i quali mancandogli qualche anno per poter dir Messa dopo seguita la nostra morte, intendiamo, che venghino ammessi* -- Alios etiam nominandi facultatem sibi reservarunt -- *parimente Preti, e Sacerdoti atti, ed abili a poter subito seguita la nostra morte celebrare, e dire le Messe, e sodisfare a quanto si e detto.*

Hodierni Cappellani sunt Terentius Speranzinus, & Joannes Baptista Passerinus, quibus cognatio est cum Fundatoribus, & quibus Cappellania ab eis delata fuit; alter Sacerdos, alter solum Clericus, quamvis ætatem habens idoneam ad Presbyteralem Ordinem: Uterque tamen præscripto Missarum oneri per alium satisfacit. Cappellaniæ proventus non excedunt, ut asseritur, annua scuta triginta, quorum dimidiam partem quisque illorum percipit.

Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ contendit Cappellanos, tam consanguineos, quam extraneos debere esse Sacerdotes, & injunctas Missas per se ipsos celebrare, ac in aliis etiam functionibus inservire Ecclesiæ: quæ omnia a Cappellanis impugnantur.

Pluries discuti contigit hujusmodi controversiam ad interpretationem voluntatis Fundatorum, variis juxta diversas circumstantias editis ab hac Sac. Congregatione Decretis, quæ videri possunt apud *Pignatell. consult.*2. *num.*10. *tom.*7., *Piton. de* Controv. *Patron. alleg.*28., *Monacel. Formul. For. Eccles. part.*2. *tit.*15. *Formul.* 1., *Fargna de Jurepatron. tom.*2. *can.*27. *cas.*14. *num.*11., *& seqq.*

Accedunt, & aliæ recentiores resolutiones, *in Imolen. Beneficii* Fundator hæc adhibuerant verba - *Con patto, che siano Preti della Città d'Imola, e caso, che nella linea di Salvatore mio Nipote vi fosse Sacerdote abile, voglio, che sia preferito* -- tributa etiam facultate satisfaciendi injunctæ celebrationi Missarum per alium, si Cappellanus esset æger, aut alio legitimo impedimento distentus. Die autem 23. Maii 1722. proposito Dubio -- *An Beneficium sit Sacerdotale* -- rescriptum fuit -- *Affirmative*, ut in *lib.*72. *Decret. pag.*231.

Idem prodiit rescriptum in *Romana Cappellaniæ* die 9. Septembris 1724. in cujus hypothesi de Sacerdotibus mentio habita fuerat a Fundatrice, & Cappellani jubebantur quotidie celebrare Missam, non tamen explicando, quod per se ipsos id facere deberent, ut in *lib.*74. *Decret. pag.*355.

Hoc ipsum quoque censuit Sac. Congregatio in *Lauretana* die 16. Decembris ejusdem anni, deducta scilicet tali Fundatoris mente ex pluribus conjecturis, ac præsertim ex quo Beneficium fuerat institutum, ut Cappellanus operam navaret suam Parocho in Sacramentis administrandis, ut in *lib.*74. *Decret. pag.*559.

Postremo in *Ulixbonen. Cappellaniæ*, cum ad eam invitati fuissent descendentes a Fundatore, qui Presbyteri esse vellent, & rem Divinam facere in certa Ecclesia, non tamen expresse adjecta lege, ut Cappellanus per se ipsum Missam celebrare teneretur, disceptato Dubio -- *An Cappellania sit Sacerdotalis* -- die 17. Novembris 1725. responsum fuit

fuit -- *esse Sacerdotalem habitu tantum*, ut in *lib.75. Decret. pag.595.*

Dignentur itaque EE.VV. declarare.

I. *An Cappellania, de qua agitur, sit Sacerdotalis quoad Cappellanos Consanguineos.*

II. *An eadem Cappellania sit Sacerdotalis quoad Cappellanos extraneos.* Et quatenus affirmative.

III. *An Cappellani tam consanguinei, quam extranei teneantur celebrare per se ipsos Missas a Testatoribus demandatas.*

IV. *Quænam servitia iidem omnes Cappellani præstare debeant Collegiatæ Ecclesiæ, & quibus in casibus excusentur.*

Ad primum esse Sacerdotalem habitu ad formam Testamenti. Ad Secundum esse Sacerdotalem actu. Ad tertium negative. Ad quartum exhortandos, sed non cogendos, ut Divinis Officiis intersint solemnioribus diebus.

Die Sabbati 13. Junii 1733.



CONIMBRICEN. DISPENSATIONIS. Simon Petrus de Mattos, qui ortum habuit sub exitum anni 1706., rite initiatus fuit Clericali Tonsura, ac tribus minoribus Ordinibus anno 1719. Deinde vero anno 1729. falso (ut asserit) crimine raptus feminæ accusatus fuit in Curia Ecclesiastica. Hac pendente quæstione in Hispaniam fugit, & suspicatus accusatoris consilia eo spectare, ut ipse Simon Petrus cogeretur nuptias cum ea femina inire, præsidium sibi comparare statuit suscipiendo sacros Ordines. At cum ab Ordinario Conimbricensi obeam causam sperare non posset Litteras Dimissorias, falsas Litteras confecit, earumque ope decreto Episcopo Tudensi, eodem anno 1729. inauguratus ab eo fuit Acolytatu, Subdiaconatu, ac Diaconatu. Sess. 23. c. 8. de Ref.

In patriam reversus declinare non valuit judicium de falsitate Literarum, & illegitima ordinatione. Itaque in carcerem detrusus, post septem menses multatus ab Ordinario fuit pecuniaria pœna, ac etiam exilio per sexennium, cum suspensione ab Ordinum exercitio.

Ineunte hoc anno, qui ejus ætatis est septimus supra vigesimum, Romam venit, & supplex petiit impertiri sibi dispensationem, ut promoveri ad Presbyteralem Ordinem posset, simulque admitti resignationem sibi faciendam Parochialis Ecclesiæ *Conceptionis nostræ Domine de Conto de Lavos* ejusdem Conimbricen. Diœceseos, cujus Ecclesiæ annui proventus exæquant scuta octingenta monetæ Romanæ. De hac vero supplicatione sententiam hujus S. Congregationis exquisivit Dataria Apostolica.

Itaque Simon Petrus exhibuit supplicationem ipsam, in qua tamen solum exposuit se esse suspensum ob susceptos tres prædictos Ordines *absque Litteris Dimissoriis proprii Ordinarii* (quasi vero susceptio Ordinum sine Litteris Dimissoriis sui Ordinarii nihil omnino differat ab eorum susce-

susceptione cum fictis, falsisque ejus Litteris). Itemque narravit remissam sibi a Vicario Capitulari (vacua enim jamdiu est Sedes Episcopalis) fuisse exilii pœnam.

Protulit insuper testificationem ejusdem Vicarii affirmantis Simonem Petrum fuisse assecutum in Conimbricensi Academia gradum Baccalaurei in Jure Canonico, eumque esse *semper bonis moribus, probaque vita praeditum, & nullo crimine comprehensum, nullove excommunicationis vinculo irretitum, sed solum suspensum a voluntate Ordinarii, nec alio quolibet impedimento canonico affectum*. Propterea subjunxit, se illum judicare *dignissimum*, & *habilem* ad quodcumque Beneficium obtinendum, ac præcipue ad assequendam resignationem memoratæ Parochialis Ecclesiæ.

Protulit quoque testimonium Promotoris Fiscalis Curiæ Episcopalis, asserentis dictum Simonem Petrum ,, ab aliquibus, de quibus in judicio ,, accusatus proponebatur, ab ipsis absolutum judicatum fuisse: præ- ,, cipue in crimine raptus D. Theresiæ &c. super quo in actis per pro- ,, bationes legales ostensum fuisse raptum ab alio fuisse perpetratum, & ,, ab ipso cognitum, imo citata parte eum accusare noluerunt. -- ,, Additur in eo testimonio quicquid de illegitima ordinatione, & remissione exilii supra narratum fuit, ac denique affirmatur eumdem Simonem Petrum esse idoneum, non solum ad Sacerdotium, sed etiam ad omnia Beneficia, etiam curam animarum annexam habentia.

Hac re tota inter summaria supplicum libellorum proposita in Congregatione habita die 14. Martii proxime præteriti, rescriptum fuit - *Quo ad resignationem lectum: quo vero ad Ordines, expectetur novus Episcopus*. Preces deinde obtulit Simon Petrus Sanctissimo D. Nostro, & reticens hujusmodi Rescriptum a Sac. Congregatione editum, petiit tribui Sac. Pænitentiariæ facultates ad dispensationem sibi indulgendam in utroque foro. Sic itaque remissis ad Sac. Pœnitentiariam precibus, Eminentissimus major Pænitentiarius ea eximia, qua solet vigilantia, supersedendum censuit, ut instructam redderet Sanctitatem Suam de eadem re jam acta in hac Sac. Congregatione, cui etiam ipse interfuerat, ideoque Sanctissimus iterum petitionem Petri Simonis remisit ad eamdem Sec. Congregationem, quæ die 16. Maii respondit -- *Quo ad resignationem in Decretis; in reliquis vero pro gratia dispensationis in forma commissaria*.

Nunc vero in instaurando examine plura videntur animadvertenda. Ac illud in primis, quod auditus non fuit Ordinarius, (ut fieri semper consuevit in aliis similibns casibus) nec ad eum datæ fuerunt litteræ, ut instructam redderet Sac. Congregationem circa exposita, & postulata a Simone Petro.

Secundo, quod uon satis certo constat vera esse documenta omnia, quæ in medium protulit Simon Petrus; sed eorum fides nititur dicto hominis, qui ad Sacros Ordines per falsas Dimissorias obrepere non est veritus.

Tertio, quod non exhibetur documentum Sententiæ, per quam dicitur absolutus fuisse a crimine raptus feminæ, de quo in ipsum quæstio fuerat instituta, itemque nec documentum decreti eum liberantis a pœna exilii, quæ ob falsitatem fuerat inflicta: sed de utraque re testimonium dumtaxat dixit ille, qui asseritur Promotor Fiscalis

Quarto, quod de eadem absolutione nullum omnino verbum fecit Vicarius Capitularis in testificatione, quam pro Simone Petro edidit: nullaque

laque itidem mentio habita ab eodem Vicario fuit de remissa, ut supponitur, pœna exilii.

Quinto, quod in memorata testificatione Promotoris Fiscalis enunciatur fuisse octo ab hinc annis patratum crimen suscipiendi Ordines cum falsis Dimissoriis. Et tamen iis Ordinibus initiatus fuit Simon Petrus die 19., & 27. Martii, & die 2. Aprilis anni 1729.

Sexto, quod, ut verisimile est, non solum Litteras Dimissorias, sed etiam Titulum falso confixit, nam Beneficium, ad cujus titulum posset Sacros Ordines suscipere, nunquam fuit assecutus, Patrimonium vero non nisi superiore anno constitutum illi fuit in Ecclesiastica Curia Conimbricen. juxta documentum, quod exhibuit.

Septimo tandem, quod non solum suspensione est ille impeditus, sed etiam irregularitate, & quidem non ob unam, sed ob geminam causam contracta. Non enim agitur de furtive, aut sine Litteris Dimissoriis ordinato, sed de ordinato cum dimissoriis falsis, quique judicium de hoc crimine subiit per publicam Sententiam damnatus. Infamia enim, quæ inde oritur, irregularem reddit, ut de sic promoto docent *Pignat. consult.66. tom.2. Thesaur. de pœn. Eccl. par.2. §. Ordines Cap.16. num.10.*

Altera autem irregularitatis causa, ut plures Doctores sentiunt, posita est in violatione censuræ. Quandoquidem cum Petrus Simon per susceptionem Acolytatus cum falsis Dimissoriis ipso jure suspensionem contraxisset, & in hoc suspensionis statu se esse sciens deinde ascenderit ad Subdiaconatum, & mox ad Diaconatum, per hujusmodi functiones, quæ continent usum quemdam Ordinis antea suscepti, violator censuræ fuit, non secus, ac si ministrasset in Ordine, cujus exercitium, ideoque irregularitatem contraxit, ut firmant aliis citatis *Major. de irregular. lib.4. cap.34. num.1. & 2. Pax Jordan. lucub. lib.3. tit.6. n.382. Navarr. in Manual. cap.27. num.242. Monacell. Formul. Eccl. to.2. tit.13. num.28. Campanil. Diversor. Jur. Rubr.7. cap.4. num.9. Bellet. Disq. Cler. §.5. num.47. in fin. Sperell. decis.115. num.50. Rot. apud.* Garz. *de benef. par.7. cap.14. sub num.3. post med.*

Quæ tamen sententia non est communis, cum alii censeant irregularitatem contrahi solum ab eo, qui, vel postea re ipsa ministerium præcedentis Ordinis obeat, vel promoveatur ad Ordinem superiorem obstrictus excommunicatione majori, ut apud *Thesaur. de pœn. Eccl. pa.2. §. Ordo, cap.4. vers. ampliant.2. Antonell. de regim. Eccl. lib2. c.9. num.21. Suar. de Censur. disp.26. sect.4. num.8. circa med., & disp.31. sect.1. num.57., & disp.42. sect.3. num.2.*, qui existimat suspensum, qui ascendat ad Ordinem superiorem, non proprie irregularitatem contrahere, sed novam suspensionem, quam solus Pontifex tollere possit. *Piring. in Decr. lib.5. tit.29. sub num.5. Barbos. de Episc. alleg. 47. n.11. Alter. de Cens. disp.10. cap.6.*

Dignentur itaque Eminentiæ VV. his omnibus perpensis determinare.

An firma manente resolutione quoad resignationem, sit standum in primo, vel in secundo loco decisis quoad Ordines, vel aliter sit providendum in casu. &c.

Firma remanente denegatione gratiæ quoad resignutionem, in secundo loco decisis quoad Ordines in forma Commissaria.

Seſs.24. c.1. de Ref.Matr.

VUORMATIEN. MATRIMONII. Joannes Petrus Douren negotiorum a Sereniſs. Electore Palatino (cui nunc etiā miniſterium exhibet) ei commiſſorum cauſa anno 1718. petiit Civitatem Crucenacenſem. Ibi diverſatus apud Annam Chriſtinam Cumens, quæ publice locabat hoſpitium, ex ea prolem ſuſcepit illegitimam, quæ paulo poſt extincta eſt. Vidua erat ea fæmina, & Calviniano imbuta veneno, ac ſeptimum ſupra trigeſimum ætatis annum agebat. Vehementibus ejus querimoniis fractus, victuſque Joannes Petrus, Heidelbergam, ubi reſidet Parochus, ſe contulit, & catholico ritu Matrimonium iniit cum Anna Chriſtina die 4. Maii 1719. Sed, ut affirmat, ſtatim ab ea divertit, nec deinceps umquam cum ea cohabitavit. Itaque ad alias magis ſe ipſo dignas nuptias tranſire cupiens (eſt enim annos natus quadraginta) Pontifici Maximo ſupplicavit, ut Matrimonium ratum, nec tamen conſummatum, diſſolvere dignaretur.

Ordinarius juſſu S. Congregationis excepit documenta, quibus Joannes Petrus evinci exiſtimat Matrimonium non eſſe conſummatum, eaque an rem omnino certam faciant, ut oportet, potiſſimum erit inſpiciendum.

Cauſæ vero ad impetrandam diſpenſationem expoſitæ plures ſunt. Præter enim generis, atque ætatis diſparitatem, rumor eſt mulierem inhoneſta irretitam conſuetudine fuiſſe cum alio homine. Mutuum viget inter eos odium. Fæmina erroris Calviniani eſt retinentiſſima, in eoque miſere obfirmata. At Joannes Petrus Orthodoxæ Religionis cultor eſt eximius, ac fautor, ut luculenter teſtatur Ordinarius. Ipſe denique ſubjungit Diſpenſationem, ſi tribuatur, nullam populo offenſionem eſſe præbituram. Sed, ſi denegetur, multa reformidari poſſe mala cum ſpirituali ejuſdem Joannis Petri pernice.

Anna Chriſtina rite audita ab Ordinario diſpenſationi ſe haud quaquam interponit.

Eſt itaque deliberandum.

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro Diſpenſatione in caſu &c.

Negative.

Seſs.25. c.11. de ref.

PISCIEN. AFFRANCATIONIS. Petrus de Accoltis Rector commendatarius Parochialis Eccleſiæ S. Petri in Campo duobus ab hinc ſeculis in emphyteuſim conceſſit Capponi de Capponis Patritio Florentino, ejuſque, & deſcendentibus per lineam maſculinam plura prædia ad eamdem Eccleſiam ſpectantia, certis ad aliqua eorum expreſſis finibus, adjectoque pacto, ut in eventum devolutionis omnia etiam melioramenta in jus, & poteſtatem Eccleſiæ transferri deberent.

Durat nunc etiam hujuſmodi conceſſio: cumque Marchiones de Capponis ea prædia inſigniter melioraverint, necnon in eadem regione multa alia poſſideant bona propriæ Familiæ, utque aſſeritur, confuſa cum illis, quorum directum dominium pertinet ad prædictam Eccleſiam, tractatum inierunt cum ejus Præpoſito de affrancandis (uſitata utimur voce) bonis emphyteuticis, cui affrancationi tunc aſſentiebatur etiam ipſe Præpoſitus. Oblatæ idcirco fuerunt preces a Fratribus de Capponis huic Sac. Congregationi anno 1729. ad impetrandum Sedis Apoſtolicæ aſſenſum. Sed ut novi contractus conditiones poſſent accuratius ſtabiliri ſine detrimento Eccleſiæ, poſtulavit Præpoſitus, ut hæc Sac. Congregatio prius declararet, an ubi contingeret extinctio lineæ Maſcu-

fculinæ Fratrum de Capponis, melioramenta omnia, quamvis magnæ æftimationis, devolvenda effent ad Ecclefiam. Ad hoc autem Sacra Congregatio die 28. Jan. 1730. refcripfit -- *Ad Judices fuos* --, quo fcilicet Refcripto fignificabatur declarationem illam petendam effe, juris ordine fervato, a Curia Epifcopali.

At Epifcopus æxiftimans fibi commiffum, ut definiret, an effet locus affrancationi, per fententiam pronunciavit licere Fratribus de Capponis, eorumque defcendentibus mafculis, quandocumque eis libuerit, affrancare bona emphytheutica Ecclefiæ, quorum pretium à Peritis ab Epifcopo electis æftimatum juxta præfentem ftatum fuit in fcut. 13667. affignando tamen eidem Ecclefiæ alia prædia libera, quorum æftimatio afcendat ad fummam fcutorum 5200., atque interim quoufque facta non fuerit affrancatio, augendo annuum canonem, qui folvi confuevit in fcutis triginta feptem cum dimidio monetæ Florentinæ, ad fcuta quadraginta quinque. Verum Sac. Congregatio cognofcens nullitatem hujus fententiæ editæ inaudito Rectore, & præter mentem commiffionis, die 12. Januar. 1732. refcripfit: *circumfcripta fententia Epifcopi, exhibeatur minuta Tranfactionis, poftquam Partes eam concordaverint*.

Fuerat etiam exquifitum ab hac Sac. Congregatione fuffragium Eminentiffimi Bancherii circa conceffionem Beneplaciti Apoftolici, quod poftulaverant Fratres de Capponis. Cenfuit vero idem Eminentiffimus melioramenta quidem omnia, licet grandia, devolvenda ex vi pacti ad Ecclefiam fore, ubi fieret locus devolutioni bonorum ad ipfam Ecclefiam, fed ob ancipitem eventum litis, quæ tunc potiffimum oriretur circa identitatem bonorum, & demonftrationem antiquorum limitum inclinare fe inquit in fententiam, quod valde utilis Ecclefiæ fit futura affrancatio, dummodo affignentur prædia, quorum jufta æftimatio attingat fummam fcutorum fex millium, quæque, fi quando fiat locus devolutioni ob extinctionem lineæ Mafculinæ Fratrum de Capponis libere fpectare debeant ad Ecclefiam, ac præterea aucto interim annuo canone ufque ad fummam fc. 45.

Præpofitus tamen jura fuæ Ecclefiæ propugnans acriter contradicit hujufmodi conditionibus. Putat enim maximum inde damnum fuæ Ecclefiæ effe inferendum; ac præfertim quia bona emphitheutica juxta præfentem ftatum exæquent, ut ait æftimationem fcutorum circiter triginta millium. Itaque hodierna quæftio non eft, an fit approbanda Tranfactio, vel confirmandus contractus, in quem partes convenerint; fed an fit tribuenda Fratribus de Capponis facultas affrancandi in eum modum bona emphiteutica Ecclefiæ, quamvis reluctante, & diffentiente ejus Rectore. Accuratiffime idcirco infpiciendum videtur, an ita manifefta, & ingens fit utilitas (quemadmodum arbitrantur Marchiones Capponii) redundatura in Ecclefiam ex conditionibus oblatis, ut Rectoris impugnatio a recta ratione abhorreat, proindeque ipfo etiam invito, injungenda fit auctoritate S. Congregationis affrancatio bonorum propofita a Fratribus de Capponis: qui fane cafus eft fingularis.

Porro actum quandoque fuit in hac Sac. Congregatione de affenfu Apoftolico impertiendo pro bonorum emphyteuticorum affrancatione, videlicet liberatione bonorum a fervitute emphytheutica, & a jure directi dominii ad Ecclefiam fpectantis. Sed id contigit contrahen-

tibus utrinque aſſentientibus. demonſtrataque certa Eccleſiæ utilitate, de qua ſi forte incidit dubitatio, negatum fuit Beneplacitum, tametſi petitum ab Adminiſtratoribus Eccleſiæ, ut recenter ſervatum fuit inter ſummaria ſupplicum libellorum *in Papien. die* 26. *Aprilis* 1732.

Præterea quotieſcumque de hujuſmodi affrancatione actum fuit ea proponebatur facienda ſolutio ſtatim juſto pretio, quanti æſtimabatur prædium ad Eccleſiam pertinens, juxta *dec.*114. *cor. Benincaſa*. Non ſic autem res tranſigenda proponitur in caſu præſenti, ſed agitur de ſubrogandis, quando id placuerit Fratribus de Capponis, certis prædiis liberis in locum prædiorum emphyteuticorum, ea quidem lege, ut ſi linea maſculina dictorum Fratrum extinguatur, tunc devolvi ad Eccleſiam debeant non illa antiqua bona, quæ ab ipſa fuerunt profecta, ſed alia, in quæ ſubrogationem transferetur jus directi dominii competentis Eccleſiæ.

Cæterum hodie Fratres de Capponis has tantum conditiones offerunt, videlicet, ut pro affrancatione bonorum emphyteuticorum liceat in eventum extinctionis lineæ maſculinæ, adeoque devolutionis bonorum ad Eccleſiam Parochialem, tradere eidem Eccleſiæ bona, quorum pretium ſit æſtimatum in ſcutis dumtaxat quatermille, vel potius hanc pecuniæ ſummam ſolvere in numerato: atque interea uſque dum fiat locus devolutioni, ſpondent ſe addituros canoni, qui ſolvi ab eis conſuevit, annua ſcuta duo cum ſemiſſe, adeout deinceps totus annuus canon conſiſtat in ſcutis quadraginta. Quas quidem conditiones, licet prioribus anguſtiores, adhuc contendunt utiles fore Eccleſiæ ad evitandas controverſias, quæ alioquin orirentur in eo devolutionis caſu, tum circa veram quantitatem bonorum, eorumque fines, tum circa meliorationes ab emphyteutis factas, itemque circa renovationem inveſtituræ forſan competituram hæredi etiam extraneo. Quam ob rem cogendum putant Rectorem Eccleſiæ, etiam repugnantem, ad eas conditiones accipiendas, & hunc in modum eſſe quoque muniendam aſſenſu Apoſtolicæ Sedis affrancationem. Præpoſitus vero de evitando Eccleſiæ ſibi commiſſæ damno, ejuſque juribus cuſtodiendis enixe, ſolicitus proteſtatur longe magis expedire, quod res in eo in quo ſunt ſtatu, relinquantur, nihilque novi inducatur.

Utraque Pars ſuas copioſe proponet rationes, quibus libratis definiendum erit.

I. *An, & quomodo ſit locus affrancationi*. Et quatenus affirmative.

II. *An Rector ſit cogendus ad conficiendum Inſtrumentum, ſeu illud confici debeat ex officio in caſu &c.*

Dilata, & firmetur ſtatus bonorum, de quibus agitur coram Judice Subdelegando ſumptibus DD. de Capponis.

*Seſſ.*24. *c.*1. *de Ref. Matr.*

NEAPOLITANA MATRIMONII. Gratia Mautona, Satellitis olim conjux, & poſt ejus obitum addicta ſervitio Silverii Luciani, valde honeſto loco nati, & in Neapolitana Curia Cauſarum Patroni, induxit ſibi in animum, ut fieret Uxor Cæſaris filii ejuſdem Silverii. Itaque ineunte anno 1724., Cæſar cum vix ſextumdecimum ætatis annum attigiſſet, incuſſo a Fratribus Mulieris gravi metu ſponſalia iniit cum ea tunc annos habente ſeptem, ac triginta. Duobus circiter poſt menſibus ductus ſub noctem diei 23. Aprilis fuit adoleſcens

lescens domum Parochi ea femina matrimonium contraheret. Sed prudens Parochus incautum juvenem ita commone fecit, ut re infecta ambo discesserint. At die 13. Maii ejusdem anni 1724. Gratia Mautona, quæ sibi comites adjunxerat Fratrem, Sororem, aliasque Mulieres infimæ conditionis (Ecclesiam ingressa, dum Parochus Pœnitentium confessiones exciperet, ex improviso ad ejus pedes provoluta cum homine, qui palliatus erat naso tenus, hæc edidit verba -- *Sì Parochiano chisto mi è marito*. Vicissim vero homo ille, haud quaquam explicato pallio, dixit -- *Sì Parochiano, è chesta e mia mogliera* --, deindeque Parochi objurgatione perterritus statim fugam arripuit.

Hominem istum fuisse Cæsarem Lucianum contendebat Mulier. Id vero negabat Cæsar. Quæstione circa id instituta in Archiepiscopali Curia, res Eminentissimo Archiepiscopo visa fuit digna, quæ hujus Sac. Congregationis definiretur judicio.

Parochus rem gestam illico exponens Curiæ Archiepiscopali affirmavit feminam quidem se tunc novisse, non sic tamen novisse hominem, cujus vix mediam faciem potuit aspicere, sed subjunxit -- *Con tutto ciò non mi parve l' istesso Cesare Luciani*, -- cum quo sermonem habuerat viginti ante dies.

Pluries rite interrogatæ fuerunt binæ illæ Mulierculæ, quæ dicebantur adhibitæ, tamquam Testes Matrimonii, itemque tres aliæ mulieres, quæ forte per id temporis aderant in Ecclesia. Sed tum in eorumdem Testium, tum in aliorum, qui utrinque fuerunt inducti, tanta est varietas, non solum circa verba in celebratione Matrimonii prolata, sed etiam circa externa signa illius hominis, cum quo Matrimonium initum fuit, aliasve circumstantias, ut veritas magnis offusa tenebris videatur; præsertim cum memoratæ feminæ nec etiam in uno, eodemque testimonio persistant, nec sibimet ipsis constent.

Coram Promotore Fiscali duæ illæ Feminæ, quæ dicuntur Testes Matrimonii, recognoverunt Cæsarem Lucianum positum inter alios duos Juvenes. Sed hujusmodi recognitioni plura obiiciuntur a Cæsare, ac illud potissimum, quod facta (ut oportebat) non fuerit inter similes.

Quod vero multum ponderis habere videtur, est testimonium duorum fide dignorum asserentium, se illo ipso die, quo Matrimonium initum fuit, vidisse in Paterna domo Cæsarem Lucianum Patri ægrotanti assidentem ab hora circiter decima usque ad quintamdecimam: cum tamen Parochus affirmet Matrimonium coram se in sua Ecclesia fuisse contractum circa horam duodecimam, & semihoram.

Porro ut Tridentinorum Patrum Sanctioni, ac menti satisfactum sit, oportere videtur, quod Parochus, ac Testes sic viderint, vel aliter, sed tamen indubie, noverint contrahentes, ut certo possint testificari de Matrimonio inter eos contracto, nam alioquin non evitarentur luctuosa illa pericula, quæ ex clandestinis Matrimoniis manentia avertere voluit Sac. Concilium, ut observant *Gratian. disc.*849. *n.*15. *De Just. de dispensat. Matrim. lib.*3. *cap.*16. *num,*104. *Pax Jordan. lucubr. lib.*3. *tit.*7. *num.*74., & 103., *Tamburin. oper. moral. de Matrim. lib.*8. *tract.*6. *cap.*2. §.3. *num.*6., *Biss. in Hierurg. verb. Parochus* §.71., *Rot. dec.*634. *coram Burat.* Quos inter Doctores aliqui peculiariter etiam agunt de Sponso, aut Sponsa faciem habente tectam velo. De simili itidem casu plura habentur apud *Ursayam discept.*

discept. Eccles. tom.1. par.2. discept.1.ac præsertim a num.78. ad plures seqq.

An constet de Matrimonio contracto inter Cæsarem Lucianum, & Gratiam Mautonam, ejusque validitate in casu &c.

Dilata ad secundam, & ad mentem.

Sess.25. c.15. de Regul. & Monial.

ULYSIPPONEN. OCCIDENTALIS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Petrus de Oliolis opulentus Mercator duos habuit illegitimos filios, alterum ortum die 27. Aprilis 1696. alterum in lucem editum die 8. Decembris anni insequentis. Utrique Paternum ipsum nomen impositum fuit; prior quippe Filius vivere desiit, antequam vivere cœperit secundus. Plures rite interrogati hac de re testimonium dixerunt, quamvis non omnino consentiant circa tempus obitus prioris Filii, & plerique ex eisdem Testibus id solum se audivisse affirment. Cæterum quod unus ex iis filiis jamdiu obierit, satis constat ex Testamento Patris, qui anno 1700. moriens legavit superstiti Filio centies mille cruciatos.

Hic Petrus superstes anno 1711. ingressus fuit Tyrocinium Congregationis Theatinorum, & vertente probationis anno Testamentum condidit, in quo decies mille cruciatos legavit Domui ejusdem Congregationis, cui nomen dederat; reliquum vero Patrimonium transcripsit Claræ sorori, quæ jam fuerat in matrimonium collocata Andreæ Beaumon, reservata sibi annua pensione in scutis biscentum monetæ Romanæ. Deinde vero, die nimirum 3. Maii 1712. solemnibus votis se obligavit. Paucis tamen post mensibus abjecta religiosa veste fugam arripuit, & ad Hispanos Milites se aggregari curavit, inter quos versatus fuit usque ad exitum anni 1716. Reductus postea Domum Congregationis, in qua religiosam vitam susceperat, anno 1719. in Patriarchali Curia judicium instituit de nullitate Professionis. Cum tamen jam effluxisset quinquennium, postulavit anno 1722. ab hac Sacra Congregatione remedium restitutionis in integrum, de qua, postquam transmissus fuit Processus a Patriarcha confectus, hodie tandem agendum est.

In primis autem proponitur nullitas Professionis ex eo deprompta, quod Petrus nondum exegerat annum decimum sextum ætatis, ut ad validitatem Professionis requiritur ex præscripto Sacri Concilii Tridentini *cap.15. sess.25. de Regular.* Errori autem facile ansam præbere potuit similitudo nominis in utroque Filio ejusdem Patris, visa scilicet testificatione de Baptismo collato priori Filio die 27. Aprilis 1696. Itaque (nisi verisimile sit Professionem, quamvis initio invalidam, convaluisse tamen ex nova Religiosi voluntate, postquam ei perspecta fuerit veritas de sua ætate, indeque manans vitium prioris Professionis) non satis esse videntur ad inducendam tacitam Professionem diuturni actus Religioso Instituto consentanei, cum eorum exercitium adscribi possit ignorationi nullitatis Professionis, ut luculenter firmavit *Rot. in decis.952., & 983. coram Emer. Jun.* quam secuta fuit hæc Sacra Congregatio in casu prorsus simili huic, qui hodie proponitur, nempe *in Larinen. Restitutionis in integrum* 11. *Januarii* 1727. *lib.77. Decret pag.2.*

Sed, & aliud proponitur vitium Professionis, propterea quod adolescens Petrus subdolis suasionibus inductus fuerit ad amplectendam

Reli-

Religiosam Disciplinam, a qua cæteroquin abhorrebat, adnitente potissimum Andrea Beaumon Tutore ejusdem Petri, ejusque Sororis marito, quem verisimiliter urebat cupiditas transferendi in propriam Familiam facultates Pupilli, ut demonstravit eventus. Plura circa id documenta circumferuntur, quibus etiam perpensis deliberandum erit.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Dilata ad sequentem.

ANGLONEN. PRÆEMINENTIARUM. Cum in Oppido Claramonte duæ existant Parochiales Ecclesiæ, altera, quæ Collegiata etiam est, dedicata S. Thomæ Apostolo, altera Divo Joanni Baptistæ sacra, ad decidendas controversias inter utriusque Clerum vigentes die 24. Maii 1727. proposita in hac Sacra Congregatione fuerunt undeviginti Dubia. Sed iis tunc indecisis, cum Episcopus tranquillitati sacrorum Ministrorum magis consultum iri ratus fuisset dividendo Gregem, ac Territorium, certis cujusque Pareciæ finibus constitutis, modulum istiusmodi divisionis cum cæteris conditionibus ei consentaneis ab Episcopo confectum pro componendis dissidiis approbavit Sacra Congregatio die 3. Aprilis 1728. *Sess. 24. c. 13. de ref.*

At deinde reclamante Archipresbytero Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ. cui plures competere prærogativas contenditur, ut quæstionibus tandem imponatur finis, examinandum proponitur.

I. *An substineatur concordia.* Et quatenus negative.

II. *An constet de matricitate Ecclesiæ Parochialis S. Joannis Baptistæ, seu alio titulo superioritatis.*

III. *An Archipresbytero, & Clero ejusdem Ecclesiæ competant supra Clerum, & Rectorem S. Thomæ omnes illæ prærogativæ, quibus gaudere asserebatur ante concordiam.*

IV. *An Ecclesia S. Thomæ sit vere Parochialis, vel simpliciter curata, & dependens ab Ecclesia S. Joannis Baptistæ.* Et quatenus negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam,

V. *An sit locus divisionis curæ Populi, ac redditutum in casu &c.*

Dilata, & ad mentem.

PERUSINA, SEU CIVITATIS PLEBIS CAPPELLANIÆ. Joannes Andreas Fantautus anno 1710. hæredem scripsit Constantiam de avoncellis Uxorem, qua sine filiis obeunte, jussit bona suæ hæreditatis vendi, eorumque pretium erogari in celebrationem Missarum. Præterea eidem Uxori facultatem tribuit nominandi Executorem suæ hujus voluntatis; Non facta autem per Uxorem nominatione, Executorem esse voluit illum, qui eidem Uxori esset propinquior. *Sess. 22. c. 6. de Ref.*

Constantia anno 1727. supplicavit Summo Pontifici, ut sibi potius liceret ex eisdem bonis fundare Cappellaniam perpetuam ea lege, ut Cappellanus tot Missas celebrare deberet, quot ferre possent annui redditus, necnon petiit sibi tribui facultatem deligendi primum Cappellanum, deinceps vero transferendi Patronatum dictæ Cappellaniæ in suos Fratres.

Sub exitum ejusdem anni 1727. Constantia Testamentum condidit, in eoque cavit, ut si gratia, quam postulaverat, impetraretur, primus Cap-

Cappellanus esse deberet Marius Pavoncellus ejus Frater, postea vero Jus deligendi Cappellanum pertineret ad Rocchum alterum fratrem, ejusque liberos. Quod si gratia negaretur, Executores dispositionis Joannis Andreæ Fantauti, ac etiam suæ voluit esse Philpp um Belfortem, cum quo secundas inierat nuptias, & Præpositum Perusinæ Domus Congregationis Oratorii.

Die 21. Februarii 1728. (cum tamen paucis ante diebus obiisset Constantia absque prole) rescriptum ab hac Sacra Congregatione fuit -- *Pro gratia quoad institutionem Cappellaniæ cum onere tot Missas celebrandi, quot celebrari poterunt ex redditibus bonorum pro anima Testatoris, & quoad nominationem primi Cappellani ab Oratrice faciendam. In reliquis lectum.*

At cum postea Rocchus Pavoncellus memoratæ Constantiæ Frater preces porrexisset, ut sibi, ac descendentibus ab eo adjudicaretur Jus nominandi Cappellanum, (id quod impugnabatur a Philippo Belforte) die 9. Septembris 1730. prodiit hoc Rescriptum -- *Lectum, & servetur mens Testatoris, & affigantur Edicta pro alienatione bonorum. & interim ex eorum fructibus celebrentur Missæ ad rationem manualis* -- Eaque resolutio fuit rursus approbata die 16. Decembris ejusdem anni. Sed hæc Rescripta edita fuerunt inter summaria supplicum libellorum. Ut vero tandem de medio tollatur controversia, quæ viget inter dictum Rocchum Pavoncellum, & Philippum Belfortem, oportuit Causam in Folio proponi.

Episcopus Perusinus jamdiu retulit pretium bonorum, de quibus agitur, verisimiliter attingere summam scutorum 2246. Sed emptorem haud facile posse inveniri, cum evictionis fidejussor nullus sit futurus, vel longe viliori pretio ea bona venditum iri. Quamobrem opportunum sibi videri inquit, quod commutata in melius voluntate Testatoris, instituatur Cappellania perpetua, assignatis in ejus dotem bonis ipsis, & imposito Cappellanis onere celebrandi Missas in eo numero, qui fructibus respondeat.

Quantum attinet ad institutionem Cappellaniæ, utpote subrogandam celebrationi Missarum, quam Testator statim fieri voluit ex pretio bonorum, Sacra Congregatio in simili casu hujusmodi facultatem minime tribuendam censuit *in Bononien. Legati Missarum* 7. *Decembris* 1697. 7. *Augusti* 1698. & 9. *Septembris* 1702. Sed postea ab hac sententia recedens annuit postulatis *die* 12. *Januarii* 1704. ut *in lib.* 54. *Decret. pag.* 3.

Eamdem quoque voluntatis commutationem censuit impertiendam *in Olinden.* 3. *Martii* 1703. quia scilicet hæreditas Testatoris, supra quam ille credidisset, pinguis, æquabat æstimationem scutorum octoginta millium, ideoque permissum fuit, ut abstinendo a venditione bonorum, quam fieri jusserat Testator, impenderetur in celebrationem Missarum quidquid pecuniæ congeri ex annuo fructu posset, ut *in lib.* 53. *Decret. pag.* 96.

At *in Januen.*, *seu Savonen. Erectionis Cappellaniarum*, cum peteretur facultas fundandi octo Cappellanias ex summa scutorum 9000. quæ juxta Testatoris voluntatem debuisset erogari in eleemosynam pro Missis nonaginta millibus, *die* 19. *Augusti* 1720. proposito hoc Dubio -- *An sit locus petitæ commutationi, & respective erectioni Cappellaniarum* -- rescriptum fuit -- *Negative, & servandam esse voluntatem Testatoris*, ut *in lib.* 52. *Decret. pag.* 323.

De-

Denique *in Pisauren. Commutationis Legatorum*, cum hæreditaria bona a duobus Testatoribus relicta, ut ex eorum pretio Missæ celebrarentur, consisterent magna ex parte in censibus, nec inveniretur emptor, nihilominus Sacra Congregatio *die* 17. *Iunii* 1713., *&* 23. *Iunii* 1714. existimavit locum non esse commutationi voluntatis, nec instituendas, ut postulabatur, Cappellanias, sed addidit celebrandas esse Missas ad normam eleemosynæ manualis ex fructibus, & in eventum restitutionis capitalium, ea esse eroganda itidem in celebrationem Missarum juxta eamdem normam eleemosynæ manualis, ut *in lib.*63. *Decret. pag.*250. *& lib* 64. *pag.*252.

Quod si in casu, de quo agitur, Sacra Congregatio putaverit esse faciendam potestatem instituendi Cappellaniam, deinde erit videndum, an libera ejus collatio pertinere debeat ad Episcopum, vel potius Patronatus prædictæ Cappellaniæ juxta Constantiæ votum sit adscribendum Familiæ Rocchi de Pavoncellis. Enim vero Juspatronatus reservari posse non solum a Fundatore ipso Beneficii, sed etiam ab hærede, qui exequendo voluntatem Testatoris fundationem perficiat, quamvis hic nihil de suo conferat in dotem, tradunt *Card. de Luc. de Iurepatr. disc.*55. *num.*13. *Vivian. de Iurepatr. lib.*2. *cap.*1, *num*13. *par.*1. *Rot. decis.*871. *num.*2. *coram Seraphin. & decis.*21. *num.*1. *coram Buratt.*

At juxta præsentem facti speciem fundatio Cappellaniæ dici non posset facta ex commissione, & præcepto Jo. Andreæ Fantauti, qui non talem Cappellaniam jussit institui cum dote suorum bonorum, seu bona vendi, & pretium impendi pro Missarum celebratione.

Pertinet autem ad EE. VV. declarare.

I. *An sit locus erectioni Cappellaniæ in casu &c.* Et quatenus affirmative.

II. *An Ius nominandi Cappellanum sit reservandum favore proximiorum hæredis Testatoris in casu &c.*

GERUNDEN. JURISDICTIONIS. Discussæ iterum fuere in Congregatione habita die 28. Martii vertentis anni quæstiones, quarum causam præbere solet Episcopalis Jurisdictio, quæ dum Cathedra vacua est, ad Archidiaconum majorem, quem vocant *de Rogationibus*, ex veteri more transfertur, de pluribus quidem pronunciatum tunc fuit, sed binæ accuratiorem examinationem exposcere visæ sunt, quæ scilicet Dubiis ita conceptis continebantur. *Sess* 6. *c.*4. *Sess.*24. *c.* 16. *Sess.*25. *c.* 6. *de Ref.*

III. *An Archidiaconus major Ecclesiæ Gerunden. Sede vacante per se visitare possit Ecclesiam, Capitulum, Canonicos, & Diœcesim, & necessaria ad bonum Ecclesiæ regimen demandare.*

IV. *An idem Archidiaconus procedere valeat in Visitatione, & extra eam, contra Capitulum, & Canonicos singulos, tam in civilibus, quam in criminalibus, sine conjudicibus, & adjunctis ejusdem Capituli.*

Propositis enim die 12. Februarii 1729. duobus hisce Dubiis, rescriptum fuerat: *Ad tertium negative quoad Ecclesiam Cathedralem, & Capitulum, & in reliquis affirmative. Ad quartum quoad Visitationem provisum in superiori, extra vero Visitationem Archidiaconum procedere debere cum adjunctis ad formam Concilii in criminalibus tantum.* Et hæc sunt decreta, quæ hodie inquiritur, an sint confirmanda.

Secernendo autem ea, quæ Capitulum impugnat, ab iis, de quibus nunc controversia non est, concedit Capitulum posse ab Archidiacono visitari Diœcesim, & ea, quæ salubris regiminis ratio postulaverit, decernere; itemque non negat posse Archidiaconum extra visitationem procedere adversus Capitulares cum duobus ex eodem Capitulo adscitis, sed negat ei competere facultatem visitandi Ecclesiam ipsam Cathedralem, ejusque Capitulum, & Canonicos, vel extra Visitationem jus procedendi contra Capitulum, & Canonicos sine Adjunctis.

Quantum attinet ad Visitationem Ecclesiæ, & Capituli illud in primis pro certo habendum esse ponitur, quod Capitulum Gerundense sit exemptum a jurisdictione Episcopi. Quamvis enim in medium non proferatur Pontificium Diploma, a quo originem trahat hujusmodi exemptio, eam tamen supponunt plura etiam vetusta documenta, ac præsertim tum transactio inter Episcopum, & Capitulum inita anno 1455., tum etiam sententia in Auditorio Sacræ Rotæ edita coram Mantica anno 1589., tum denique Literæ Apostolicæ Gregorii XIII. quibus statuitur posse Capitulum visitari, ac etiam extra Visitationem Capitulares corrigi juxta normam à Sacro Concilio Tridentino præscriptam pro Capitulis exemptis; id quod servatum hactenus fuit.

Stabilita autem exemptione, inde Capituli Defensores inferunt nullo modo posse Archidiaconum visitare Cathedralem Ecclesiam, ipsumque Capitulum. Etenim à Tridentinis Patribus in *cap.4. sess. 6. de ref.* sic cautum fuit: *Capitula Cathedralium, & aliarum majorum Ecclesiarum, earumque Personæ nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis tueri se possint, quominus a suis Episcopis PER SE IPSOS SOLOS, seu illis quibus sibi videbitur, adjunctis visitari possint, & valeant*: Contendit autem Capitulum verba illa, *per se ipsos solos* vim haberi significandi, quod Capitula Ecclesiarum exemptarum a nullo alio visitari possint, quam a solo Episcopo per se ipsum. Cujus ad interpretationis confirmationem adducitur Decretum ab hac Sacra Congregatione editum in Hispalen 12. Martii 1593. his verbis: *Ordinarium volentem visitare in vim cap.4. sess. teneri per se ipsum: volentem autem visitare ex cap.3. sess.24. posse per suum Generalem Vicarium, aut visitatore, si tamen legitime impeditus fuerit, ut in lib.7. Decr. pag.98.*

Quod si solis Episcopis tributa a Sacro Concilio fuit facultas visitandi Ecclesias, & Capitula exempta, consequens esse videtur potestatem istam, demortuo Episcopo, nec ad Capitulum, nec ad Vicarium Generalem ab eo delectum devolvi, adeoque nec etiam ad Archidiaconum majorem, qui non ex vi Privilegii Apostolici, sed ex vi præscriptæ consuetudinis eam obtinet Sede vacante jurisdictionem, quæ alioquin post obitum Episcopi transit in Capitulum, quasi scilicet jus ex præscriptione quæsitum Archidiacono in hoc resideat, ut sit subrogatus in locum Capituli, quoad successionem in Episcopalem jurisdictionem Sede vacante.

Addunt pr... defensores Capituli non dispar judicium esse faciendum de visitatione Capituli, ac de visitatione Ecclesiæ Cathedralis: sed eodem modo arcendum esse Archidiaconum á visitatione ipsius Ecclesiæ, quia exemptio competens Capitulo communicatur Ecclesiæ, & unam eamdemque normam visitandi Capitulum, & Ecclesiam esse debe-

debere colligitur ex resolutione edita *in Segobricen. anno* 1590. ubi propositis duobus dubiis nempe X. *An Episcopus possit in visitatione exigere rationes administrationum à Capitulo, saltem earum, quarum commodum non ad Canonicos tantum, sed ad Beneficiatos, & Ministros Ecclesiæ spectat; item an hujusmodi rationum exactio possit fieri per ipsum Episcopum tantum, & non una cum duobus Canonicis adjunctis*. XI. *An etiam possit Episcopus solus visitare fabricam Ecclesiæ Cathedralis, & rationes ejus exigere*; Sac. Congregatio ad X. respondit: *Episcopum solum, vel his, quibus sibi videbitur, adjunctis, posse Capitulares, ac bona, rerumque, & bonorum administrationem visitare*: *Ad* XI. *itidem posse, ut in lib.6. Decr. pag.*86.

Postremo Capitulum nititur etiam consuetudine, nam Archidiaconus major nunquam Sede vacante, neque Capitulum, neque Cathedralem Ecclesiam visitavit.

Hæc sunt præcipua rationum momenta quibus se tuetur Capitulum. At Archidiaconus primo loco haud quaquam concedit Capitulum esse exemptum ab ordinaria Episcopi jurisdictione, Deinde posita etiam exemptione, negat, excludi posse Archidiaconum ab eo visitationis exercendæ jure, quod competit Episcopo. Inquit enim locum illum Sac. Concilii *in cap.4sess.6.de ref.*non de solis Episcopis ita loqui,ut facultatem visitandi Capitula exempta negare senserit cuicumque alteri, etiam succedenti in Episcopalem jurisdictionem, sed ut in arbitrio Episcopi poneret visitare Capitula exempta, vel sine Adjunctis, vel cum illis, necnon ut adimeret Episcopo facultatem substituendi alium Visitatorem; atque hunc esse germanum sensum ilorum verborum: *per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, ut apud Pignattell. conf.*152. *tom.*10. Nec sane huic interpretationi refragatur Decretum supra exscriptum in *Hispalen.*, ut satis liquet.

Cum itaque Archidiaconus tempore, quo vacua est Sedes Episcopalis, vices omnes gerat Episcopi, & exceptis iis, quæ ad potestatem Ordinis pertinent, in ceteris omnibus subrogetur defuncto Episcopo, ut sensisse videtur Sac. Rota in Sententia olim lata *coram Emer. jun.*, & confirmata *coram Benincasi*, necnon in Decisionibus postea editis *coram Card.Priolo*,quæ habentur impressæ *apud. Scarfanton.ad Ceccoper.l.*1. *decis.*14.,*& seqq*:Inde argumentum sumitur,quod quemadmodum Sede plena Episcopus, sive per se solum, sive aliis, si malit, sibi adjunctis potest ex potestate sibi facta à Tridentina Synodo visitare Capitulum Gerundense, utcumque exemptum, ita etiam hoc jure potiri queat Sede vacante Archidiaconus.

Ad rem vero hanc considerari possunt aliqua hujus Sac.Congregationis Decreta, in quibus agitur de visitatione peragenda a Vicario Capitulari Sede vacante. Fuit quidem resolutum, posse Vicarium Capitularem post exactum annum a die ultimæ visitationis, per Episcopum factæ, visitare non solum Civitatem, & Diœcesim, sed etiam Capitulum, & Capitulares, ut in *Dubio Visitationis* circa Vicarium Capitularem Scardonen. proposito *die* 13. *Septembris* 1721. *lib.*71. *Decr. pag.*388. Sed non constat, quod ageretur de Ecclesia, & Capitulo exempto.

Definitum quoque fuit in *Calaguritana Juris visitandi* 30. *Septembris* 1730. competere Capitulo Cathedrali, ejusque Vicario, Sede

vacante, jus visitandi Ecclesiam, Capitulum, & Capitulares S. Mariæ della Redonda, ut in *lib.*80. *Decr. pag.*289. At agebatur de Visitatione Ecclesiæ Collegiatæ, ac præterea ignotum est, an ea sit exempta.

Controversia etiam est inter Doctores, num Capitulum, sive ejus Vicarius, Sede vacante, valeat in visitandis Monasteriis, aliisque locis exemptis ea uti potestate delegata, quæ per Sac. Concilium Tridentinum tradita est Episcopis. Negant aliqui, propterea quod non transeat in Capitulum ea delegatio, in qua tribuenda Concilium Episcopis potissimum confidisse videtur, ut tradunt *Garz. de benefic. part.*5. *cap.*7. *num.*45. *Azor. Inst. Mor. par.*2. *lib.*3. *cap.*37. *quæst.*15., & *cap.*40. *quæst.*8., *Sperell. decis.*31. *num.*3., *Panimoll. tom.*2. *decis.*84. *num.*24.

Affirmant vero alii, ea ducti ratione, quod ubi potestas delegata non conferatur in personam certam Episcopi, sed perpetuo annectatur Officio Episcopali ad salubriorem gubernationem Ecclesiæ, ac Diœcesis, & in bonum eorum, in quos talis delegata jurisdictio est exercenda, tunc ea, quasi pars accedens ad totam Episcopalem jurisdictionem, devolvatur etiam ad Capitulum Episcopali Sede vacante, ut probant *Molin. de Just.*, & *jur. tom.*6. *tract.*5. *disputat.*11. *num.*8., & 9. *Barbos. de Canonic. cap.*42. *num.*107., & *de Jur. Eccles. Univ. lib.*1. *cap.*32. *num.*71., & 107. *Ventrigl. in prax. annot.*15. §.1. *num.*20. *Card. de Luc. in annot. ad Concil. disc.*31. *num.*30., & 37.

Denique quantum attinet ad visitationem Ecclesiæ Cathedralis, videndum est, an peculiaris aliqua ratio evincat eam posse ab Archidiacono visitari, supposita etiam illius exemptione. Siquidem Tridentini Patres in *Cap.*8. *sess.*7. *de ref.* ita statuerunt -- ,, Locorum Ordinarii ,, Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas, auctoritate Apo- ,, stolica singulis annis visitare teneantur, & opportunis juris reme- ,, diis providere, ut quæ reparatione indigent reparentur, & cura ,, animarum, si quæ illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime ,, defraudentur. ,, Patet autem hoc loco Apostolicam auctoritatem non Episcopis solis esse commissam, sed indiscriminatim quibuscumque Ordinariis: qua sane appellatione non videtur ambigendum, quin etiam comprehendatur Archidiaconus Gerundensis Sede Episcopali vacante.

Accedit ad hæc, quod lex de asciscendis duobus Capitularibus, de quibus *in d. cap.*6. *sess.*25. *de Ref.*, ubi Capitulum sit exemptum, non habet locum in visitatione Ecclesiæ Cathedralis. Potest quippe Episcopus sine Adjunctis visitare ædificium eiusdem Ecclesiæ, atque omnia, quæ ad divinum cultum rite obeundum pertinent, necnon Cappellanias, Anniversariorum fundationes, cæteraque pia opera ibidem instituta ut docent *Barbos. de Offic. Episc. alleg.*73. *num.*15., & *ad Concil. cap.*6. *sess.*25. *de Ref. num.*17., & *de Canonic. cap.*28. *num.*18.

Denique perpendendum quoque videtur, quid ponderis habeat periculum, quod forsan subire posset Ecclesiastica disciplina, Divinusque cultus, si per omne tempus, qua vacua sit Sedis Episcopalis, nullus existeret, qui Cathedralem Ecclesiam, & Capitulum visitare possit, & quæ recti regiminis ratio exigat præscribere. Id enim verisimiliter alienum esse a mente Tridentinæ Synodi animadvertit *Barbos. de Canonic. cap.*42. *num.*107. *in fin.*

Partes igitur EE. VV. erunt deliberare.

An

An quo ad III. & IV. Dubium sit standum, vel recedendum a decisis die 12. Februarii 1729. in casu &c.

TOLENTINA FUNERUM. Obitus Bartholomæi Cotoloni, qui Parochiali jure suberat Ecclesiæ Cathedrali, humatusque fuit in Collegiata Ecclesia Sancti Jacobi, occasionem præbuit quæstioni, quæ modo proponitur dirimenda. Consueverunt enim in hac Civitate cadavera prius asportari ad Parochialem Ecclesiam, deindeque deferri ad aliam, in qua vel majorum sepulchrum existat, vel sibi sepulturam dari jusserit defunctus. Morem hunc, e quo non raro nascuntur contentiones, & lites inter utriusque Ecclesiæ Ministros, prorsus tolli postulat Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, ejusque votis adstipulatur Episcopus, qui in ea est sententia, ut cadavera deferri rectè ad eam Ecclesiam debeant, in qua sint tumulanda. *Sess. 23. c. 25. de ref.*

Ita sane pluries determinatum a Sac. Rituum Congregatione fuisse patet ex Decretis, quæ referuntur *a Pignattel. consult.* 48. *num.* 7., & *seqq. tom.* 3. *Nicol. Floscul.* §. *Sepultura num.* 13. *Lantusc. Theatr. Regular. verb. Associat. Cadaver. Panimol. decis.* 169. *num.* 64., & 74. *Mattheuc. Official. Cur. Eccles. quo ad exequias cap.* 20. *num.* 1.. Sic quoque censuit hæc Sac. Congregatio in *Lucana Funerum*, in qua disceptato Dubio --,, An Cadavera defunctorum sepelienda in Ecclesia Patrum Minorum de Observantia Terræ Petræ Sanctæ, antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, & eorum ibi debeat fieri expositio usque ad horam sepulturæ -- ,, die 14. Martii 1722 respondit -- *Negative* --, ut in *l.* 72. *Decret. pag.* 94.

Itaque decidendum proponitur.

An cadavera debeant directe deferri ad Ecclesiam, in qua fuerit electa sepultura, absque præcedenti delatione ad Parochialem in casu &c.

Die Sabbathi 27. Junii 1733.



Res, quæ sequuntur, Causæ descriptæ fuerunt etiam in Folio Congregationis habitæ die 13. exeuntis mensis, illudque resumere EE. VV. non graventur.

ULYSIPPONEN. OCCIDENTALIS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. *Sess. 25. c. 15. de Regul. & Monial.*

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Affirmative.

PERUSINA, SEU CIVITATIS PLEBIS CAPPELLANIÆ. *Sess. 22. c. 6 de Ref.*

I. *An sit locus erectioni Cappellaniæ in casu &c.* Et quatenus affirmative.

II. *An*

II. *An jus nominandi Cappellanum sit reservandum favore proximiorum hæredis Testatoris in casu &c.*

Episcopus procedat ad erectionem Cappellaniæ imposito Cappellanis onere celebrandi juxta mentem Andreæ Jantanti tot Missas, quot celebrari possunt ex fructibus bonorum ad rationem manualis detractis utensilibus, & Cappellania remaneat liberæ collationis, sed pro prima vice ex gratia ab Episcopo conferatur Fratri Constantiæ Pavoncellæ; necnon idem Episcopus cogat Philippum Belfortem, & Rocchum de Pavoncellis ad reddendam rationem de Bonorum administratione, & de fructibus perceptis, ac incumbat, ut omnes iidem fructus restituendi statim erogentur pro celebratione Missarum, & amplius.

Sess.6. c.4. Sess.24. c.16. & Sess.25.c.6. de ref.

GERUNDEN. JURISDICTIONIS.

An quo ad III., & IV. Dubium sit standum, vel recedendum a decisis die 12. Februarii 1729. in casu &c.

Dilata, & proponatur cum iisdem dubiis.

Sess.7. c.7. de Ref.

NARNIEN. CURÆ ANIMARUM. In Oppido Collis Scipionis binæ existunt Collegiatæ Ecclesiæ. Alteri inditus est titulus S. Mariæ Majoris, alteri S. Nicolai. Imminet utrique cura animarum, quæ superiori tempore exerceri consuevit ab uno è Canonicis, singulis annis electo a Capitulo, ut ajunt *per turnum*. Sed in Constitutionibus Capitularibus editis centum, & amplius abhinc annis hæc fuerat lata lex -,, Item statuimus, & ordinamus, quod dicti Canonici, & Capitulum debeant eligere unum de dictis Canonicis, vel ,, alium probum, & idoneum Virum Sacerdotem, etiam qui non sit ,, Canonicus, qui habeat curam animarum, arbitrio Reverendissimi ,, D. Episcopi duraturum, & omnia alia faciat juxta dispositionem ,, Sacrosf. Concilii Tridentini -. Cum autem Episcopus exposuisset Sac.Congregationi morem hunc regendi gregis minime consentaneum præscripto Sac. Concilii Tridentini, simulque retulisset Canonicos sic quotannis electos ægre adduci, ut examen subirent, dubitante etiam haud leviter Episcopo de eorum peritia ad id muneris opportuna; propterea censuit in primis S. Congregatio explorari plura ab eodem Episcopo oportere. Ad interrogata vero respondit Episcopus, nimirum in toto illo Oppido sexcenta supra mille numerari capita: In unaquaque Ecclesia Collegiata octo esse Canonicos: Singulos Canonicos habere in annuo redditu scuta circiter triginta, non detracto tamen Missarum onere, quod ipsis Canonicatibus est annexum: Decimas a Parochianis solvi non consuevisse sed solum quasdam oblationes, quæ in unaquaque Collegiata vix attingunt singulis annis scuta quatuor: Emolumenta denique omnia tam certa, quam incerta, quæ ab exercitio curæ animarum proveniunt, non excedere in unaquaque itidem Ecclesia annua scuta quindecim.

His intellectis, Sac. Congregatio die 22. Martii 1732. rescripsit - *Episcopus procedat ad erectionem Vicariæ perpetuæ in unaquaque Collegiata ad formam Sac. Concilii Tridentini, auditis interesse habentibus*. Quam ob rem mense Septembri ejusdem superioris anni

Epis-

Episcopus per Decretum instituit Vicariam perpetuam in unaquaque Ecclesia, assignatis Vicario annuis scutis quinquaginta, quæ solvi jussit ex massa Capitulari.

Reclamarunt Canonici utriusque Capituli, exponentes, impares esse vires suorum proventuum substinendo huic novo oneri annui stipendii persolvendi Vicario habita ratione non solum tenuitatis emolumenti, quod eis obvenit, ut dictum est, sed etiam servitii Ecclesiæ præstandi. In Collegiata enim Ecclesia S. Nicolai tenentur Canonici quotidie matutinum recitare in choro, necnon Vesperas omnibus Sabbathis, & in pervigilio omnium dierum festorum. Celebrare etiam singuli debent Missas centum, & quinquaginta cum applicatione Sacrificii. In altera autem Ecclesia S. Mariæ Majoris Canonici omnibus diebus tantum festis intersunt Divinis Officiis in choro, prætereaque annuas Missas centum circiter duo autem ex ipsis etiam plures, celebrare, & applicare Fundatoribus debent.

Sed ut perpendi possit, an alia ratione provideri possit, illesis redditibus, qui percipi a Canonicis solent, nuper etiam significavit Episcopus unitum a se jam fuisse ad commodum Canonici exercentis curam animarum in Ecclesia S. Mariæ Majoris simplex Beneficium proxime vacaturum, quod reddit in annuo fructu scuta circiter viginti, sed substinet onus duarum Missarum qualibet hebdomada, itemque fuisse a prædecessore Episcopo assign tum Canonico obeunti idem munus Parochi in eadem Ecclesia aliud Beneficium, cujus annui proventus vix attingunt scuta quinque cum onere duodeviginti Missarum. Subjungit etiam alia tria esse Beneficia simplicia, quorum unio fieri posset; unum nempe, quod nondum est vacuum, nec proxime vacaturum, redditque in annuo fructu scuta quindecim cum onere unius Missæ singulis mensibus; Reliqua autem duo vacua modo sunt, sed alterius redditus non excedunt annua scuta duo; proventus vero alterius attingunt scuta septem, sed Missarum onus ei inhærens tam grave est, ut illud Beneficium assequi nullus optaverit. Exponit denique Episcopus, quod exceptis duobus Canonicatibus in Ecclesia S. Mariæ Majoris, & uno in alia Ecclesia S. Nicolai, quorum Patronatus pertinet ad laicos, reliqui omnes Canonicatus ad liberam collationem spectant, & verisimile est eorum fundationem antiquo tempore factam fuisse ex bonis constituentibus dotem istarum Ecclesiarum Parochialium, antequam illæ augerentur titulo, & honore Collegialitatis.

His igitur perspectis deliberandum erit.

I. *An sit exequenda erectio Vicariæ perpetuæ, tam in Ecclesia Colleta S. Mariæ Majoris, quam in altera S. Nicolai, cum assignatione congruæ in annuis scutis quinquaginta Vicario solvendæ ex Massa Capitulari*. Et quatenus negative.

II. *Quomodo sit aliter providendum in casu &c.*

Ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem.

ROMANA APERITIONIS ORIS, ET CONGRUÆ. Bartholomæus Nerius anno 1665. donavit Religiosæ Familiæ B. Petri de Pisis bona, quorum annuos redditus affirmavit satis fore ad duodecim Religiosorum substentationem, ad ecta lege construendi supra Montem Marium Ecclesiam, & Cœnobium, ubi Religiosi in eo saltem numero *Sess. 23. c. 4. de Ref.*

mero

mero domicilium habere, Divina Officia persolvere, & Sacramenta ministrare agricolis in ea regione morantibus deberent.

Sub annum vero 1708. San. Mem. Clemens XI. facultatem tribuit Cardinali Vicario instituendi in ea Ecclesia, quæ Divo Francisco dicata fuerat, novam Parochiam, assignando ei remotiorem partem, tum antiquæ Parochiæ, quæ subjecta erat Ecclesiæ B. Mariæ de Populo ad Portam Flaminiam, tum alterius Parochiæ spectantis ad suburbanam Ecclesiam S. Lazari. Verum, cum ista Ecclesia filiali titulo subsit Vaticanæ Basilicæ, exquisitus ad eam Parœciæ sectionem fuit assensus Capituli, quod in eo præstando certas explicavit conditiones, ac eam potissimum, quæ his verbis concepta fuit -- „ Che per detta erezione di nuova Parocchia, nè per il presente consenso non possa il „ detto Convento, nè il Curato pro tempore, o Religione del Beato Pietro di Pisa pretendere cosa alcuna dalla detta Basilica, o suo „ Capitolo per ragione di congrua, salario, recognizione, emolumento, suppellettili sacre, nè per qualunque altra causa, anco incogitata, e che fosse tale, che si dovesse, e richiedesse doverséne „ fare speciale, & individua menzione; ma sempre, e perpetuamente detto Capitolo sia esente da ogni, e qualunque peso ordinario, „ & estraordinario, imposto, e da imporsi: mà il tutto dovrà essere „ a cura, peso, spesa, ed incommodo di detto Convento, Religione, „ e Curato pro tempore, perchè così &c., e non altrimenti &c. „ Atque hunc in modum res ad effectum perducta fuit.

Anno demum 1726. S. M. Benedictus XIII. edita Constitutione, qua aliquot Rectoribus suburbanarum Ecclesiarum Parochialium, ne eis deessent idonea vitæ subsidia congrua reddituum portio assignata fuit, jussit dari memoratæ Ecclesiæ S. Francisci in Monte Mario annua scuta centum, ab iis per contributionem solvenda, qui prædia possident intra illius Parœciæ fines.

Hujusmodi onus impugnant prædiorum possessores, existimantes ab eo imponendo alienam fore mentem Pontificis, si res tota, uti est, ei perspecta fuisset. Ajunt enim ignorasse Benedictum, quod substentationi Religiosorum, (qui pauciores, quam duodecim, in eo Cœnobio nunc sedem habere solent, & quorum unus præest curæ animarum,) satis jam erat consultum per proventus a Fundatore donatos. Ignotam itidem fuisse Pontifici legem in ipsa fundatione præscriptam, ut Religiosi ibidem commoraturi deberent -- „ Confessiones audire, „ Ecclesiæ Sacramenta subministrare pro pauperibus rusticis, & „ agricolis ejusdem regionis, prout alii Regulares faciunt in eorum „ Ecclesia, aliaque charitatis opera facere in beneficium, & utilitatem animarum, illorum præsertim, qui ad Urbem accedere non „ valent -, ita quidem, ut per novam Parochiæ institutionem nihil, aut parum oneris accessisse videatur ad illud, quod Religiosi ex Fundatoris consilio, & lege jam subire tenebantur sine Parochiali titulo. Denique eidem Pontifici latuisse etiam conditionem, cui assenserant Religiosi in ipsa novæ Parochiæ institutione, ut scilicet nihil, nulloque nomine petere unquam possent a Capitulo Vaticanæ Basilicæ.

Præterea, qui reclamant impositioni memorati oneris, ajunt perpendendum esse, quod Pontifex in eadem Constitutione declaravit, nullam congruam esse assignandam aliis duabus Parochialibus Ecclesiis, quæ a Religiosis itidem reguntur, quia idoneis vectigalibus eos instructos esse

esse novit. Inferunt vero haud impar judicium esse faciendum de Parochiali Ecclesia Sancti Francisci in Monte Mario.

Itaque disceptandum proponitur.

I. *An sit locus aperitioni oris.* Et quatenus affirmative.

II. *An Congruæ assignatio, & Taxæ impositio, de quibus agitur, substineatur in casu &c.*

Dilata, & firmetur status Conventus.

LARINEN. VISITATIONIS. In Abbatia S. Agathæ, quæ dicitur Grancia Monasterii Insulæ Tremitanæ, ad Canonicos Regulares Lateranenses spectantis, extat Ecclesia, in qua cum ab uno ex eisdem Religiosis administrarentur Sacramenta Colonis, Episcopus anno 1653. consulit hanc Sacram Congregationem, an ei liceret Ecclesiam illam visitare. Itaque die 20. Decembris ejusdem anni Sacra Congregatio respondit -- *Sacrum Concilium assistere Episcopo, necnon Constitutionem Gregorii XV. de exemptorum privilegiis, ideo exequændum*, ut *lib.*19. *Decret. pag.*296. *Sess.7. cap.8. de ref.*

Cum vero Abbas de hujusmodi Decreto edoctus affirmaverit curam animarum minime exerceri iu ea Ecclesia, Episcopus anno 1654. edidit hoc Decretum -- „ Non esse visitandam dictam Abbatiam pro cura „ Animarum, nisi in casu, quod rursus deputaretur Curatus, & eri- „ geretur Fons Baptismalis, & exerceretur in ea cura animarum non „ inservientium Monasterio -- . „ Atque hinc consueverunt incolæ sese gerere, tamquam subjectos quoad Parochialia munia Archipresbytero Serræ Capriolæ.

At cum recenter compertum habuerit Episcopus conferri in ea Ecclesia S. Agathæ Baptismum, aliaque Sacramenta, supplex postulavit proponi Dubium.

An liceat Episcopo Larinen visitare Ecclesiam S. Agathæ Insulæ Tremitarum quoad Sacramenta, & Sacramentalia, itaut sit standum, vel recedendum a decisis die 20. Decembris 1653. in casu &c.

Dilata, & interim Canonici Regulares abstineant ab exercitio Curæ Animarum in Ecclesia S. Agathæ.

VELITERNA QUARTÆ FUNERALIS. Pluries actum fuit de hac Causa, nimirum die 26. Januarii, & 30. Augusti 1732., ac 2. Maii proxime præteriti. Ut vero tandem prodeat resolutio hucusque suspensa, iterum hodie decidendum proponitur. *Sess.25. c.13. de Ref.*

An Quarta funeralis debeatur in sola quarta parte, seupotius in medietate in casu &c.

Dilata ad secundam.

APTEN. INDULTI. Honoratus d' Estienne de Caussegros, Dynasta Oppidi de Lioux, multis ab hinc annis a Calviniano errore ad Catholicam Religionem revocatus (cum Parochialis Ecclesia in eodem Oppido sita non parum distet ab aliis locis ejusdem suæ Ditionis, atque etiam ab ædibus, in quibus ille sedem habet, nec facilis sit ob itineris asperitatem aditus ad eamdem Parochialem Ecclesiam) Sacellum construxit domicilio suo proximum, im quo res divina fieri *Sess.22. Dec. de observ. & evit. in celeb. Miss.*

diebus festis posset. Sed cum tenues ei copiæ sint, ac propterea nequeat censum constituere congruentem substentationi Sacerdotis ibidem sacrificaturi, impetravit, tam a Prædecessore, quam ab hodierno Episcopo, tribui Parocho memorati Oppidi de Lioux facultatem celebrandi omnibus diebus fest s binas Missas, alteram in Parochiali Ecclesia, & alteram in prædicto Sacello, quod alio in loco suæ itidem ditioni subjecto existit, ut Ecclesiasticæ Legi tam ipse Dynasta, ejusque Familia, quam cæteri Incolæ satisfacere possent. Nunc tamen idipsum per Pontificium Diploma sibi indulgeri rogat, & hac de re Sanctitas Sua hanc Sacram Congregationem consuluit.

Missam bis eadem die, si id postulet necessitas, celebrari ab eodem Sacerdote posse habetur *in Can. Sufficit. de consecr. dist.*1., *& in cap. Consuluisti de celebr. Miss.* Itaque, si ob Sacerdotum penuriam unus præficiatur duabus Parochiis, ita inter se dissitis, ut grex unius Parochiæ commode nequeat Ecclesiam alterius adire, ibique Sacrificio Missæ interesse, Parochum posse eadem die in utraque Ecclesia, Episcopo id permittente, & approbante, sacrificare tradunt *Gonzal. in d. cap. Consuluisti num.*2. *Engel. eodem tit.*41. *num.*3. *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. tom.*1. *quæst.*386., *Barbos. ad Concil. sess.*22. *c.*8. *num.*27. *de Sacrific. Miss. Fragos. de regim. Christian. Reipub. l.*10. *disput.*21. §.7. *num.*6. *versic. dixi circa med. tom.*2. *Bellet. disquis. Cleric. part.*2. §.29. *num.*3. *Nicol. lucubr. Jur. tom.*2. *lib.*3. *tit.*41. *sub num.*2. *Pax Jordan. tom.*1. *elucubr. lib.*4. *tit.*1. *num.*79. *Card. de Lugo de Eucharist. disput.*20. *sect.*1. *num.*46.

Extant ad hanc rem aliqua Decreta, quæ hic exscribi non erit inutile. Cum delatum olim fuisset ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, Episcopum Gerundensem consuevisse potestatem aliquibus Sacerdotibus facere bis sacris operandi eadem die, testatur *Fagnan. in cap. In ordinando de Simon. num.*37. rescriptum fuisse die 15. Octobris 1588. his verbis -- ,, Super licentiis bis celebrandi,
,, ac pecuniis, quæ pro illarum expeditione, ut asseritur, solvuntur,
,, miratur Sacra Congregatio agi de his licentiis concedendis, nam id
,, nonnisi ex magna necessitate fieri debet, & magna cautela, ut puta
,, in locis, ubi perpaucissimi sint Sacerdotes, vel adsint impedimenta
,, adversariorum Fidei, vel quid simile, quæ cessant in eo loco, ubi
,, vix evenire possint alii casus a jure permissi; nec concedi potest hæc
,, licentia ab Episcopo generaliter, quasi privilegium alicujus Sa-
,, cerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari necessitatis causa ab
,, Episcopo examinanda, & si quando concedi contingat, gratis
,, prorsus, etiam quoad mercedem Notarii, concedatur.

Hæc quoque Sacra Congregatio die 7. Februarii 1602. monuit Episcopum Vicensem, ne ullam licentiam bis eadem die celebrandi Missam ullo modo concederet, ut testatur idem *Fugnan. loco proxime cit. num.*33.

Sub annum vero 1638. Sacra Congregatio de Propaganda Fide edidit pro Vallachis hoc Decretum -- ,, Referente D. Card. Cajetano in-
,, stantiam Episcopi Tragariensis pro facultate impertiendi licentiam
,, uni ex suis Sacerdotibus, ut possit bis in die celebrare in Villis suæ
,, Diœcesis Turcarum tyrannidi subjectis, diebus, quibus idem
,, Episcopus pro salute animarum id expedire judicabit, Sac. Con-
,, gregatio censuit, si Sanctissimo placuerit, petitioni Oratoris esse
,, annuendum cum clausulis, quæ solent apponi licentiis, quæ pro
,, Hel-

,, Helvetia expediuntur -- ,, , ut videre est *apud Pax Jordan. lucubr. lib.4. tit.1. de Sacrif. Miss. num.82. tom.1.*, & *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst.386. sub num.9. tom.1.*

Præterea cum die prima Septembris 1657. exposita fuisset hæc consultatio --,, An Episcopus absque Apostolico Indulto possit bis in die Sa-
,, crificium offerre ex causa, quæ supponitur, ut infra, nempe cum
,, in Civitate, quam dicunt dell' Assunta in Provincia Paraquarien-
,, si, pars magna Nobilium domi se contineat, quod apparatu ve-
,, stium decenti careat, ideo, ut nobiles Mulieres, ac Viri è Domi-
,, bus ad Templa educerentur, opus fuit Missam ante solis ortum ce-
,, lebrari: Sed non reperto Sacerdote, qui absque stipendio munus
,, hoc subire vellet; Episcopus ipse Missam ante lucanam Nobilium
,, gratia, aliam vero paulo ante meridiem pauperum gratia celebra-
,, re sibi licuisse prætendit -- ,, hæc Sacra Congregatio respondit -- *In casu proposito non posse*, ut *in lib.21. Decr. pag.56.*

Denique *in Aurien. Vicarii Curati* cum unus Vicarius præesset duabus Ecclesiis Parochialibus Monasterio unitis, proposito hoc secundo Dubio -- *An teneatur Episcopus Aurien. concedere prædicto Vicario licentiam celebrandi duas Missas in quolibet die festo, unam scilicet in Parochiali de Qualedro, & alteram in Parochiali de Vilela -- die* 4. *Maii* 1715. rescriptum fuit -- *Negative* -- Sed simul Sacra Congregatio per modum provisionis deputari jussit duos Presbyteros, assignato eis congruo stipendio ex redditibus utriusque Ecclesiæ Parochialis, ut *in lib.65. Decret. pag.* 194. & 214.

Illud vero in casu, de quo nunc agitur, videtur considerandum, minime exponi, quod difficile sit in promptu habere alium Sacerdotem, qui rem sacram faciat diebus festis in publico Sacello a Dynasta constructo, sed quod ipse non adeo a re familiari paratus est, ut peculiarem Sacerdotem, qui ibi cœlestem hostiam immolet, constituere queat. Itaque videndum erit, an potius conveniat, ut etiam Incolæ, in quos redundat quoque commodum audiendi Missam in eo Sacello, aliquid conferre debeant ad stipendium Sacerdoti assignandum. Quibus omnibus perpensis, partes EE. VV. erunt respondere.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti in casu &c.

Dilata, & adhibeantur diligentiæ juxta mentem; nec non scribatur Episcopo juxta instructionem.

TRICARICEN. MATRIMONII. Contigit pluries quæstionem de Matrimonii validitate institui, etiam post obitum Conjugum, eo scilicet consilio, un inde pateat, an proles sit legitima, adeoque idonea ad obtinendam Parentum hæreditatem, vel ad assequendas Primogenituras, & Fideicommissa a majoribus instituta, ut apud *Rot. decis.214. par.10. rec. decis.82. coram Ubago, decis.667. 683. & 969. coram Emer. Jun.* & apud hanc Sacram Congregationem *in Melchinien. Matrimonii, & legitimitatis prolis 25. Septembris* 1728. & 28. *Januarii* 1730. *Sess.24. c.1. de Ref. Matr.*

Hanc itaque ob causam præsens controversia agitatur inter Magdalenam Mormile Pignattellam, Principem Montis Rotundi, & Michaelem Angelum, Nicolaum, ac Antonium filios Francisci Mormile è Ducibus Carinarii jam pridem demortui, de quibus dubitatur, an legitimi sint.

Species facti hæc est. Memoratus Franciscus irretitus amore Joannæ de Roberto, etsi humili loco natæ, ex qua duos e prædictis filiis jam susceperat, Matrimonium, denunciationibus non præmissis cum ea iniit die 25. Novembris 1715. in Oppido S. Mauri coram duobus Testibus, & Januario Aquaviva Presbytero, non quidem Parocho, sed cui paucis ante diebus Parochus loci tribuerat per chirographum facultatem generalem conciliandi nuptias contrahendas inter quoscumque e suo grege. Syngrapham de eo matrimonio coram se gesto ex potestate sibi facta a Parocho exaravit ipse Januarius Aquaviva die 10. Octobris 1716.

Sub annum 1718. ipsis Conjugibus id postulantibus, & re prius accurate explorata, Episcopus Tricaricensis (qui jamdiu lucis usuram amisit) Decretum edidit, quo declaravit Matrimonium fuisse validum, & a Parocho referendum in librum ad id destinatum. Paruit Parochus, & Matrimonium his verbis tunc descripsit -- *Anno Domini* 1715. *die* 25. *Novembris per D. Januarium Aquavivam Presbyterum hujus Ecclesiæ, prævia nostra licentia, & permissione fuerant conjuncti in Matrimonium per verba de præsenti vis, & volo, Illustrissimus D. Franciscus Mormile ex Ducibus Carinarii, & D. Joanna de Robertis* --, cujus quidem ascriptionis authenticum documentum tradidit idem Parochus anno 1726. filiis Francisci Mormile.

Quin etiam dedit aliud documentum depromptum ex libro regeneratorum sacro Baptismate, in quo erat memoriæ proditum, fuisse ab ipsomet Parocho salutaribus aquis imbutum anno 1718. Antonium alterum *Filium Francisci Mormile, & Joannæ de Robertis Conjugum*.

Anno autem 1728. inter Ducem Michaelem Mormile prædicti Francisci Fratrem, & filios ejusdem Francisci inita fuit transactio, qua Michael ratum habuit Decretum Episcopi, qui Matrimonium pronunciaverat rite contractum, & filiis Francisci, a quibus renunciatum ibidem fuit juri cujuscumque successionis, annuos ducatos nongentos se soluturum promisit, quousque superstites forent.

At instante Magdalena Mormile Pignattella prædicti Francisci Sorore, quæ Matrimonii validitatem adhuc impugnat, rite interrogati jussu Sac. Congregationis nuper fuerunt Vincentius Lauria, qui est ille ipse Parochus, cujus mentio facta superius est, & Januarius Aquaviva, qui Ecclesiastico ritu interfuit Matrimonio inter Franciscum, & Joannam inito.

Parochus, interposita jurisjurandi religione, affirmavit se importunis Francisci Mormile precibus impulsum assensisse quidem de scripto, ut Sacerdos Januarius Aquaviva adesset pro se ad omnia Matrimonia ineunda; sed tamen eodem die, & priusquam Franciscus Mormile nuberet Joannæ, se denunciasse eidem Januario Aquavivæ revocationem illius facultatis.

Præterea idem Parochus dixit se triennio post recensuisse Matrimonium in Parochiali Codice, quia sic ei jussit Episcopus. Quid vero præcesserit jussionem Episcopi, sic narrat idem Parochus -- ,, Monsignor ,, Vescovo m' interrogò solamente, se da me fosse stata data licenza ,, in scriptis al Sacerdote Aquaviva di poter assistere al matrimonio ,, de' Signori Mormile, e Roberti: Io gli replicai di sì, senza però ,, essermi fatta altra dimanda dal sudetto Vescovo, se tal licenza fosse stata prima del Matrimonio rivocata da me, che certo gli averei ,, detto la verità di averla rivocata, come già seguì.

Deni-

Denique etiam subjunxit, se anno 1718. inaugurasse sacro Baptismo Antonium; sed tunc in libro Baptizatorum eum appellasse Filium Francisci Mormile, & Joannæ de Robertis, omissa voce *Conjugum*; hanc tamen vocem addidisse in eodem libro anno 1726., propterea quod sic ei mandatum fuit ab Episcopali Curia.

Presbyter vero Januarius Aquaviva, qui Franciscum, & Joannam pro Parocho in Matrimonium conjunxit, confessus fuit facultatem sibi a Parocho (ut dictum est) traditam, vere fuisse ab eo revocatam, & hanc ipsam revocationem fuisse a se patefactam Francisco Mormile, antequam Matrimonio assisteret; sed se tuetur excusatione metus, quem de Francisco conceperat. Et quoniam Episcopus sub annum 1718. ab eo etiam de re gesta instructus esse voluerat, hæc subjicit, ut se in hoc etiam purget -- „ Monsignor Vescovo mi domandò, se avevo assistito al Matrimonio trà D. Francesco Mormile, e Giovanna „ di Roberto, ed io li risposi di sì; ed avendomi soggiunto, se era „ vero, che l' Arciprete Lauria mi aveva fatto la licenza in scriptis „ di assistere a Matrimonii, io risposi, che era verissimo; ma perchè „ non seguitò a domandarmi, se detta licenza mi era stata rivocata „ prima di effettuarsi il Matrimonio, perciò io non li feci altra risposta; che se mi avesse fatta tal domanda, certamente gli averei risposto di essermi stata rivocata.

Porro quod Parochus re integra facultatem illam revocaverit, ipsique revocationi coram annuerit Sacerdos Januarius Aquaviva, testatus quoque apud Acta fuit Archipresbyter Accepturæ, qui aderat in ipsa revocatione.

Hæc est summa testimonii, quod hac de re dixerunt tres, quos memoravimus, Viri, ut habetur in Processu ad Sac. Congregationem misso.

Sed, & alia occurrunt exponenda. Ipsa enim Joanna de Robertis (quæ adhuc superstes est) anno 1716. (videlicet anno insequente Matrimonium initum cum Francisco Mormile) postulavit, obtinuitque ab illo ipso Vincentio Lauria Parocho Oppidi S. Mauri testificationem de ejus statu libero, deindeque die 2. Junii ejusdem anni 1716. in Civitate Neapolitana alteras contraxit nuptias cum Francisco Pisa coram Parocho, & Testibus, pauloque post ab eo discessit, rediitque ad Franciscum Mormile, cum quo vixit, quousque vitam egit ipse Franciscus, ab humanis rebus ereptus anno 1726. Interea vero, anno nempe 1719., memoratus Franciscus Pisa aliud contraxit Matrimonium cum Magdalena Stella in eadem Civitate Neapolitana, & anno insequente occubuit.

Momentum itaque præsentis Causæ in hoc præcipue videtur esse positum, ut inspiciatur, an satis certo constet facultatem a Parocho impertitam alteri Presbytero, coram quo Matrimonium initum fuit, revocatam cum opportuna denunciatione fuisse. Ubi enim re integra fuerit adempita facultas, & denunciata ejus revocatio, plane sequitur tolli de medio facultatem ipsam, & Matrimonium postea initum adstante, tamquam in Parochi locum subrogato, eo, qui tunc non erat tali potestate præditus, nullitati obnoxium esse, ut docent *Sanchez de Matrim. lib.3. disput.36. num.7., & seqq. Pax Jordan. lucubrat. lib.3. tit.7. de Matrim. num.91., Barbos. de Offic., & potest. Episc. par.2. alleg.32. num.131., de offic., & potest. Paroc. par.2. cap.21. num.73.*

Erit

Erit etiam ponderandum, an filiis Francisci, tam ante, quam post matrimonium ortis, ad assequenda legitimorum jura satis esse possit, quod ambo Conjuges, vel saltem unus eorum in bona fide versatus fuerit, ignota scilicet revocatione facultatis a Parocho traditæ Sacerdoti Januario Aquavivæ. Proles quippe redditur legitima, etiam ex vi Matrimonii, quod licet vere non sit validum, tale nihilominus existimetur ob ignorationem vitii illud inficientis, bona fide concepta, ut ad normam *cap. cum inter cap. Pervenit*, *& cap. ex tenor. Qui filii sint legit.* declaravit, hæc Sac. Congregatio *in Tornacen. legitimitatis* 24. *Maii* 1681. *lib.*31. *Decret. pag.*400., ut in recentius in dicta *Mechlinien. Matrimonii*, *& legitimitatis prolis*, ut in *lib.*3. *Decret*, *pag.*491., *& lib.*80. *pag.*23.

Sed dubitatione non vacat, num ad legitimationem tribuendam proli ante nuptias susceptæ satis sit subsequens Matrimonium, ex conjugum opinione, licet a vero aberrante, validum; an autem ea vis ex præscripto Juris Canonici insit tantum Matrimonio vere valido, riteque contracto. Priorem sententiam amplexi sunt *Butr. in cap. Tanta. Qui filii sint legit. Canisius ibidem num.*2. *Gonzal. in cap. cum inter* 2. *num.*6. *eod. tit. Pirbing. in Jus Canonic. lib.*4. *tit.*17. *num.*36. *Smalzgrub. in eod. tit. num.*57. *Pont. de Matrim. lib.*11. *cap.*1. *n.*13. *Sanch. de Matrim. lib.*3. *disput.*42. *num.*2. *Olea de ceff. Jur. tit.*4. *qu.*8. *num.*14. *Garz. de Benef. par.*7. *cap.*2. *n.*30. *Molin. de Primog. lib.*3. *cap.*1. *num.*11. Alteram vero sectantur, & melioribus rationibus innixam putant *Covarru. de Sponsal. cap.*8. §.2. *num.*20. *Zoesius in lib.*4. *Decretal. tit.*17. *num.*13. *Engel. ibid. num.*9. *versic. per Matrimonium. Reiffenstuel. ibid.* §.2. *num.*36. *Facchineus lib.*3. *controv. cap.*55. *Molin. de Just., & Iur. tract.*2. *disp.*172. *num.*11.

Cæterum, si credendum sit testimonio ipsius Sacerdotis Januarii Aquavivæ, excluditur bona fides quo ad Franciscum Mormile, quia nota ei fuit facultatis revocatio. Mulierem tamen non constat id resciviffe.

Definiendum itaque erit.

An Matrimonium contractum inter qu. Franciscum Mormile, & Ioannam de Roberto fuerit nullum in casu &c.

Negative, & amplius.

Die Sabbathi 18. Julii 1733.



Sess.6. c.4. Sess.24. c.16. & Sess.25. c.6. de ref.

GERUNDEN. JURISDICTIONIS. Quæ ad hanc Causam pertinent, fuse exposita fuerunt in Folio Congregationis habitæ die 13. superioris Mensis, & quibus iterum perpensis, partes Eminentiarum VV. erunt decernere.

An quo ad III., & IV. Dubium sit standum, vel recedendum a Decisis die 12. *Februarii* 1729. *in casu &c.*

Dilata, & ad mentem.

AQUILANA CAPPELLANIÆ. Lex, quam Bernardinus de Ludovicis adjecit fundation Cappellaniæ (ut scilicet ejus Rector inhabitare sempe debeat domum, quam idcirco Fundator ipse declaravit se reliquisse, idonea etiam supellectili instructam in Villa *Termini*) locum dedit quæstioni an Antonius Cerasolus eamdem Cappellaniam retinere possit simul cum alio Beneficio Parochiali, quod ei necessitatem imponit alibi residendi. Patroni quippe ipsius Cappellaniæ contendebant judicium in hac Causa faciendum esse non ex iis Canonici Juris regulis, quæ attendi solent ad cognoscendum an beneficii natura talis per se sit, ut illud simul cum alio retineri patiatur; sed judicandi normam esse capiendam a voluntate Testatoris, qui ea conditione Cappellaniam fundari jussit, ut quisquis illam obtineret domicilium in ipsa patria sua habere deberet continuum. Sess. 7. c. 2. de Ref.

Itaque discussis die 16. Maii vertentis anni his binis Dubiis.

I. *An Beneficium, seu Cappellania, de qua agitur, habeat onus residentiæ, & quomodo.*

II. *An prædictum Beneficium sit incompatibile cum Parochiali in casu &c.*

S. Congregatio respondit -- *Ad I. Cappellanum teneri residere ad formam Testamenti. Ad II. provisum in primo.*

Nunc vero deliberandum proponitur.

An sit standum, vel recedendum à decisis.

In Decisis, & amplius.

SPOLETANA JURIS ASSISTENDI MATRIMONIIS. Quinque sunt Parochi in populoso Oppido Nursia. Parochiæ tamen non sunt peculiaribus finibus distinctæ, sed ex certis familiis, ibi sparsim domicilium habentibus, constituitur grex singulis Pastoribus subjectus. Refert vero Episcopus quod quamquam in reliqua Spoletana Diœcesi nuptias ecclesiastico ritu conciliare soleat Parochus Sponsæ; in Oppido tamen Nursino positum in more est, ut matrimonio intersit Parochus Sponsi. Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.

Hæc cum ita se habeant, orta est controversia inter Rectorem Matricis Ecclesiæ S. Mariæ, & Parochum Ecclesiæ S. Benedicti, num quoties fæminæ è familiis huic Parochiali Ecclesiæ addictis nubant Viris alienigenis, Matrimonium contrahi debeat coram Parocho Sponsæ, vel potius coram Rectore Ecclesiæ Matricis. Non impugnat quidem Parochus S. Benedicti, quod si agatur de exteris, qui Sedem jam posuerint in eo Oppido, Matrimonio ab eis ineundo intersit Parochus Ecclesiæ Matricis, quippe qui sit habendus tamquam Parochus incolarum, qui minime recenseantur inter familias addictas ipsi Parochiali Ecclesiæ S. Benedicti. Sed negat idem jus posse competere Rectori Ecclesiæ Matricis quo ad Matrimonia contrahenda ab advenis, sese ad Oppidum illud conferentibus eo tantum consilio, ut in conjuges sibi adjungant fæminas ibi degentes, deindeque statim cum eis revertantur in patriam. Inquit enim, Rectorem Ecclesiæ Matricis eo casu censeri non posse Parochum proprium, neque Sponsi, neque Sponsæ, idcoque Matrimonium contrahi oportere coram Parocho Ecclesiæ S. Benedicti, cui subsit Sponsa, ut satisfiat Tridentinæ sanctioni imperanti præsentiam Parochi ipsorum contrahentium.

Ad hoc suum jus asserendum Parochus S. Benedicti docet etiam pluries inita fuisse Matrimonia inter exteros, & fæminas in ipso Oppido habitan-

bitantes, nec coram Rectore Ecclesiæ Matricis, sed coram aliis Parochis, è quorum grege erant Sponsarum familiæ.

At contra Rector Ecclesiæ Matricis contendit priscum esse morem, ut coram illius Ecclesiæ Præside contrahantur Matrimonia inter fæminas Nursinas, ac Viros externos, qui etiam nullum antea domicilium habuerint in eodem Oppido, & ad hoc demonstrandum nonnulla profert documenta.

Pertinet igitur ad Eminentias VV. definire.

An Matrimonia ineunda in Oppido Nursiæ inter Sponsum forensem, & domicilium ibi non habentem, & Sponsam Nursinam celebrari debeant coram Parocho S. Benedicti tamquam proprio Parocho Sponsæ, seu potius coram Parocho Ecclesiæ Matricis S. Mariæ in casu &c.

Affirmative ad primam partem, & Negative ad secundam, & amplius.

Sess. 23. c. 8. de Ref.

PIENTINA, SEU LICINEN. ORDINATIONIS. Conquestus apud hanc Sac. Congregationem est Episcopus Pientinus, quod Clericum Laurentium Medicheschium, sibi, & originis, & domicilii jure subditum, sine suis Literis, aut dimissoriis, aut testimonialibus, ad omnes sacros Ordines evexit Episcopus Ilcinensis.

Iste de hac re interrogatus per litteras Sac. Congregationis, justam, idoneamque se dare excusationem putavit, & nihil a se factum fuisse contendit, quod aberraverit a præscripto Constitutionis Innocentii XII., quæ incipit: *Speculatores*. Inquit enim, Laurentium obtinuisse, antequam sacris Ordinibus initiaretur, Beneficium S. Michaelis Arcangeli in ipsa sua Diœcesi, proindeque sibi licuisse Clericum, qui ex vi hujusmodi Beneficii sibi subjectus erat, ad ejus titulum sacris Ordinibus inaugurare absque Literis dimissoriis Episcopi Pientini. Constat sane Laurentium illius Beneficii possessionem adiisse; sed impugnabat Episcopus Pientinus illud talis esse naturæ, annuique proventus, ut Innocentianæ legi satisfaceret.

Beneficii natura ea est, ut Patrono potestas competat amovendi Beneficiarium ob legitimam causam, atque etiam ubi Beneficiarius deinde, aut sufficienti patrimonio instructus reddatur, aut aliud adipiscatur Beneficium. Etenim anno 1705. Michael Galardus in Testamento jussit fundari Beneficium his verbis -- ,, Un Benefizio perpetuo da erigersi sotto il titolo di S. Michele Arcangelo, quale sia di natura ,, amovibile, ed ad nutum del Padrone infrascritto, con piena facoltà ,, di presentare il soggetto, e con causa legitima rimuoverlo, spe- ,, cialmente se non adempisse intieramente li pesi da imporsi, e colpa- ,, bilmente deteriorasse i beni di fondazione, senza liberarlo dalla re- ,, fezione; e perchè siano assistiti, e trattati da buon Padrone, voglio ,, sia sempre nominato un Sacerdote nativo, & abitante di detta Ter- ,, ra, precisamente il più povero, ed essendovi qualche povero Chie- ,, rico pur nativo, & abitante senza titolo Ecclesiastico, o patrimo- ,, niale, e più povero, e prossimo al Sacerdozio, gli si possa costi- ,, tuire in Patrimonio Ecclesiastico, & acquistato, che avesse suffi- ,, ciente altro Beneficio, o Patrimonio, allora resti in libertà il d. ,, mio Beneficio eretto --. Atque hunc in modum facta fuit erectio Beneficii auctoritate Episcopi interposita.

Constitutio autem Innocentiana, ubi agit de Beneficio ad licitam Ordinatio-

nationem necessario, his verbis concepta est - „ Licet vero Clericus
„ ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subjici dicatur
„ jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi Beneficium hujusmodi
„ situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus
„ regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi
„ Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit re
„ ditus, ut ad congruam vitæ substentationem, sive juxta taxam Sy-
„ nodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promo-
„ vendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, il
„ ludque ab Ordinando pacifice possideatur.

His positis, animadvertendum in primis videtur aliud esse inquirere an liceat Ordines conferre ad titulum Beneficii manualis, & amovibilis, propterea quod hujusmodi titulus non videatur legitimus ad effectum Ordinationis; aliud vero, an Episcopus, qui Ordines contulit Clerico possidenti in sua Diæcesi beneficium manuale, & amovibile, censeatur violasse canonicas leges prohibentes promoveri ad Ordines alienum subditum juxta *Text. in cap. Cum nullus de temp. ordinat. in 6.*, *& S. Conc. Trid. cap.8. sess.23. de ref.* Porro quo ad priorem distinctionis partem, communis est sententia non sufficere Beneficium manuale, vel temporalium; sed oportere, ut ordinatio fiat ad titulum Beneficii perpetui, ut tradunt *Garz. de benef. par.1.cap.2.n.83. & seqq. Paris. de resignat. benefic. lib.2. quæst.6. num.2., & seqq. Ventrigl. in prax. par.2. annot.42. §.1.num.2. Antonell. de regimin. Eccl. lib.2. cap.2. num.1. Vivian. de jurepatr. part.1. lib.1. cap.1. num.131.*, & rescripsit hæc Sac. Congregatio in *Tyburtina Cappellaniæ* 14. *Junii* 1710. *lib.60. Decret. pag.239.*

Verum quo ad alteram distinctionis partem, plures Doctores in ea sunt opinione, ut Beneficium, etiam manuale, & amovibile, satis sit ad hoc, ut Beneficiarius subjiciatur jurisdictioni Episcopi, in cujus Diæcesi illud existat, proindeque istiusmodi etiam Beneficium sufficiat quantum ad hoc, ut Episcopus dici possit Ordines contulisse non alieno, sed proprio subdito, dummodo cæteroquin Ordinatio fiat ad alium titulum legitimum, quia Beneficium Manuale, licet non sit per se idoneum pro titulo ordinationis, est tamen idoneum pro inducenda subjectione ad effectum suscipiendi Ordines, tamquam ab Episcopo proprio, ut explicant *Lap. in cap. cum nullus num.5. de temp. ord. in 6. Giminian. ibid. num.8. Fermosin. de Offic., & Sacr. Eccl. ad rubric. de tempor. ordinat. qu.6. num.3. & seqq. Antonell. de jur Cleric. lib.1. par.3. cap.32. num.5., & 6. Piring. in Decretal. lib.1. tit.11. sect.1. num.34. Smalzgrub. in eod. lib.1. tit.11. de temp. ordin. n.11. Garz. de Benef. par.2. cap.4. num.3. Pax Jordan. lucubr. tom.1. lib.3. tit.6. n.74. Diana par.7. tract.2. resol.19. juxta antiquam impressionem*. In id etiam conferente exemplo Beneficii tenuis, quod quamvis non suffragaretur pro titulo, suffragabatur tamen, antequam prodiret Bulla Innocentiana, pro subjectione ut scilicet, licite posset quis ordinari ab Episcopo, in cujus Diœcesi possideret tenue illud Beneficium, ut demonstrat *Fagnan. in cap.omnis num.98. de pænit. & remis. Campanil. diversor. jur. rubr.9. cap.8. n.12. Engel. in jus canonic.lib.1.tit.11. §.2.n.21. Pax Jordan. tom.1. lib.3. tit.6. num.74. Antonell. de jurib. Cleric. lib.1. par.3. cap.32. num.6. Panimol. tom.1. dec.14. annot.2. num.66. Lamperez. in explicat. Bullæ*, Speculatores; *par.40. a num.355. ad 366.*

Dissentiunt tamen alii, existimantes requiri Beneficium perpetuum ad hoc, ut quis constituatur subditus Episcopo, in cujus Diœcesi illud sit, etiam ad effectum ordinationis, ut videre est apud *Archidiac. in cap. cum nullus num.*1. *de temp. ord. in* 6. *Joan. And. ibid. num.*1. & 4. *Ancharan. sub num.*2. *Franc. n.*3. *Passerin. in d. cap. cum nullus q.*1. *art.*3. *num.*64. *Panimoll. dec.*14. *annot.*2. *n.*75. & *seqq.* & *dec.*139 *num.*41.

Sed fortasse, qui secundam hanc sententiam tradunt, id intelligunt de Beneficio manuali, quod non sit erectum auctoritate Ordinarii, adeo ut propriè dici nequeat Beneficium Ecclesiasticum: Etenim *Joan. And. Ancharan. Archid.* & *Franc.* proximè citati agunt de Clerico ad docendum conducto, assignatis ei fructibus unius Præbendæ tamdiu percipiendis, quamdiu Magistri officio fungeretur, ad normam *C. Quia nonnullis de Magist.* Itidemque in terminis Callaniæ manualis erectæ ex Ordinarii auctoritate in verum Beneficium Ecclesiasticum prodiisse videtur resolutio hujus S. Congregationis in *Vlyxbonen. Occidentalis* 26. *Junii* 1723. *lib.*73. *Decret. pag.*285., & 19. *Augusti* 1724. *lib.*74. *Decret. pag.*310.

Ex diverso enim, si Beneficium, cujus fundator adjecerit legem, ut ex causa legittima possit ejus Rector removeri, sit erectum approbante Episcopo, Beneficium hujusmodi veram habet naturam Beneficii Ecclesiastici, ut probant *Garz. de Benef. par.*1. *cap.*2. §.1. *n.*66. & *seqq. Lotter. de re benef. lib.*1. *quæst.*7. *num.*14. & *seqq. Corrad. in prax. Benef. lib.*1. *cap.*6. *num.*280. *Amostaz. de causis piis lib.*3. *cap.*1. *num.*10. & 11. Quare si tale Beneficium propriè habeat naturam Beneficii Ecclesiastici, videretur etiam inferri posse, quod ejus possessor, donec illud retinet, vere efficiatur subditus Episcopo, in in cujus Diœcesi Beneficium ipsum existit, quamvis aliquando desinere possit fortasse hujusmodi subjectio, si deinceps eveniat casus remotionis, vel dimissionis Beneficii: Id quod tamen non tolleret verificationem subjectionis relatè ad tempus susceptorum Ordinum.

Præterea in præsenti facti specie videtur etiam ponderandum, an aliquid peculiaris momenti habeat, tum quod facultas removendi Beneficiarium, non est liberè, & absolute posita in voluntate Patroni, sed coercetur a conditione causæ legitimæ, tum etiam quod in secunda dispositionis parte Testator permisit Clericum inopem posse Sacerdotio initiari ad titulum hujus beneficii. Venire autem posse videtur in dubitationem, num ad hunc quoque casum referatur facultas removendi, an vero in isto casu talis facultas non censeatur tributa Patrono, sed solum adjecta alia provisio: *acquistato, che avesse altro sufficiente Beneficio, o Patrimonio, allora resti in libertà il d. mio Beneficio*: Enim vero si huic interpretationi locus esse possit, cessare videretur ratio ob quam non licet ad sacros Ordine aliquem promovere ad titulum Beneficii manualis, nimirum ne contingat, facta remotione, Sacerdotem carere necessariis vitæ subsidiis. De quo tamen timendum non est, ubi facultas removendi sit affixa conditioni, quatenus, vel ex alio Beneficio, vel ex patrimonio satis consultum reddatur substentationi ipsius Presbyteri.

Itaque Beneficium, etiam collatum in perpetuum titulum ultrò resignari, ejusque resignationi admitti posse, permittit Sac. Concilium Tridentinum *cap.*2. *sess.*21. *de ref.* dummodo ille, qui ad ejus titulum fuerat ordinatus, aliis sit instructus redditibus ad honestam vitam

oppor-

opportunis. Cumque in *Civitatis Castelli* 18. *Martii* 1719. petita fuisset facultas, ut Clericus Hieronymus de Leonardis posset Sacris Ordinibus initiari ad titulum Cappellaniæ amovibilis, promittentibus Patronis se ea facultate non usuros, Sacra Congregatio his verbis rescripsit -- *Pro gratia, attento consensu Patronorum, ita tamen, ut si aliunde Orator ipse sufficienter provideatur, Cappellania ad suam amovibilitatis naturam redeat, & rediisse intelligatur* --, *ut in lib.*69. *Decret.pag.*131.

Jam vero restat quoque videndum, an Beneficium, ad cujus titulum Laurentius fuit promotus, tantum annui redditus habeat, ut satis sit ad congruam substentationem, quæ in Diœcesi Ilciensi præscribi solet in summa scutorum viginti quinque monetæ Florentinæ.

Ex testimonio duorum Sacerdotum, quibus Episcopus Ilcinensis veritatem indagandam commisit, habetur, ex fructibus bonorum, quibus primitiva dos Beneficii fuit constituta, percipi posse annua scuta sex, & viginti. Onus vero quinquaginta circiter Missarum addictum Beneficio est. Sed an Missarum onera sint detrahenda ex fructuum æstimatione, ad effectum, de quo hic agitur, *relinquendum est arbitrio, & conscientiæ Ordinariorum*, rescripsit Sac. Congregatio in *Ariminen.* 17. *Julii* 1723., *ut in lib.*73. *Decret.pag.*333., & videre etiam est apud *Ursayam Discept.*4.*Tom.*5. *par.*1. qui de ea quæstione tunc scripsit jussu hujus Sac. Congregationis.

Nuper vero etiam addidit Episcopus Ilcinensis, quod anno 1730. Joannes Franciscus Salius Plebanus Parochialis Ecclesiæ Cinigiani donavit eidem Beneficio S. Michaelis Arcangeli quædam alia bona, quæ in annuo fructu reddunt scuta duodeviginti, juxta documentum transmissum: affirmavitque idem Episcopus eam donationem jam obtinuisse effectum, & proventus bonorum priscæ doti addictorum re ipsa percipi a Laurentio.

Denique subjunxit Episcopus Ilcinensis alios itidem Clericos fuisse a prædecessoribus Episcopis inauguratos sacris Ordinibus ad titulum ipsius Beneficii, de quo agitur, ac nominatim Josephum Mariam Pisarum, qui Beneficium illud dimisit, quando assecutus fuit aliud Beneficium Parochiale in Diœcesi Crassetana.

Hæc quo ad Ordines Laurentio collatos sine Litteris dimissoriis Episcopi Pientini. Quantum vero attinet ad Litteras testimoniales, Constitutio Innocentii XII. ita statuit -- ,, Præterea Clericum, qui legitime ,, jam a proprio Episcopo ad eamdem Clericalem Tonsuram, seu ,, etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii in illius Diœcesi ,, obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem ,, susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi, tam originis, ,, quam domicilii, super suis natalibus, ætate, moribus, & vita, sibi ,, concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ ,, conservandas exhibuerit.

Litteræ autem, quas anno 1730. Laurentius Meldichefchius impetravit ab Episcopo Pientino, ita se habent -- ,, Testamur Clericum Laurentium Meldichefchi nostræ Diœcesis in minoribus Ordinibus constitutum, nullo excommunicationis, irregularitatis, aut cujusvis alterius canonici impedimenti vinculo, saltem quod sciamus, innodatum existere, neque ullo crimine postulatum, sed esse bonis, & ,, hone-

„ honestis moribus præditum , ac talem , qualem in sortem Domini
„ vocatos decet .

Negat igitur Episcopus Pientinus has Litteras testimoniales fuisse traditas Laurentio ea mente, ut iis uti posset ad Sacros Ordines suscipiendos ab alio Episcopo , sed eas tales inquit fuisse , quales generatim concedi solent quibuscumque Clericis è Diœcesi discedentibus ;aliam vero peculiarem esse formulam , qua concepi ab Episcopis solent Literæ testimoniales pro evectione ad sacros Ordines , ut apud *Monacell. Formul. for. Eccles. tom.*1. *tit.*4. *formul.*9. *pag.*82. , *& apud Lamprez in commentario Bullæ* Speculatores *pag.*39. *num.*344.

At Episcopus Ilcinensis putat per eas litteras satisfactum fuisse præscripto Bullæ Innocentianæ. Et quamvis non haberetur in iis testimonium de legitimis natalibus Laurentii (id quod etiam requirit memorata Bulla), respondet tamen hoc fuisse pro certo habendum , cum ageretur de Clerico , quem ex ipsis literis constabat jam fuisse ab Episcopo Pientino ad minores Ordines promotum .

Aliquanto fusius oportuit hæc omnia exponi a Secretario, tum quia quæstio habet aliquid singulare ; tum etiam quia nihil aliud de scripto circumferetur , ex quo EE. VV. statum controversiæ deprehændere possint . Ad clariorem vero ejus decisionem distincta hæc dubia proponuntur .

I. *An Clericus Laurentius Meldicheschius fuerit licite ordinatus ad titulum Beneficii , de quo agitur .*

II. *An prædictus Laurentius licite fuerit ad sacros Ordines promotus ab Episcopo Ilcinen. , in cujus Diœcesi Beneficium illud existit , sine Literis dimissoriis Episcopi Pientini .*

III. *An Literæ testimoniales , quas idem Laurentius impetravit ab Episcopo Pientino , fuerint sufficientes ad licitam Ordinationem .*

IV. *An , & qui Ordines contulit , & qui eos suscepit , inciderint in pœnas statutas a Sacro Concilio Tridentino , & a Bulla* -- Speculatores -- *in casu &c.*

Ad primum Affirmative . Ad secundum Affirmative . Ad tertium Affirmative in casu , de quo agitur . Ad quartum Negative .

FIRMANA CAPPELLANIÆ . Leonardus Justinianus , cujus natale solum fuit Castrum Montis Rinaldi in Diœcesi Firmana , dum viveret , adscriptus Sodalitio Sanctissimi Rosarii, ad quod spectat Ecclesia prope Castrum illud sita , ardebat pia cupiditate extruendi in eadem Ecclesia Sacellum , adeoque a Sodalibus locum novo Sacello ædificando idoneum impetravit . Cum tamen , antequam lucis usuram amitteret , propositum suum ad effectum perducere nequiverit, in Testamento, quod fecit anno 1710. fidei hæredum commisit , ut Sacellum in ea ipsa Ecclesia extruerent, Sanctis Patronis suis dedicandum , ibique etiam quatuor Missas singulis hebdomadis ad sui ipsius , suorumque consanguineorum suffragationem celebrari , necnon anniversaria sui obitus die solemni ritu Officium perpetuo peragi voluit .

Eodem anno , cum excessisset e vita Testator , hæredes nominarunt Rectorem Cappellaniæ instituendæ Albertum de Marcantoniis . Altare etiam , ut Testator jusserat , constructum fuit, non tamen sacris ritibus initiatum . Cumque interea procrastinaretur erectio Cappellaniæ,

hæc

hæc Sac. Congregatio anno 1724. instante eo, qui Cappellanus fuerat designatus, injunxit Archiepiscopo Firmano, ut hæredes compelleret ad instituendam Cappellaniam, & assignandam dotem juxta Testatoris voluntatem.

At Magdalena, & Elisabetha filiæ memorati Testatoris nuptæ viris domicilium habentibus in Diœcesi Sabinensi anno 1727. supplices postularunt, ut sibi liceret, commutata Testatoris lege, Cappellaniam fundare in Castro Podii Donadei, ejusdem Sabinensis Diœcesis. Auditus tunc fuit Archiepiscopus Firmanus, qui retulit Ecclesiam illam Sanctissimi Rosarii, in qua Testator præceperat ædificari Sacellum, & Cappellaniam institui, peranguſtam esse, tria Altaria in ea fuisse erecta, & binas saltem Missas quotidie ibidem celebrari consuevisse ex aliorum Fundatorum institutione. Itaque inter summaria supplicum libellorum die 2. Augusti ejusdem anni 1727. ita rescriptum fuit -- *Pro translatione quatuor Missarum hebdomadariarum ad novam Cappellam in Podio Donadei, super cujus erectione conficiatur Instrumentum in Cancellaria Episcopali, firmo tamen remanente Anniversario in Ecclesia Rosarii Castri Montis Rainaldi*.

Huic Rescripto deinde reclamatum fuit nomine Populi Castri Montis Rainaldi, itemque Ansuini Justiniani fratris Testatoris, ac etiam Alberti de Marcantoniis Cappellani, ut dictum est, designati. Dolent enim omnes eripi a Testatoris Patria, & ab Ecclesia, cui ille peculiari pietatis studio erat addictus, Cappellaniam, ut ea in alteram Ecclesiam, quin etiam in alienam Diœcesim transferatur. Accedit etiam magis dolendum, quod cum tres supra viginti jam abierint anni, postquam Testator occubuit, nondum tamen ullo in loco facta fuit erectio, & fundatio Cappellaniæ.

Ceterum non facilis esse solet hæc Sac. Congregatio ad ea utanda, quæ a Testatoribus fuerunt præstituta, nisi id postulet justa, & necessaria causa. Itaque plures similem Cappellaniæ translationem ad alteram Ecclesiam petentes, repulsam passi fuerunt, ac præsertim in *Æsina Legatorum* 21. *Augusti* 1706. *lib.*56. *Decret. pag.*278., & *in Ariminen. Commutationis Missæ* 14. *Martii*, & 13. *Junii* 1711. *lib.*61. *pag.*113., & 363. & *in Mediolanen. seu Ferentina Cappellaniæ* 23. *Februarii* 1715. *lib.*65. *Decret. pag.*80., & *in Casalen. Commutationis voluntatis* 24. *Septembris* 1718. *lib.*68. *Decret. pag.*399., & *in Neapolitana Cappellaniarum* 16. *Junii*, & 17. *Novembris* 1731. *lib.*81. *Decret. pag.*309. & 551., & *in Romana Translationis oneris Missarum* 28. *Julii ejusdem anni pag.*381., & *in Ariminen. Translationis Cappellaniæ* 20. *Decembris*, 1732. *lib.*82. *Decret. pag.*600., & denique in *Neapolitana Commutationis voluntatis* 7. *Februarii proxime præteriti*.

Dignentur igitur Eminentiæ VV. rescribere.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 2. *Augusti* 1727.

Recedendum a decisis, & hæredes cogantur juris remediis ad adimplendam piam dispositionem Defuncti, necnon ad reddendam rationem de fructibus perceptis.

CATANIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Anno 1712. in Testamenti tabulis cavit Nicolaus Josephus Lucca, ut suæ ædes converterentur in Cœnobium, ubi perpetuum domicilium habe- *Seſs.25.c.8. de ref.*

habere deberent Virgines parentibus orbatæ, & maxime inopes, quas voluit Religiosam amplecti disciplinam juxta Regulam Eremitarum Sancti Augustini.

Voti compos fieri non potuit Testator, nam post ejus obitum ædes illas jure obtinuit alter Civis; reliqua vero bona, suborta lite, adeo magnum detrimentum acceperunt, ut eorum proventus fundationi novi Cœnobii omnino impares essent.

Itaque cum in Congregatione habita die 7. Junii 1727. cogitatum fuerit de commutanda Testatoris voluntate in aliud pium opus proxime accedens ad illud, ad quod animum intenderat Testator, per aggregationem scilicet bonorum ad alterum Monasterium, quemadmodum servatum fuit *in Brundusina Commutationis legati* 3. *Martii* 1714., & recentius *in alia Catanien.* 5. *Aprilis* 1732. *lib.*82. *Decret.p.*182, oportere tamen visum fuit, ut de pluribus ad deliberationem capiendam opportunis instructa redderetur Sac. Congregatio ab Episcopo.

Causa iterum proposita die 17. Decembris 1729. cum in dubitationem venerit, num Monasterio Sanctæ Mariæ Gratiarum Ordinis Sanctæ Claræ, an vero alteri Monasterio Sancti Michaelis Ordinis Sancti Benedicti assignari hæreditatem memorati Nicolai Josephi magis expediret, Sac. Congregatio censuit rem totam deferendam esse ad Eminentissimum Picum, ut indagato ejus statu, & conditionibus quibusque perspectis, deinde eidem Sac. Congregationi sententiam suam exponeret.

Expectationi respondit eventus. Ea enim, qua pollet doctrina, & sapientia, Eminentissimus Picus suffragium de scripto edidit, in quo omnia, & quæ ad seriem facti spectant, & quæ juris quæstionem respicere possunt, diligentissime enucleata habentur. Summa autem ejusdem suffragii, quod cum Eminentiis VV. communicabitur, est, hæreditatem illam, adhibita Pontificis auctoritate, transferendam esse in Monasterium S. Michaelis, quod in ea ipsa existit Civitate Enna, ubi novum Sanctimonialium cœnobium fundari optaverat Testator, quotque ob inopiam maxime indiget hac vectigalium accessione. Plura etiam injungenda proponit, tum ad conservandam pii largitoris memoriam; tum ad obsecundandum ejus voluntati, quantum commode fieri possit; tum denique ad statuendum numerum sacrarum Virginum, quæ deinceps in illud cœnobium sint cooptandæ. Ex diverso autem minime annuendum existimat Eminentia sua precibus Sanctimonialium alterius Monasterii Sanctæ Mariæ Gratiarum, quæ contendunt sibi potius tribuendum esse commodum memoratæ hæreditatis, maxime in id quoque assentientibus, tum Consanguineis ipsius Testatoris, tum etiam Executoribus ab eo nominatis.

Discutiendum igitur erit.

An, & quomodo sit locus commutationi voluntatis in casu &c.

Affirmative juxta Votum Eminentissimi Pici in omnibus, & amplius.

*Sess.*24. *c.*14. *de Ref.* LEODIEN. Decanus Collegiatæ Ecclesiæ S. Crucis abrogari postulavit quædam onera, quæ ab obtinentibus Decanatum substineri consueverant, ac præsertim illud duorum conviviorum singulis annis parandorum, & alterum solvendi intra triennium post assecutionem Decanatus aureos centum, scuta scilicet totidem monetæ Romanæ, ut ajunt

ajunt, *pro Cappa*. Causa primum proposita die 30. Septembris 1730., suspensa quoad hoc fuit resolutio: Iterum vero proposita die 1. Septembris 1731. cum hoc Dubio - *An, & quæ alia onera sustineantur*, - Rescriptum fuit - *Quoad duo annua convivia negative: Quo vero ad Cappam, dilata, & scribatur Ordinario juxta instructionem.*

Ea vero, de quibus Sac. Congregatio edoceri optavit, hæc sunt. Primum, an verum sit solvisse Decanum florenos bifcentum, & quinquaginta in adipiscenda Decanatus possessione, & in quam causam conversa fuerit ea pecuniæ summa. Secundum, quanti sint annui proventus Decanatus, & quænam ejus onera. Tertium, an, & a quo tempore sit in usu Statutum Cleri Leodiensis circa solutionem aureorum centum pro Cappa. Quartum denique, an Sacrarium illius Collegiatæ Ecclesiæ sit satis instructum annuis redditibus pro sacra supellectili.

Ad primum respondit, Decanum post suæ electionis confirmationem vere solvisse florenos ducentos, & quinquaginta, eosque fuisse addictos fabricæ Ecclesiæ.

Ad secundum significavit, Decanum re ipsa ex redditibus Decanatus percepisse annua scuta centum monetæ Romanæ; sed, & aliquid aliud pecuniæ superesse exigendum a debitoribus, vel minus idoneis, vel qui solutionem distulerunt. Onera vero, quæ Decanus subire consuevit, hæc esse, ut scilicet in ingressu solvat dictos florenos ducentos, & quinquaginta pro fabrica Ecclesiæ, ut solvat jura competentia pro electionis confirmatione, ut solvat intra triennium aureos centum pro Cappa, ut memorata prandia quotannis subministret. Addit, Decano incumbere etiam curam animarum erga Canonicos, Beneficiatos, aliosque subditos Capitulo, quæ tamen cura exerceri solet ab Operariis substitutis, qui stipendium a Capitulo accipiunt.

Ad tertium quæsitum inquit, Statutum Cleri Leodiensis de pendendis aureis centum pro Cappa in usum fabricæ Ecclesiæ, & sacræ supellectilis, servatum fuisse per spatium temporis excedens hominum memoriam, nec hujusmodi solutionem in controversiam vocari a ceterarum Ecclesiarum Decanis. Quin etiam subiungit, Decanum ipsum Collegiatæ Ecclesiæ S. Crucis, de qua nunc agitur, annuere solutioni, dummodo salva sint jura eorum, qui deinceps in Decanatum succedent, & quatenus hæc Sac. Congregatio censeat id non esse improbatum a Constitutione 51. S. M. Innocentii XII.

Postremo ad quartum respondit, redditus certos fabricæ Ecclesiæ, ejusque Sacrario assignatos, non excedere annua scuta quinquaginta, sed si etiam incerti comprehendantur, posse omnes simul æstimari (ut asserit Decanus) annuis scutis bifcentum, & octoginta monetæ Romanæ. Affirmat tamen idem Vicarius generalis eos, quanticumque veri sint, certe impares esse necessitati, seque ipsum esse oculatum testem de minus idonea supellectili, qua illius Ecclesiæ Sacrarium instructum est.

Hæc sunt, quæ ad quæsita pertinent. Sed, & alia in eisdem nuperis literis Vicarii Generalis habentur, quæ spectant convivia, quorum onus a Decano subeundum non esse hæc Sac. Congregatio declaravit. Inquit enim, prandium, & quidem non opiparum, nec fines Ecclesiasticæ moderationis prætergrediens, parari semper consuevisse a Decano anniversaria die Dedicationis Ecclesiæ, atque alia die, qua recolitur memoria Exaltationis Sanctæ Crucis, ut honestam accipiant refectionem ii, qui ad solemnitatem celebrandam conveniunt: vicissim quoque id esse in more positum apud aliarum Ecclesiarum

rum Præsides, a quibus invitari itidem solet, & convivio excipi Decanus dictæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Crucis: denique ad hoc ipsum onus substinendum consuevisse Capitulum tradere Decano ex communi horreo viginti modios speltæ, & certam vini quantitatem, cujus æstimatio æquat annua scuta novem cum sex Juliis monetæ Romanæ.

His igitur ita se habentibus, æxistimat Capitulum revocandam esse decisionem editam circa duo prandia quotannis subministranda a Decano; propterea quod præsentis casus conditiones maxime discrepent ab ea facti specie, in qua morem non admittendi novum Canonicum ad possessionem Præbendæ, nisi prandium dedisset Collegis, improbavit Gregorius IX. in *Cap. Jacobus de Simon*. In quibus etiam terminis similem consuetudinem repræhendit olim hæc Sac. Congregatio in *Polignanen.* anno 1584. *lib.*4. *Decret. pag.*9., & recentius in *Brugen.*3. *Septembris* 1728., ubi tamen prudens addita fuit moderatio; nam proposito dubio -- *An toleranda sit consuetudo immemorabili de præstando convivio per Cappellanum noviter receptum; seu potius improbanda* --, responsum fuit -- *Negative ad primam partem, & affirmative ad secundam, & ad mentem; videlicet ut, si Cappellanus nolit parare prandium, cogi nequeat; si vero velit, probiberi non debeat, dummodo convivium sit frugale, & moderatum*, ut in *lib.*79. *Decret. pag.*433.

Quo vero ad solutionem florenorum ducentorum, & quinquaginta (videlicet scutorum quinquaginta monetæ Romanæ) in adeunda possessione Decanatus, necnon scutorum centum intra triennium pro Cappa putat Capitulum nihil in hoc esse alienum a canonicæ disciplinæ institutis, cum non in privatum singulorum Canonicorum commodum ea cedat pecunia, sed omnino in usus pios convertatur, nimirum pro fabrica Ecclesiæ, & pro sacra suppellectili. Id vero minime improbari advertit *Joan. Andr. in d. cap. Jacobus num.*4. *de Simon*. ibi -- *Si vero petatur paramentum, vel aliud spectans ad Divinum cultum, vel fabricam Ecclesiæ, id omnino servandum* -- *Butr. ibid. num.*4. *Hostien. num.*2. *Zabarel. num.*3. *Boich. num.*8. Et speciatim de certa nummorum summa ab unoquoque Canonico solvenda pro Cappa, sive Pluviali, juxta plurium Ecclesiarum statuta, tradunt *Fermosin. Tract. Crim. in Cap. Jacobus* 4. *qu.*1. *num.*14. *de Simon. Tondut. quest. Canon. cap.*47. *num.*3., *& seqq. Tom.*1. *Ripa cons.*1. *num.*11. *de Arbitr.* Id quoque permittit Sac. Concilium Tridentinum *Cap.*14. *sess.*24. *de ref.*, necnon Constitutio 104. S. Pii V.

At cum hæc Bulla temperet onus novo Canonico impositum pro fabrica, aut Sacrario Ecclesiæ, ea conditione, ut medios fructus unius anni non excedat, sic enim habet §.4. -- *statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus, & distributiones fabricæ, vel Sacristiæ, aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ, vel Fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur: alteram vero Beneficiati prædicti integre percipiant* --, considerandum propterea est, an memorato statuto, & consuetudini Pontificia hæc lex adversetur. Si enim simul conjungantur scuta quinquaginta, quæ persolvit Decanus in adeunda possessione, cum scutis centum, quæ solvenda adhuc essent pro Cappa, profecto non solum dimidia pars fructuum unius anni absumeretur, sed nec etiam sufficerent omnes unius anni fructus.

Verum Sac. Rota in *Hildesimen. fructuum Canonicalium* 19. *Januarii*

rii 1703.*coram* *Kaunitz*.censuit, Pianam illam Constitutionem eo solum spectare, ut Beneficiarius non careat reddituum portione ad vitam substentandam necessaria, ideoque non sic esse intelligendam, ut solum permittat converti in usos pios medietatem fructuum primi anni, idemque onus vetet protendi in alios annos consequentes; sed satis esse, ut cujusque anni fructus pro dimidia parte cedant commodo Beneficiarii, ut videre est in Decisione, quam refert *Piton. Discept. Eccles. part.*3. *discept.*57. *num.*70. Quamobrem inquit Capitulum obstare quidem posse Bullam Pianam, si scuta centum pro Cappa solvi deberent a Decano statim ac obtinet Decanatum, vel intra primum annum: secus vero cum ad hanc solutionem perficiendam spatium triennii ab ipso statuto ei tribuatur; divisa enim per tres annos hac summa, salva relinquitur Decano dimidia annuorum proventuum portio.

Erit ergo ab Eminentiis VV. determinandum.

I. *An quoad dua annua convivia sit standum, vel recedendum a decisis die* 1.*Septembris* 1731.

II. *An, & quæ alia onera substineantur in casu &c.*

Ad primum esse permittenda, sed Decanum non esse cogendum. Ad secundum, dilata, & coadiuventur probationes super consuetudine quoad Cappam.

CAMERINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Petrus Jacobus Baldinus ex Oppido Apiro oriundus anno 1656. quædam reliquit subsidia dotalia pauperibus Puellis quotannis assignanda, singulis scilicet in summa scutorum quinquaginta; permisit tamen, ut si quando Puellarum numerus non æquaret numerum subsidiorum in ea summa distribuendorum, possent tria, vel quatuor subsidia adjudicari alicui Puellæ ex honesta familia, cujus facultates impares essent solutioni congruentis dotis. Sed, & hoc quoque addit - „ Voglio, che „ ogn' anno, quando si hanno da maritare queste Zitelle per carità, „ si procuri dalli Deputati di sapere, se in Fabriano, o alla Serra „ de Conti ci fosse qualche Zitella di Casa Baldini, o attinente a detta Casa, la quale fosse in istato di maritarsi, o monacarsi, e gli si „ applichino tante delle sopradette doti, che gli bastino, o per maritarsi, o per monacarsi. *Sess.*22. *c.*6. *de ref.*

Maria Jacoba, & aliæ Filiæ Petri Jacobi Ursini contendent sibi deberi uberiorem illam largitionem, quam Testator destinavit Puellis attinentibus ad familiam Baldinam. Antonia quippe in Matrimonium collocata Joanni Mariæ Baldino fratri Testatoris, erat Soror Pauli Ursini Proavi dd. Puellarum. Quod si iure suo eis non competat integræ dotis constitutio ex proventibus a Testatore relictis, supplicarunt Sanctissimo Domino Nostro, ut dignaretur id eis indulgere, commutata Testatoris voluntate.

Quantum attinet ad priorem inspectionem, quamvis eæ Puellæ nec consanguinitate, nec affinitate attingant Testatorem sed solum dici possint affinitate conjunctæ cum Fratre ejusdem Testatoris, contendunt tamen sibi nihilominus convenire verba legati, quia Testator non fuit usus voce illa *attinentium* relate ad se ipsum, sed relate ad Domum Baldinam. Itaque cum dd. Puellæ, & affinitate attingerent Fratrem Testatoris, atque etiam consanguinitate conjunctæ essent cum duabus feminis, quas

ex d. Antoni a Ursina suscepit idem Frater Testatoris, inferunt verissime dici, eas esse *- attinenti a Casa Baldini.*

Attinentium appellatione comprehendi quoscumq, conjunctos, sive agnatos, sive cognatos tradunt *Fusar. de substit. q.* 371. *Camarel. de leg. l2. qu.* 8. §. *Attinentibus n.* 1. *Peregrin. de Fideicomm. art.* 22. *num.* 41. *Card. de Luc. scribens de hoc ipso Testamento, disc.* 173. *n.* 2., *& seqq. de dot.* Sed hi doctores non agunt de affinibus.

Capitulum vero, cui commissa est pii legati executio, impugnat ea attinentium voce juvari posse prædictas puellas; quippe quæ nullum prorsus aut consanguinitatis, aut etiam affinitatis vinculum habeant cum Testatore, ut dictum est.

Putat præterea eis obstare, quod oriundæ sunt ex Oppido Apiro, cum tamen Testator liberalitatem suam contulerit in Puellas, vel de Familia Baldina, vel ad eam attinentes, quæ existerent aut Fabriani, aut in Oppido *Serra de Conti.* Ad quod tamen respondent ipsæ Puellæ, verisimile esse Testatorem multo magis gratificari voluisse Puellis ejusdem generis, quæ ortum habuerint in ipsa Testatoris Patria, quæ Apirum fuit.

Denique Capitulum negat, filias Petri Jacobi Ursini esse pauperes, ideoque contradicit etiam petitæ commutationi voluntatis, ne per eam arceantur a dotalibus subsidiis aliæ Puellæ vere inopes, quibus Oppidum illud abundat.

Erit ergo definiendum.

I. *An Mariæ Jacobæ, & aliis Filiabus Petri Jacobi Ursini competant subsidia dotalia relicta a Joanne Jacobo Baldino.* Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis d. Testatoris ad prædictum effectum.* Et quatenus affirmative.

III. *In quanam summa assignari debeant dicta subsidia dotalia singulis dictis Puellis in casu &c.*

Non proposita.

Sess. 24. c. 3. de Ref. SANCTI MARCI VISITATIONIS. Presbyteri domicilium habentes in Oppido *Adamante* exposuerunt, Episcopis ipsum Oppidum visitantibus ex veteri more per centum, & amplius annos servato, dari consuevisse titulo *Procurationis* scuta tria, quæ ab Archipresbytero tantum solvebantur. At hodiernum Episcopum paucis ab hinc annis cœpisse in singulis visitationibus exigere majorem nummorum summam, cogendo omnes Sacerdotes, (quos decem ibi esse asserebatur), ad ejus pecuniæ contributionem, quamvis nullum ipsi Ecclesiasticum Beneficium possideant, sed ad victum utantur tenui solum patrimonio, cujus annui redditus non excedunt ducatos vigintiquatuor. Præterea eamdem etiam nummorum summam sibi solvendam jussisse Vicarium generalem, qui aliquando Oppidum visitavit nomine Episcopi. Itaque postularunt circa id sibi prospici auctoritate hujus Sac. Congregationis.

Episcopus hac de re edocere jussus eamdem Sac. Congregationem, respondit, Procurationem fuisse constitutam in ducatis tribus antiquo tempore, quo pauci erant incolæ, & unus ibi residebat Parochus, adeo ut visitatio tunc vix unum occuparet diem; recentius vero auctos plurimum fuisse eos, qui ibidem habitant; hominum quippe capita numera-

merari fere bis mille , Ecclesiasticos vero quinque , & viginti , proindeque plures insumendos esse dies , ut perficiatur visitatio . In medium quoque protulit Decretum ab Episcopo prædecessore editum anno 1719., quo pronunciatum fuit subeundum a toto Clero esse onus Procurationis , assignata cuique ejusdem oneris parte , sed tamen duplici ejus portione imposita Archipresbytero .

Contribuere hujusmodi Procurationem debere , adhibitá proportionis norma , omnes Parochos , Beneficiatos , Ecclesias , Confraternitates , aliaque loca pia visitationi subjecta , quamvis antea a solis Parochis persolvi soleret , respondit Sacra Congregatio *in Auximana Procurationis* 15. *Martii* 1727. *lib.*77. *Decret. pag.*149. cui etiam consonat aliud Decretum editum in *Nepesina Procurationis* , *& exactionum* 3. *Decembris* 1712. *&* 27. *Maii* 1713., *ut in lib.*62. *Decret. pag.*444. , *& lib.*63. *pag.*218. Et de habentibus simplicia Beneficia idem responsum fuit 12. *Septembris* 1654. *lib.*19. *Decret. pag.*399. *& in Bojanen.* 14. *Novembris ejusdem anni dict. lib.*19. *Decret. pag.*427. , *& in Signina* 2. *Augusti* 1670. *lib.*26. *Decret. pag.*392.

Sed a pauperibus nihil nomine procurationis Episcopum visitantem exigere debere , ex *Text. in Can. placuit.*1. *qu.*2. notant *Antonell. de Jur. Cleric. lib.*2. *par.*6. *cap.*17. *num.*69. *&* 71. *Pax.Jordan. lucubr. lib.*7. *tit.*18. *num.*39. *& sequen. Fagnan. in cap. procurationes n.*21. *de Censib. Ventrigl. Prax. for. Eccles. tom.*2. *annot.*24. §.2. *num.*13. *&* 15, *Pignattell. consult.*47. *n.*11. *tom.*1.

Pluries itidem declaratum fuit , quod , si visitatio non ab ipso Episcopo fiat , sed ab alio , cui ipse id munus commiserit , dimidia tantum pars ei competat Procurationis , quæ solveretur Episcopo , si per se ipsum visitaret , ut in *nullius Provinciæ Hispalen.* 11. *Septembris* 1706. *lib.*56. *Decr. pag.*310. *& in Geruntinen.* 2. *Octobris ejusdem anni d. lib.*56. *Decret. pag.*332. *& in Ostunen.*28. *Iulii* 1708. *lib.*58. *Decr. pag.*266. , *& in dicta Pacen.* 29. *Januarii* 1729. *lib.*79. *Decr. pag.*35.

Et denique , si quando aliquid exactum fuit supra quam exigi debuisset, Sac. Congregatio jussit restitui , ut in *dicta Nullius Provinciæ Hispalen.* 11. *Septembris* 1706. , *& in Brittinorien.* 27. *Augusti* 1712. *lib.*62. *Decret. pag.*326. *& in Florentina* 7. *Juni* 1727. *lib.*77. *Decr. pag.*342. , *& in d. Pacen.* 29. *Januarii* 1729.

Examinandum itaque proponitur .

I. *Quomodo , & in qua quantitate Episcopo visitanti debeatur Procuratio .*

II. *An Sacerdotes simplices , nullumque Beneficium habentes teneantur contribuere ad solutionem Procurationis .*

III. *An Episcopus debeat restituere pecuniam exactam ultra taxam antiquam in casu &c.*

Non proposita .

Die Sabbathi 8. Augusti 1733.



Sess. 24. c. 3. de Ref.

CAMERINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. In superiori Congregatione habita die 18. Julii discuti non potuit (aliis negotiis totum temporis spatium sibi vindicantibus) hæc Causa, cujus status in sequentibus Dubiis versatur.

I. *An Mariæ Jacobæ, & aliis Filiabus Petri Jacobi Ursini competant subsidia dotalia relicta a Jacobo Baldino*. Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis dicti Testatoris ad prædictum effectum*. Et quatenus affirmative.

III. *In quanam summa assignari debeant subsidia dotalia singulis dictis Puellis in casu &c.*

Ad primum provisum in sequentibus. Ad secundum consulendum Sanctissimo pro assignatione sc.200. pro qualibet.

Sess. 24. c. 3. de ref.

SANCTI MARCI VISITATIONIS. Hæc itidem Causa in antea-cta Congregatione proponi non potuit. Sed iis, quæ in alio Folio exposita fuerunt, addi nonnulla possunt, a controversia, quæ agitatur, minime aliena.

Anno 1708. Clerus Oppidi Belvederii ejusdem Diœcesis S. Marci alias quæstiones adversus Episcopum prædecessorem proposuit circa modum, & quantitatem Procurationis. Disceptatum quippe fuit.

I. An sit in libertate Cleri Terræ Belvederii solvere Episcopo Sancti Marci visitanti Procurationem in pecunia, vel subministrare victualia. *Et quatenus in pecunia*.

II. An, & in qua summa sint taxanda.

III. An, & per quot dies liceat Episcopo visitanti protrahere visitationem.

IV. An, & quot personas possit secum ducere Episcopus occasione dictæ visitationis.

V. An Clerus teneatur quidquam solvere Ministris, aliisque Officialibus Episcopi visitantis.

VI. An idem Clerus teneatur solvere Episcopo visitanti vecturas equorum.

Die vero 7. Julii rescriptum fuit -- *Danda esse Decreta aliàs edita, & signanter ad* I. *in Tyrasonen. Junii* 1586. *lib.*4. *Decret. pag.*146., *& in Potentina Procurationis* 24. *Ianuarii* 1705. *ad primum dubium lib.*55. *Decret. pag.*23. *Ad* II. *in eadem Potentina ad secundum dubium. Ad* III. *in Turritana* 15. *Novembris* 1704. *ad sextum dubium lib.*54. *Decret. pag.*415. *Ad* IV. *in Forosempronien. Novembris* 1587. *lib.*5. *Decret. pag.*64. *Ad* V. *in Amalphitana* 18. *Julii* 1699. *ad tertium dubium lib.*49. *Decret. pag.*252. *Ad* VI. *in Aprutina Decembris* 1584. *lib.*4. *Decret. pag.*10.

Sensus autem, qui hujusmodi responsis inest, ex vi aliorum Decretorum, quæ ibi indicantur, est hic, videlicet -. *Ad* I. *Affirmative*. *Ad* II. *in sum-*

summa moderata ad formam Concilii. Ad III. *arbitrio, & conscientiæ Ordinarii ad formam Concilii. Ad* IV. *Episcopum modesto equitatu, & famulatu oportere contentum esse. Ad* V. *deberi victualia tantum ad formam Concilii. Ad* VI. *Negative.*

Rursus in alia Causa *Sancti Marci plurium, die* 16. *Ianuarii* 1723. proposita fuerunt hæc, quæ sequuntur, dubia.

I. An Episcopus Sancti Marci possit per se ipsum quotannis visitare omnes Ecclesias, omniaque loca suæ Diœcesis, & an intra annum possit plures facere visitationes.

II. An dicto Episcopo visitanti per se ipsum debeatur integra solita procuratio, seu potius sit servanda alternativa.

III. An prædicta integra solita procuratio sit solvenda in illa solita quantitate pecuniæ juxta morem cujuscumque loci visitandi, & in tribus prandiis dandis Episcopo, ejusque comitatui, in vecturis, habitatione, & utensilibus necessariis juxta prætensam antiquissimam consuetudinem.

IV. An Episcopo, ejusque Comitatui debeantur cibaria, aliaque necessaria toto tempore permanentiæ in visitatione.

V. An eidem Episcopo visitanti possit præfigi numerus personarum ejus comitatus.

VI. An eidem Episcopo visitanti possit præfigi numerus dierum, quibus permanere debet in visitatione loci visitandi.

Rescriptum vero sic fuit -- *Ad* I. *affirmative quoad primam, & ad secundam partem pariter affirmative, sed absque ulla procuratione. Ad* II. *servandam esse alternativam. Ad* III. *esse in optione visitandorum solvere procurationem, vel in victualibus, vel in pecunia, exclusis tribus prandiis in casu solutionis pecuniæ, & quoad vecturas equorum detur Decretum* 7. *Iulii* 1708. *in S. Marci ad sextum. Ad* IV. *provisum in tertio. Ad* V., *&* VI. *arbitrio, & conscientiæ Episcopi ad formam Concilii, & ad mentem*, -- ut in *lib.*73. *Decret. pag.*3.

Hæc sunt Decreta aliàs edita ab hac Sac. Congregatione circa visitationem hujus Diœcesis. Quo vero ad hodiernam quæstionem, constat, quod cum Ecclesia Parochialis in Oppido Adamantis fundata fuerit anno 1645., in ipso fundationis Instrumento cautum fuit Episcopo visitaturo solvendos esse ducatos tres. Idque servatum est usque ad annum 1719. Deinde vero exegit Episcopus nomine procurationis alternatim uno anno ducatos quindecim, & altero ducatos septem cum dimidio. Hujusmodi autem augmentum tuetur Episcopus excusatione longioris moræ, ad visitationem ibi perficiendam necessariæ, ob mutatas loci conditiones; non enim unam, ut olim, ibi Ecclesiam existere asseritur, sed tres Ecclesias, & aliquot Sodalitia; præterea quatuordecim esse Sacerdotes, & Clericos septem, incolas vero omnes numerari fere bis mille.

Quantum denique attinet ad Sacerdotes nullo gaudentes Beneficio Ecclesiastico, qui nihil a se contribuendum esse contendunt, observandum proponitur, quod visitatio ad omnes pertinet, qui spirituali Episcopi curæ subiiciuntur: cibaria autem Episcopo visitanti subministranda sunt ab iis, qui visitantur, ad præscriptum Sac. Concilii Tridentini *Cap.*2. *Sess.* 24. *de Ref.* Itaque generatim de Clero tamquam participe sumptus ad id necessarii habetur mentio in Amalphitana 18. Julii 1699. *lib.*49. *Decret. pag.*252., & in dicta S. *Marci Procurationis* 7. *Iulii* 1708. *lib.*58. *Decret. pag.*246.

Erit igitur definiendum.

I. Quo-

I. Quomodo, & in qua quantitate Episcopo visitanti debeatur Procuratio.

II. An Sacerdotes simplices, nullumque Beneficium habentes teneantur contribuere ad solutionem Procurationis.

III. An Episcopus debeat restituere pecuniam exactam ultra taxam antiquam in casu &c.

Dilata in omnibus, & scribatur Vicinioribus juxta instructionem.

Sess.23.c.8. de ref.

PIENTINA, SEU ILCINEN. ORDINATIONIS. In postrema Congregatione habita die 18. Julii discussa fuit hæc Causa, quæ versatur circa interpretationem consultissimæ, & saluberrimæ Constitutionis editæ a san. me. Innocentio XII., cujus initium est -- *Speculatores* --. Cum autem ad III. Dubium his verbis conceptum. *An literæ testimoniales, quas Laurentius Medicheschius impetravit ab Episcopo Pientino, fuerint sufficientes ad licitam ordinationem*, -- responsum fuerit -- *Affirmative in casu, de quo agitur*, -- operæ pretium visum est quæstionem hanc iterum examinari, cum in utramque partem gravia sint momenta rationum, & plures ex Eminentissimis PP. opinione discrepaverint.

Lege ab Innocentio Pontifice lata sancitum ita est -- ,, Præterea Clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eamdem Clericalem ,, Tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non ,, posse ab alio Episcopo, ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii ,, in illius Diœcesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ,, ante eorumdem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi, tam originis, quam Domicilii, super suis natalibus, ætate, ,, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit.

Huic igitur legi videndum est, an satisfecerit ea formula Litterarum, quas Laurentius obtinuit ab Episcopo Pientino sub annum 1730., & quibus fretus Episcopus Ilcinensis ei omnes sacros Ordines contulit anno 1731. ad titulum Beneficii in sua Diœcesi existentis. Litterarum exemplum est hoc: ,, Testamur Clericum Laurentium Medicheschi ,, nostræ Diœcesis in minoribus Ordinibus constitutum nullo excommunicationis, irregularitatis, aut cujusvis alterius canonici impedimenti vinculo, saltem quod sciamus, innodatum existere, neque ullo crimine postulatum, sed esse bonis, & honestis moribus ,, præditum, ac talem, qualem in sortem Domini vocatos decet -

Deest igitur in his Litteris testimonium de natalibus. Illegitimus quippe est irregularis, nec promoveri ad Ordines debet, juxta sanctionem Bonifacii VIII. in *Cap.*1. *de Fil. Presbyt. in* 6. Neque vero minus necessaria censeri poterat testificatio de legitimis natalibus Laurentii, propterea quod ex Litteris ipsis constaret, eum jam fuisse in minoribus Ordinibus constitutum. Siquidem præcedens minorum Ordinum susceptio non satis per se probat Clericum ex justis nuptiis procreatum fuisse, cum illegitimus possit ab Episcopo per dispensationem effici habilis ad Ordines dumtaxat minores, juxta citatum *Cap.*1. *de Fil. Presb in* 6. Quamobrem oportebat proferri testimonium de legitimis natalibus, ut Laurentius a Minoribus Ordinibus, quos Episcopus Pientinus ei contulerat, evehi posset ad Sacros, utque Episcopus Ilcinensis per illud medium, quod Bulla Innocentiana præ-

præscribit, compertam haberet hujusmodi conditionem ; vel si ea deesset, juberet prius doceri de impetrata Apostolica dispensatione.

Secundo desideratur in eisdem Litteris testimonium de ætate, ut certus redderetur Episcopus ordinans de ætate, juxta Tridentinas leges idonea ad singulos sacros Ordines. Quamquam vero aliis documentis perfici utraque probatio potuerit, non satis tamen iis confidisse censetur Bulla Innocentiana, cum alienus Episcopus decipi falsis documentis valeat, (ut non raro accidit), ac idcirco requisivisse videatur Pontifex testimonium Episcopi, tam originis, quam domicilii, quippe qui non tam facile falli possunt circa homines jam sibi notos, suæque jurisdictioni subjectos.

Ad hanc rem spectant, quæ habet *La Croix lib.6. par.2. n.2252.* ibi --,, Si neuter Episcopus testatus sit V. G. de ætate, ordinandus autem ,, afferat testimoniales de ætate ex libro baptismali a Parocho scriptas, dubitatum est, an hoc sufficeret? Negarunt aliqui, quia Constitutio Innocentii XII. requirit testimonium de ætate dandum determinate ab Episcopo, nec sufficit aliunde haberi certitudinem; ,, alioquin si Ordinans sit certus v. g. de moribus Titii, quia ipse ,, cohabitavit satis diu, ordinare posset sine testimonialibus ullius alterius Episcopi: Et ratio potest esse, quia quamvis in hoc casu particulari videatur cessare finis legis, qui est certitudo de ætate, & ,, reliquis, non ideo cessat lex illa, quia nempe re ipsa manet finis ,, legis, qui est evitare fraudes, quæ communiter evenirent, si sufficeret quævis certitudo ex testimonio cujuscumque alterius, qui ,, non esset Episcopus originis, aut domicilii. E contra alii duo, aut ,, tres Doctores, quos interrogavi, putarunt sufficere, quia si ita ,, semper haberetur certitudo, nunquam esset periculum fraudis; & ,, quamvis hoc testati non sint Episcopi, præsumitur omissum, quod ,, nescirent, sicque se remitterent ad certitudinem aliunde accipiendam. --,, Porro testimoniales Literas impetrari oportere ab Episcopo originis, etiamsi quis inde discesserit in tali ætate, in qua nullum canonicum impedimentum contrahere potuerit, (ac proinde in casu, quo de natalibus solum, ac de ætate testari queat Episcopus originis) deducitur ex resolutione edita in *Liquedonien. seu Bituntina Ordinationis 16. Novembris* 1709., ut in *lib.59. Decret. pag.365.*

Tertio est animadvertendum, quod de vita, & moribus Laurentii non fuit edita testificatio speciatim ad effectum promotionis ad omnes Ordines sacros. Multum vero interest inter eam vivendi rationem, ac disciplinam, quæ satisfaciat statui minorum Ordinum, & aliam, quam exposcit superior gradus, sive Subdiaconi, sive Diaconi, sive Presbyteri. Itaque Sac. Concilium Tridentinum discriminatim, habitoque peculiari respectu, tam ad Ordines minores, quam ad singulos Majores exigit peculiare testimonium de morum conditione, & vitæ instituto iis gradibus consentaneo, ut videre est *in Cap.5. 7. 8. 12. 13. & 14. sess.23. de Ref.*, & notat *Fermosin· ad Tit. de Scrut. in Ord. facien. qu.1.*, ac longe uberius, loculentiusque *Hallier. de Sacr. elect. & ordin. Tit. de variis testimoniis Ordinandorum. Art.2. a pag.45. ad* 68.

Tametsi igitur Constitutio Innocentiana expresse non præcipiat, ut testimonium ab Episcopo originis, & domicilii obtinendum de vita, & moribus Clerici, quia ad majores Ordines promoveri ab alio Episcopo cupiat, sit conceptum relate ad effectum suscipiendi eosdem Ordines

nes; haud tamen vere fuisse mentem Legislatoris conjicitur ex natura ipsa rei, de qua agebatur; nam cum hæc regula ibi statuatur servanda præcise ad effectum Ordinationis, & ad hoc ut Episcopus Sacerdotio initiaturus, novum recentemque subditum ratione Beneficii, & antea sibi minime notum, certus reddi possit, quod mores ejusdem ordinandi respondeant sanctitati gradus suscipiendi, plane sequitur, eo animo fuisse Innocentium Pontificem, ut Literæ testimoniales vitam, moresque Clerici commendent, non absolute, & simpliciter, sed relate ad omnes sacros Ordines, ad quos optet quis promoveri; & quibus, ut initietur, idoneum, dignumque eum esse per tales Literas debet comprobari; ideoque jubet etiam Pontifex, de eisdem Literis testimonialibus expressam fieri mentionem in collatorum Ordinum testimonio.

Istiusmodi interpretationem non obscure confirmat Decretum a Sancto Carolo Borromæo editum in Concilio IV. Provinciali *par.*2. *Tit.*1. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*. his verbis -- ,, Sæpe illud, ,, facileque evenit, ut vel hominis mores mutentur, vel quod de il- ,, lius vita minus antea notum, atque exploratum erat, id postea ali- ,, quando patefiat, quo fit, ut quem Episcopus, Superiorve aliquan- ,, do probarit, dignumque existimarit, aliquo etiam sacro Ordine ,, initiari, illum ipsum inveniat indignum, neque idoneum esse, cui ,, idem, aut major Ordo conferatur. Quare ut, & erroribus, multi- ,, plicique fraudi occurratur, & plane serventur Decreta illa Triden- ,, tina, unum, quo vetatur ad superioris Ordinis gradum illos ,, ascendere, qui in inferiori aliquamdiu, Episcopi judicio, versati ,, non sint, quique cum ætate, vitæ etiam merito, doctrinaque majo- ,, ri non processerint: alterum, quo cavetur, nemini licere ab ali- ,, Episcopo primam Tonsuram, aut Ordinem aliquem suscipere ni- ,, ejus probitas, & mores Ordinarii sui testimonio primum commen- ,, dentur Episcopus, aliusve Superior, prout pro sua prudentia, pie ,, tateque expedire censuerit, in primis videat, ne cuiquam, ante- ,, quam sacræ Ordinationis tempus proxime instet, Literas ejusmodi ,, testimoniales, Dimissoriasve pro Ordinibus ab alio Episcopo susci- ,, piendis, sine necessaria causa unquam concedat.

Satis itaque constat, Literas testimoniales morum, ut Sacro Concilio Tridentino satisfaciant, eo spectare, ac tales esse oportere, ut probatum, testatumque reddant vitæ meritum idoneum ad tales Ordines suscipiendos, prout singulos eorum gradus decet. Si vero testimonium a Tridentina Synodo requisitum tale esse debet, ut respectum habeat ad eos Ordines, quibus inaugurandus quis sit, certe non aliud fieri potest judicium de forma, & qualitate Literarum testimonialium, de quibus loquitur Bulla Innocentiana, quippe quæ prodiit ad redintegrannam, firmiusque retinendam disciplinam a Tridentinis Patribus constitutam.

Hoc ipsum confirmat consuetudo apud Episcopos vigens, nimirum, ut Literæ testimoniales, quibus Clericus uti intendat ad suscipiendos ab alio Episcopo ulteriores Ordines, id peculiariter declarent, & singula recenseant ad hunc effectum opportuna. Formulam hoc modo compositam, & in Hispanis Regnis servatam, refert Lamperez *in Comment. ad Bullam Speculatores pag.*39. *n.*344. Eamdem quoque, veluti usitatam in Episcopatibus Italiæ, tradit *Monacell. in Formul. For. Eccles. tom.*1. *tit.*4. *Formul.*9. *pag.*82. Atque id ipsum deduci vide-

videtur ex recenti Concilio Romano *Tit.6. Cap.4.* ubi agens Pontifex de hujusmodi Literis testimonialibus sic concludit -- *Neque Testimoniales Literas ullatenus concedi volumus , nisi prævio antedicto examine habiles ad Ordinem approbari meruerint* -- , ut scilicet significaretur testificationem respicere debere speciatim habilitatem ad talem , vel talem Ordinem .

Et re quidem ipsa exemplum Literarum testimonialium , quæ in Urbe Roma expediuntur ab Eminentissimo Vicario , est hoc -- *Cum NN. natus in Urbe per accidens, a R. P. D. Episcopo NN. suo Ordinario ad primam Clericalem Tonsuram* (sive minores , sive sacros Ordines , de quibus fit mentio) *promoveri cupiat , propterea a Nobis testimoniales literas super suis natalibus , ætate , vita , & moribus ad formam Constitutionis S. M. Innocentii XII. , quæ incipit* -- Speculatores -- *humiliter requisivit : Hinc tenore præsentium notum facimus, & attestamur prædictum NN. ex legitimo matrimonio natum fuisse in hac alma Urbe die &c. Augusti &c. & baptizatum die &c. in Parochiali Ecclesia S. N. Sacro Chrismate confirmatum in Sacrosancta Lateranen. Basilica , & in propria Parochiali Ecclesia S. N. tribus diebus festivis de præcepto proclamatum , nullius censuræ vinculo, nec alio canonico impedimento , quo a suscipienda dicta Clericali Tonsura* (sive minoribus , sive sacris Ordinibus) *arceri , aut teneri possit (quod sciamus) irretitum esse per totum tempus , quo in Urbe moras traxit , nempe ab ejus nativitate usque ad mensem &c. anni &c. sed fuisse , & esse in statu libero , & soluto , bonis , vita, moribus , & fama imbutum , prout ex legitimis documentis in Secretaria nostri Tribunalis constare fecit .*

Adstipulatur præterea ritus Pontificalis Romani, de quo etiam in *Cap. Unic. de Scrutin. in Ord. facien.* In ipsa enim Ordinum celebratione palam interrogante Episcopo Archidiaconum , sive ejus officio fungentem , num sciat eos , qui ad Diaconatum , & Presbyteratum sunt promovendi , dignos esse , singillatim ille quoad unumquemque eorumdem sacrorum Ordinum magna voce respondet -- *quantum humana fragilitas nosse sinit , scio , & testificor dignos esse ad hujus onus officii* -- . Scilicet dignos , & idoneos non utcunque , sed relate ad eum Ordinem , qui sit conferendus , & ad sacrum illud ministerium, de quo suscipiendo agatur .

Nec vero , si ita concipiantur litteræ testimoniales , dici posset eas non fore diversas a litteris Dimissoriis . Vere enim magna inter eas adhuc superesset differentia , nam litteræ Dimissoriæ exprimunt traditam facultatem , ut alter Episcopus possit Clericum illum ad Ordines promovere . Litteræ autem testimoniales non hanc facultatem impertiuntur , quia supponitur facienda Ordinatio ab alio Episcopo non indigente traditione hujus facultatis , sed ea potituro jure suo , solumque continent testimonium , quod Clericus promovendus sit dignus , cui tales Ordines conferantur , quemadmodum hæc diversitas inter nosci potest ex litteris utriusque generis , quarum formulam recenset *Monacell. tom.* 1. *tit.* 4. *formul.* 3. , *& formul.* 9.

Vere tamen etiam differunt litteræ testimoniales , quæ dantur ea mente , ut ad præscriptum Bullæ Innocentianæ exhibeantur alteri Episcopo Ordines collaturo ei , qui Beneficium in sua Diœcesi fuerit assecutus, a litteris testimonialibus , quæ concedi solent ad commendandum Clericum è Diœcesi proficiscentem , ut istarum quoque formula habetur

apud *Monacell. dict. tit.4. formul.6.* Sed si istiusmodi litteræ nullum exprimentes respectum promotionis ad Ordines, approbentur tanquam idoneæ, & Bullæ Innocentianæ satisfacientes ad suscipiendos ab alio Episcopo Ordines, facilis sterneretur via fraudibus cum non mediocri Ecclesiasticæ disciplinæ discrimine, quemadmodum conquestus fuit Episcopus Pientinns, sic scribens -- *Si de testimonialibus agatur non inficior, quod a mea Curia concessa fuerint Clerico Laurentio Medicheschio paulo ante ejus discessum, prout Clericis omnibus illa postulantibus, & præsertim discessuris conceduntur, sed limitate ad mores, & absque ullo prorsus respectu ad Ordines suscipiendos, de quibus nec per umbram fuit cogitatum* --, & infra -- *prius audivi, dictum Medicheschium celebrasse Missam in hac mea Diœcesi, quam fuisse ordinatum Sacerdotem* --. Similes itidem querelas non ita multo pridem detulit ad hanc Sac. Congregationem Archiepiscopus Pisanus, cum Petrus Christophorus Cosci, qui diuturnum domicilium habuerat in Diœcesi Pisana, *extortis* (sic scribebat Archiepiscopus) *Litteris testimonialibus ad alium finem a Vicario Generali*, Sacros omnes Ordines suscepisset ab Episcopo originis, ut expositum fuit in Folio Congregationis habitæ die 26. Januarii 1732.

Posset quidem hujus fraudis periculo occurri, apponendo in ipsis litteris testimonialibus, quas reticito consilio ascendendi ad Sacros Ordines petant discessuri è Diœcesi, declarationem, ut vitæ, & morum commendatio in eis exposita non intelligatur suffragari ad Ordines suscipiendos ab alio Episcopo. Sed nemo non videt id fieri non posse, salva, & incolumi ejusdem Clerici fama, quia plus fortasse ei officeret suspicio, quam excitaret hæc declaratio, quam profutura esset ipsa morum, vitæque commendatio.

Hæc sunt, quæ ex una parte considerari possunt. Ex alia vero occurrunt itidem plura non levis ponderis ad rei gestæ approbationem, vel saltem excusationem. Quandoquidem Bulla Innocentiana clare, & aperte non injungit, quod litteræ testimoniales ab Episcopo originis, & domicilii impetrandæ exprimere debeant causam, ob quam dentur, videlicet suscipiendi Ordines ab alio Episcopo ratione Beneficii. Præterea cum in litteris Episcopi Pientini affirmaretur, Laurentium nullo irregularitatis vinculo esse irretitum, hæc ipsa assertio includere videbatur testimonium de legitimis natalibus, quorum alioquin vitium reddidisset Laurentium irregularem. De ætate vero ad Sacros Ordines requisita aliunde certo constare potuit. Denique cum testaretur Episcopus Pientinus Laurentium fuisse immunem a quocumque Canonico impedimento, atque etiam bonis, & honestis moribus præditum, *ac talem, qualem in sortem Domini vocatos decet*, recte potuit existimare Episcopus Ilcinensis, hujusmodi testificationem referri ad eam quoque morum probitatem, quam Status Ecclesiasticus postulat, quæque convenit gradui majorum Ordinum. Saltem vero concludendum videtur excusatione dignos, & Episcopum ordinantem, & Clericum ordinatum, ne obnoxii facti fuerint pœnis statutis a Sacro Concilio Tridentino, & a Bulla Innocentiana, prout in casu non absimili excusationi locum dedit Sacra Congregatio in *Firmana, seu Lauretana Ordinationis* 14. *Novembris* 1705. *lib.55. Decret. pag.*395.

Dignentur itaque EE. VV. decernere.

An

An quoad III. & IV. Dubium sit standum, vel recedendum a decisis die 18. Julii proxime præteriti in casu &c.

Quoad tertium recedendum a Decisis. Ad quartum vero consulant conscientiæ suæ.

ARIMINEN. TRANSLATIONIS CAPPELLANIÆ. Parochiali Ecclesiæ S. Felicis præerat Gregorius Scarponius, & in ea duo construxit Sacella, quorum alterum dedicavit S. Gregorio, alterum Divo Antonio Abbati. Ut perpetuum, & quidem eximium relinqueret monumentum amoris, & cultus, quo Ecclesiam illam, eaque a se condita Sacella prosequebatur, in Testamento, quod fecit anno 1713. hæredes ex Asse scripsit illa ipsa Sacella his verbis -- ,, lascio, istituisco, voglio, e comando, che siano le mie eredi universali le ,, due Cappelle da me fatte fabricare in questa mia Chiesa di S. Felice, intitolata una S. Gregorio, e l' altra S. Antonio Abbate con ,, gl' obblighi da inserirsi, e specificarsi, ut infra. Prima, che il ,, Cappellano da nominarsi da me, & ogni altro dopo quello pro tempore, sia tenuto, & obbligato celebrare quattro Messe la Settimana in perpetuo, compresovi tutte le feste di precetto annuali, e ,, queste alternativamente alle sudette due Cappelle secondo la mia ,, intenzione -- . ,, In eadem quoque Ecclesia, in qua cadaver suum mansurum erat humi traditum, quatuor Officia jussit quotannis celebrari, unum nempe Anniversaria obitus sui die, duo autem diebus præcedentibus dies sacros Divis Gregorio, & Antonio Abbati, quibus dicata erant Sacella. *Sess. 22. c. 26. de ref.*

Dionysius Battellus, hujus Cappellaniæ Rector, petiit perpetuo transferri ad publicum Oratorium Sancti Bernardini situm in Castro Arboreti intra ejusdem Parochiæ fines, Cappellaniam illam cum oneribus ei inhærentibus. Sed die 19. Julii 1732. rescriptum fuit -- *Lectum quoad translationem oneris Missarum, & servetur dispositio Testatoris. Quatenus vero necessitas postulet celebrari Missam diebus festis in Castro, Episcopus alio modo provideat* -- . At die 9. Augusti sequentis Cappellanus voti compos factus fuit, edito hoc Rescripto -- *Prævio recessu a decisis, pro gratia translationis cum onere tamen, quod Cappellanus debeat docere doctrinam Christianam omnibus diebus festis.*

In hoc Rescriptorum conflictu, Causa, ut accuratius perpendi posset, proposita fuit in Folio, quod Eminentiæ VV. non graventur resumere, & die 20. Decembris superioris anni definitum fuit -- *standum esse in primo loco decisis.*

Non acquiescens Cappellanus iterum instat, ut voluntati Fundatoris derogetur, quamvis dissentiente, & contradicente Parocho, qui etiam docuit Castrum Arboreti tertia tantum parte unius milliarii distare ab Ecclesia Parochiali.

Justam, & necessariam causam requiri ad mutandas ultimas Testatorum voluntates, statuit Sac. Concilium Tridentinum *Cap. 6. sess. 22. de ref.*, & *Cap. 5. sess. 25. de ref.* Et sane quam caute, & circumspecte in hoc se gerat Sacra Congregatio, satis testantur tot casus, in quibus rejecta fuit similis postulatio de trasferendis ad aliam Ecclesiam oneribus Missarum contra voluntatem fundatorum. Exemplis relatis in alia hujus Causæ descriptione addi etiam potest recentissimum, nempe in

Firmanæ Cappellaniæ, de qua actum fuit in Congregatione habita die 18. Julii proxime præteriti.

Sed, & illud videtur posse considerari, quod si Dionysio Battello nimis grave sit adire Parochialem Ecclesiam pro Sacrificio Missæ faciendo, poterit per alium satisfacere oneribus a Fundatore impositis, cum hic non jusserit Missas a Cappellano celebrari per se ipsum in ea Ecclesia. Si autem incolis Castri Arboreti necessaria vere sit celebratio Missæ diebus festis in ipso Castro (id quod negat Parochus) rationi consentaneum est, ut qui commodum optant, onus non detrectent, proindeque indicta admodum levi contributione congeri poterit eleemosyna ab eis tradenda Sacerdoti ibidem festis diebus sacrificaturo.

Deliberandum itaque erit.

An sit standum in primo, & tertio, vel potius in secundo loco decisis in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 6. c. 4. Sess. 24. c. 2. de Ref.

CREMONEN. SYNODI. Ut controversiis, inter Episcopum, & Præpositum Collegiatæ Ecclesiæ S. Agathæ jamdiu subortis circa ejus accessum ad Synodum Diœcesanam, finem faceret supremum hujus Sac. Congregationis judicium, die 5. Aprilis superioris anni disceptata fuerunt hæc Dubia.

I. An Præpositus S. Agathæ possit ultra usum Mitræ, in Cathedrali, & actionibus Synodalibus uti baculo, aliisque Pontificalibus, & laminibus aureis cum separato genuflexorio, & sede, occasione celebrationis Missæ in Synodo.

II. An sedes Capituli S. Agathæ in Cathedrali, & Synodo ultra tegumentum panni viridis in capite, ubi sedet Præpositus, debeant ornari tapete.

III. An liceat d. Capitulo intra Cathedralem, & in omnibus actionibus, & Processionibus Synodalibus habere semper Crucem propriam erectam.

V. An Episcopus possit procedere ad pœnas canonicas contra Præpositum, & Capitulum ob non accessum ad Synodum.

VI. An Episcopus in visitatione possit cogere Capitulum ad redditionem rationis.

Rescriptum vero fuit -- *Ad I. negative, excepto usu Mitræ simplicis in actibus Synodalibus tantum. Ad II. negative, Ad III. negative intra Ecclesiam Cathedralem. Ad IV. V., & VI. affirmative.*

Cum facta fuit Præposito potestas experiendi iterum de jure, quod ei competere possit, totus hodie in eo est, ut demonstret Ecclesiam illam Collegiatam cum ejus Capitulo potiri prærogativa, tum exemptionis ab Ordinarii jurisdictione, tum immediatæ subjectionis Sedi Apostolicæ. Idque adstruere nititur, non solum ex Bullis Callisti II., Eugenii III., Pii II., & Pii IV., sed etiam ex literis, quas (ut patet *ex lib.2. Epist. pag.85.*) hæc S. Congregatio dedit. an.1575. ad Episcopum Cremonensem his verbis -- *Sacra Congregatio censuit Amplitudinem tuam in cognoscendis Causis Criminalibus adversus personas Collegiatæ istius Ecclesiæ S. Agathæ debere procedere cum consilio, & assensu duorum Canonicorum, quos Capitulum ipsius Collegiatæ anni cujuslibet initio elegerit, ex dispositione Concilii Triden-*

*dentini sess.*25. *cap.*6. Quæ quidem Tridentina lex pertinet ad Capitula exempta.

Posita autem exemptione, infert Præpositus sibi, cui competit usus Baculi, & Mitræ, licere uti Mitra auro ornata, dum interest Episcopali Synodo. Sic enim de Abbatibus exemptis decretum fuit a Clemente IV. *in Cap. ut Apostolici de Privil. in* 6. ubi ex diverso statuitur Abbates minime exemptos uti debere solum *Mitra simplici, alba, & plana.*

Inde quoque deducit Præpositus peculiari honorificientia a se esse excipiendum in Synodo, si ipsi ultro libuerit ad eam adire: sed tamen neque se, neque Capitulum posse a Synodo discuti, & corrigi, multoque etiam minus posse ab Episcopo visitari Capitulum ipsum, & explorari administrationem ab eo gestam.

At Episcopus negat, Privilegium exemptionis, quo antiquitus aucta fuerat hæc Ecclesia, dum erat Regularis, suffragari itidem posse mutato statu, & de Regulari ad Sæcularem translato.

Profert etiam Episcopus determinationem anno 1674. editam ab hac S. Congregatione his verbis — *Illustrissimi Cardinales Sacri Concilii Tridentini Interpretes, consideratis primum scripturis iis, quæ adjunctæ his litteris mittuntur, ac auditis sæpius tuis, ac Præpositi S. Agathæ ex Decretis Concilii Sess.*6. *cap.*4., *& sess.*25. *cap.*6. *non obstantibus etiam Privilegiis ex fundatione competentibus, & consuetudine immemorabili, quatenus de eis appareret. Posse item Amplitudinem tuam prohibere Præposito ipsius Ecclesiæ* S. *Agathæ, ne Causas Criminales cognoscat, cum hæc Episcopali tantum examini, & jurisdictioni relicta sint a* Concilio *Sess.*24. *cap.*20. *Posse quoque cogere Præpositum ad accedendum ad Synodum Diœcesanam ex Decreto* Concilii *sess.*24. *cap.*2. *nisi tamen Præpositus infra tres menses probaverit se esse in quasi possessione immemorabili cognoscendi ipsas causas Criminales, & non accedendi ad Synodum, qua probatione facta iidem Cardinales amplius deliberabunt,* — ut in *lib.*2. *Epistol.Sac. Congreg. pag.*45. Docet insuper Episcopus pluries in ejus Curia Criminalem quæstionem fuisse institutam adversus Canonicos prædictæ Collegiatæ Ecclesiæ.

Quantum vero attinet ad usum Mitræ, & Baculi Pastoralis, respondet Episcopus Literas Cardinalis Sedunensis Legati, quibus potissimum fretus est Præpositus, quæque etiam referuntur in Diplomate Pii IV. id solum per se ferre, ut Præposito liceat uti iis insignibus in ipsa sua Ecclesia, & in Processionibus intra Parochiæ ambitum peragendis.

Adstipulantur quoque generalia Decreta Sac. Rituum Congregationis a san. mem. Alexandro VII. confirmata, quibus cavetur, ne Abbates, aliive Prælati Episcopo inferiores Pontificalibus insignibus utantur extra Ecclesias sibi subjectas, ut videre est apud *Eminentissimum Petram tom.*3. *ad Constit.*6. *Urbani IV. n.*53., quæ quidem Decreta servari etiam debere a Præposito hujus Collegiatæ Ecclesiæ, qui obtentu Privilegiorum, & consuetudinis repugnabat, rescripsit eadem Sac. Rituum Congregatio anno 1617., ut habetur apud *Monacell. Formul. legal. pract. tom.*4. *pag.*40. *n.*88.

His itaque, aliisque copiosius exponendis a litigantium Patronis, accurate, ut mos est, perpensis, deliberandum erit.

An, & in quibus sit standum, vel recedendum a decisis die 5. *Aprilis* 1732. *in casu &c.*

ASCU-

Sess.24. c.4. de ref.

ASCULANA JURIUM, & FUNCTIONUM PAROCHIALIUM. Intra fines Parochiæ Oppidi Acumuli situm est publicum Oratorium, sive Ecclesia Deiparæ Annunciatæ sacra in Villa Tini, & ab Ecclesia Parochiali S. Laurentii mille circiter passibus distat. Certant inter se Josephus Moscatus Parochus, & Carolus Nicolaus Organtinus publici illius Oratorii Rector, cum Parochus sibi licere putet functiones ad munus suum spectantes pro majori commodo gregis exercere, quotiescumque sibi libuerit, in eo Oratorio, etiam sine assensu Rectoris, qui id impugnant. Vicissim vero Organtinus Rector contendit jure suo ad se pertinere certas functiones in eo publico Oratorio, sive Ecclesia obeundas; idque negat Parochus, ut ex dubiis mox subiiciendis deprehendi potest.

Parochus jus suum adstruit ex quo publicum illud Oratorium in ambitu Parœciæ suæ existat. Consuetudinem quoque ei favere affirmat Episcopus his verbis -- ,, Parochi Ecclesiæ S. Laurentii a tempore immemo-
,, rabili, tam occasione festivitatis, quam funerum in eo Oratorio
,, exercuerunt, & exercent omnes functiones Ecclesiasticas, præser-
,, tim quia in dicto Oratorio erecta reperiuntur nonnulla sepulcra,

At Organtinus prædictæ Ecclesiæ, sive publici Oratorii Rector obiicit potissimum prærogativam exemptionis, propterea quod Ecclesia illa fundata sit in solo Basilicæ Lateranensis. Tum, & illud addit, functiones in controversiam venientes proprie non esse recensendas inter Parochiales, nec in aliena Ecclesia ad Parochum eas privativo jure spectare.

Circa priorem articulum, a S. Rotæ Auditorio definitum fuit, exemptionis privilegium a Bonifacio IX. concessum, & a Xisto V. redintegratum, ad eas tantum pertinere Ecclesias, & Cappellas, quas demonstretur vere fuisse ædificatas in fundo antea spectante ad Basilicam Lateranensem jure dominii, nec proinde convenire iis Ecclesiis, quæ post earum constructionem subiiciantur eidem Basilicæ cum annui tributi pensatione, ut videre est in *dec.*228. *num.*6., *& seqq.*, *& dec.*260. *cor. Emer. Jun.*; *& in Squillacen. Jurisdictionis super bono jure* 7. *Junii* 1723. *cor. Lancetta*.

Plura insuper ab hac Sac. Congregatione prodierunt Decreta ad explicationem facultatis Episcopo competentis visitandi Ecclesias in solo Lateranensi existentes, vel sodalitia in eis instituta, ut in *Mileten. Jurisdictionis* 23. *Aprilis* 1701. *lib.*51. *Decret. pag.*208., *&* 13. *Maii* 1702. *lib.*52. *Decret. pag.*190., *&* 6. *Octobris* 1703. *lib.*53. *Decret. pag.*445. eaque etiam refert *Monacel. Formul. legal. tom.*1. *tit.*5. *formul.*2. *num.*3., *tom.*2. *tit.*13. *pag.*57. *num.*50.

Magis etiam proxime ad præsentem Causam accedere videtur disceptatio olim habita in *Regien. Exemptionis*. Cum enim Rector Cappellæ, sive Ecclesiæ Sanctissimo Crucifixo dicatæ contenderet amplam ibi suffragari exemptionem, tam ab Episcopali, quam a Parochiali jure, proptærea quod Ecclesia collocata esset in fundo Lateranensi, Sac. Congregatio die 21. Junii 1698. decisionem suspendit, ut uberius doceretur dominium fundi vere spectasse ad eam Basilicam priusquam in eo edificaretur Ecclesia, quemadmodum deducitur ex Folio Congregationis habitæ die 20. Septemb. ejusdem anni 1698. Cumque deinde die 15. Novembris proposita fuissent hæc dubia -- I. An Cappella, seu Ecclesia Sanctissimi Crucifixi sit exempta a jurisdictione Ordinarii; *& quatenus affirmative*. II. An hujusmodi exemptio suffragetur

etiam

etiam Cappellanis ejusdem Ecclesiæ in concernentibus administrationem Sacramentorum. III. An iidem Cappellani possint in dicta Ecclesia Divina officia, & Missas solemnes celebrare. IV. An itidem cinerum, candelarum, & palmarum benedictionem, & distributionem explere. V. An Sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ extra tempus Paschale in eadem Ecclesia omnibus administrare absque licentia Parochi, vel Episcopi. VI. An in dicta Ecclesia asservari possit SS. Eucharistiæ Sacramentum. VII. An dicti Cappellani possint peragere exequia, & Officium defunctorum cum stola super cadaveribus in eadem Ecclesia tumulandis, absque consensu, & licentia Parochi, reservata tamen eidem Parocho quarta funerali. VIII. An licitum fuerit, & sit Episcopo confessionem interdicere eisdem Cappellanis semel ab ipso, vel ad tempus, vel in perpetuum approbatis. -- S. Congregatio rescripsit -- *Ad* I. *negative*. *Ad reliqua provisum in primo - ut* in *lib.*48. *Decret. pag.*522.

Generatim vero de functionibus, quas possit Parochus explere in Ecclesia intra fines suæ Parœciæ existente, invito etiam Rectore ejusdem Ecclesiæ, vel quarum exercitium competat, sive non liceat Rectori talis Ecclesiæ, videri possunt ea, quæ referunt *Pignattel. consult.*68. *tom.*6. *Fargna de Jurepa. tom.*1. *Can.*4. *cap,*9.*per tot.*

Huc quoque spectat resolutio edita in *Comen. Jurium Parochialium*; in qua ad hæc Dubia videlicet -- I. An Ecclesia, sive Oratorium publicum S. Jo. Baptistæ situm in Terra Mastennæ de Jurepatronatus Fratrum de Trincanis habeat dependentiam, sive subjectionem, tam in functionibus Parochialibus, quam non parochialibus ab Ecclesia Parochiali Rezzonici. II. An liceat Parocho dictæ Ecclesiæ Rezzonici independenter a Patronis explere functiones parochiales in d. Oratorio ad sui libitum, iis invitis, ad quas -- Respondit Sac. Congregatio die 9. Junii 1714. *Ad* I. *affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam*. *Ad* II. *negative*, ut in *lib.*54. *Decret. pag.*214.

Recentius vero in *Thelesina Anniversarii, & Missæ solemnis, die* 9. Februarii 1732. propositis his binis dubiis. -- I. An celebratio Missæ solemnis pro defunctis cum Anniversario in Ecclesia S. Nicolai sita intra limites Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Civitatis Cerreti spectet ad Archipresbyterum, & Canonicos dictæ Collegiatæ, privative quo ad omnes: sive potius ad Cappellanum dictæ Ecclesiæ cum facultate assumendi in dicta Missa, & Anniversario Presbyteros sibi benevisos. II. An celebratio Missæ solemnis cum primis, & secundis Vesperis die festo S. Nicolai spectet ad dictum Archipresbyterum, vel potius ad Cappellanum dictæ Ecclesiæ independenter, & sine licentia Parochi, & cum facultate assumendi Presbyteros, quos voluerit -- Rescriptum fuit -- *Ad utrumque negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam*.

Ad rem itidem pertinent generalia Decreta, quæ anno 1703. promulgavit Sac. Rituum Congregatio circa similes quæstiones vertentes inter Parochos, & Confraternitates, habentes publica Oratoria, sive Ecclesias intra limites Parochiæ, & præsertim ad Dubium IV. X. XIII. XVI. XVII. XX., ut apud *Monacell. Formul. For. Eccl. par.*2. *tit.*13. *Formul.*1. *pag.*1., *& seq.* Et cum iis Decretis cohærent quoque ea, quæ hæc S. Congregatio edidit in *Bononien.* 15. *Maii* 1728. *ad Dubium* VI. *&* XIII., *ut in lib.*78. *Decret. pag.*235.

Dignentur itaque Eminentiæ VV. declarare.

I. An

I. An liceat Parocho Ecclesiæ S. Laurentii Terræ Accumuli exercere omnia, & quæcumque jura Parochialia in publico Oratorio Beatissimæ Annunciationis Villæ Tini, sito intra limites dictæ Parochiæ, privative quo ad Cappellanum, seu Rectorem Beneficii erecti in dicto Oratorio.

II. An Rectori d. Beneficii liceat celebrare festum Beatissimæ Annunciatæ, eademque die canere Missam solemnem, sedes confessionales erige,renecnon Sacramentum Pœnitentiæ administrare, seu administrari facere, & Indulgentias publicare, absque licentia, interventu, & consensu dicti Parochi.

III. An eidem Rectori competat, seu debeatur ulla portio, tam ceræ, quam aliorum emolumentorum occasione funeris subditorum dictæ Parochiæ, quos tumulari contingat in dicto Oratorio, quacumque consuetudine non obstante.

IV. An eidem Rectori debeantur oblationes, seu eleemosynæ colligi solitæ in dicta Villa Tini, seu in Oratorio prædicto, & an valeat in illorum administratione se ingerere absque licentia, & consensu dicti Parochi.

V. An idem Rector teneatur permittere, ut Parochus doceat in dicto Oratorio Doctrinam Christianam, vel possit hoc impedire.

VI. An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.

Sess.21.c.2. de Ref.

PARISIEN. INDULTI. Superior Generalis Congregationis Missionis exposuit Sanctissimo D. N. non paucos in eamdem Congregationem cooptari solere Anglos, Scotos, & Hibernos. Eos autem haud facile posse Litteras Dimissorias ad Ordines suscipiendos obtinere ab Ordinariis locorum, e quibus suam traxerunt originem: Ecclesiasticis præterea Beneficiis carere, atque etiam Patrimonio, cum patrias sedes ob Catholicæ Religionis cultum deseruerint. Itaque postulavit perpetuum sibi tribui Indultum, ut ii sine Literis Dimissoriis Ordinariorum suæ originis, sed a Superioribus tantum facta ad id eis potestate, itidemque ad titulum mensæ communis, initiari sacris Ordinibus possint, addita tamen conditione, ut si deinde eos è Congregatione, vel egredi, vel dimitti contigerit, Sacrorum exercitium eis interdictum sit, donec vel Beneficio, vel aliis subsidiis ad vitam substentandam idoneis fuerint instructi.

Alexander VII., & Clemens IX. Pontifices Maximi per Literas Apostolicas ad decennium valituras simile Indultum impertiti fuere. Diplomatis verba hæc sunt -- ,, Ut prædictæ Congregationis Missionis Clerici Hibernenses, aliique Religionis Catholicæ causa a patriis sedibus expulsi, & patrimonio spoliati, etiamsi careant Beneficio, vel Patrimonio, nihilominus ab Ordinario illius Domus Congregationis hujusmodi, in qua commorabuntur, aut cum ejus Literis Dimissorialibus a quocumque, quem maluerint, Catholico Antistite gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habente, in propria Diœcesi residente, vel in aliena de consensu Diœcesani loci Pontificalia exercente, ad omnes etiam sacros, & Presbyteratus Ordines, si ad id aliàs idonei reperiantur, ad titulum mensæ communis ipsius Congregationis, de Superiorum suorum licentia, servatis aliàs servandis, promoveri, & promoti in illis etiam in Altaris ministerio ministrare libere,& licite possint,& valeant &c. concedimus --. *Addita tamen fuit hæc declaratio* -- Ita tamen, ut si quando contingat,

" gat, ut ad prædictos Ordines Sacros promoti ad hujusmodi mensæ
" communis titulum, dimittantur, vel recedant a dicta Congrega-
" tione, etiam prævia legitima dissolutione votorum in ea emissorum,
" ipsi eo ipso remaneant suspensi ab exercitio suorum Ordinum, do-
" nec constet illos aliunde commode vivere posse.

Præterea Moderatores primarii hujus Congregationis, quæ per Constitutiones Urbani VIII., & memorati Alexandi VII. exempta fuit a jurisdictione Ordinariorum, exceptis dumtaxat pertinentibus ad Missiones, consueverunt Clericis sibi subjectis Literas Dimissorias concedere pro sacra eorum ordinatione.

Quantum spectat ad titulum mensæ communis, hic parum differre videtur ab eo, quem nemo ignorat usitatum quoad omnes Regulares, quippe solet appellari titulus religiosæ paupertatis; subit enim vicem tituli Professio emissa in aliqua Religiosa Familia, quæ in eam adscriptos alere debet, ut observat *Smalzgruber. in Decretal. lib.*1. *par.*3. *tit.*11. *num.*52., *&* 58., *Pelliz. Manual. Regul. tom.*2. *tract.*8. *c.*2. *sect.*3. *num.*166., *Campanil. diver. Jur. canon. rub.*8. *cap.*5. *n.*35. *Pax Jordan. elucubr. lib.*3. *tit.*6. *de Sacram. Ordin. num.*346. *tom.*1.

At cum S. Pius V. in *Const.*75. *Bull. tom.*2. declaravit non posse ad hujusmodi titulum ordinari eos, *sive Religiosos, sive more Regularium in communi viventes, qui nunquam, seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, & e claustro exire, vel dimitti, ac ad sæculum redire possunt*; sed in eis ad sacros Ordines promovendis requiri, vel titulum Beneficii, vel Patrimonium, servata lege Sacri Concilii Tridentini; inde fit, ut Clerici Congregationis Missionis, qui ex ea quandocumque dimitti, vel discedere possunt, ordinari sine Ecclesiastico Beneficio, aut Patrimonio nequeant, nisi id per speciale Indultum a Sede Apostolica eis permittatur.

Pro Polonis in hujus Congregationis album relatis frequenter quidem consueverunt expediri Literæ Apostolicæ, tribuendo in casibus particularibus facultatem suscipiendi Sacros Ordines ad titulum mensæ communis. Idque etiam ex peculiaribus circumstantiis permissum fuit duobus Italis, juxta Decretum ab hac Sac. Congregatione editum *die* 21. *Septembris* 1731. ut in *lib.*81. *Decret. pag.*542., *& die* 9. *Augusti* 1732. ut in *lib.*82. *Decret. pag.*406. Semper tamen adjecta fuit illa conditio, ut eveniente egressu, vel dimissione e Congregatione, sic ordinati abstineant a sacro ministerio debeant, usque dum commoda vitæ subsidia alia ratione fuerint assecuti.

Exponendum denique restat, quod cum Sac. Congregatio exploraverit hac de re sententiam Nuntii Apostolici Parisiis residentis, respondit ille, rationi consentaneum sibi videri, ut Summus Pontifex precibus annuat.

Deliberabitur igitur.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti in casu &c.

PLACENTINA JURIS SEDENDI IN CHORO. Translatum anno 1644. fuit Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ ad aliam Ecclesiam S. Michaelis. Tam Canonici, quam Præbendarii, inter quos nullum est discrimen circa formam vestis choralis, uno eodemque subsellio um ordine, qui ibi erat, in Divinis obeundis Officiis uti consueverunt, donec in eodem choro extructi fuerunt duo subselliorum ordines, alter superior pro duodecim Cano- *Sess.* 24. *c.*12. *de ref.*

nicis, alter vero inferior octo Præbendariis. Inde vero haud leves ortæ contentiones. Præbendarii enim arbitrabantur sibi licere superiora subsellia occupare, si quæ vacua ob Canonicorum absentiam essent. Hoc autem impugnabatur a Canonicis.

Ad rem transigendam Capitulum duos delegit Canonicos, qui consenserunt, ut Præbendariis daretur aditus ad vacua subsellia ordinis superioris juxta pristinum morem. Sed mox Capitulum revocavit mandatum, quod in eos binos Canonicos contulerat, & executioni conventionis ab eis initæ contradixit.

Episcopus ad tollendum dissidiorum fomitem expedire censet, ut Sac. Congregatio decernat Præbendarios ascendere nunquam posse ad subsellia superioris ordinis.

Non parum affinitatis cum hac Causa habet alia Pisana, de qua actum fuit *die* 18. *Augusti* 1731., *&* 12. *Januarii* 1732.

Decidendum igitur erit.

An liceat Præbendariis Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis sedere in superioribus subselliis Chori, quoties vacant ob absentiam Canonicorum, sive potius sedere semper debeant in subselliis inferioribus in casu &c.

Sess.25.c.13. de ref.

TROJANA FUNERUM. Solent pii Sodales in efferendis corporibus tumulandis in Sodalitiorum Ecclesiis substernere cadaveribus nigrum pannum, quem huic usui destinatum asservant ipsa Sodalitia, quorum insigne, sive symbolum eidem stragulo intextum est. Ratione hujus funebris opertorii contendit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, intra cujus Parœciam Sodalitia illa existunt, solvendos sibi esse ab hæredibus demortuorum sodalium carolenos decem, id quod vocatur jus pompæ. Cumque de vetusto more exigendi eam pecuniæ summam constiterit apud Acta Curiæ Episcopalis, tum ex multorum testimonio, tum etiam ex libris Mensæ Episcopalis, cui quarta pars memorati emolumenti tribui solet, Episcopus decrevit Capitulum esse in hac possessione manutenendum.

Appellatione a Sodalibus interposita, hodie videndum est, an jus illud legitime competat Capitulo. Negant sodales imponi hæredibus posse hoc onus, nullo justo titulo subnixum. Non enim stragulum illud commodatur a Capitulo, sed proprium est Sodalitiorum. Non itidem pertinet hoc ad Quartam funerariam, quia nullum inde emolumentum percipit Ecclesia, in qua tumulentur cadavera; & Episcopus ipse in literis ad hanc Sac. Congregationem datis hæc habet: *Jus autem hoc pompæ, sive panni aliud est a funeribus, sive associatione cadaveris, ut vocant, nam semper pompa exigitur, quum pompa utuntur cadavera, ea vel comitante, vel non comitante Capitulo.*

Cæterum quod nec etiam Parochis liceat cogere hæredes defunctorum, ut opertorium feretri a Parochiali Ecclesia accipiant, & hoc nomine certam pecuniæ summam persolvant, sed libere posse hæredes aliud quodlibet adhibere stragulum funebre, docent *Aloysius Ricc. dec.*124. *per tot. Lavor. var. elucubrat. tit.*2. *cap.*2. *num.*220. *Samuel. de Sepult. tract.*1. *controv.*10. *concl.*7. *num.*16., *& num.*57. *Ventrigl. in prax. annot.*31. §. *unic. num.*43. *Gavant. in Manual. Episc. verb. Exequiæ num.*15. *&* 25. *Rot. post Antonell. de Jurib., & oner. Cleric. dec.*15. *num.*11.

Capitulum verò nititur potissimum veteri, utque etiam ait Episcopus, imme-

immemorabili consuetudini, ad quam tamen refutandam proferunt Sodales testimonium aliquot Civium affirmantium nihil quandoque eo titulo solutum fuisse Capitulo.

Examinandum itaque proponitur.

An Capitulum Ecclesiæ Cathedralis possit exigere carolenos decem pro delatione culcitræ, seu panni, occasione tumulationis Confratrum *defunctorum, quatenus eadem culcitra, seu pannus adhibeatur.*

Die Sabbathi 29. Augusti 1733.



Uatuor sequentes Causæ descriptæ jam fuere in Folio Congregationis habitæ die 8. exeuntis mensis, quod EE. VV. non graventur iterum ante oculos habere.

CREMONEN. SYNODI. Præter alias exposita, illud præcipue videtur discussione dignum, an exemptio a jurisdictione Ordinarii, quam sibi, & Capitulo competere existimat Præpositus (posito etiam, quod subsistat) hanc habeat vim, ut in ipsa Synodo subjici nequeant scrutinio, & correctioni. Contendit enim Præpositus id non licere in exemptos, sed eos interesse Synodo debere dumtaxat, ut leges ibi ferendas sciant, & deinde ad earum normam se gerant, vel saltem Synodi judicium in exemptos versari non posse, nisi circa curam animarum, quæ in Ecclesia Sanctæ Agathæ exercerunt. *Sess. 23. c. 8. de ref.*

Episcopus autem negat, tum competere exemptionem, tum si forte competeret, suffragari. Si enim Sac. Concilium Tridentinum in *cap.* 2. *sess.* 24. *de ref.* tam enixe imposuit exemptis omnibus obligationem accedendi ad Synodum Diœcesanam, infert Episcopus sublatam censeri ad hunc effectum exemptionem, proindeque illud ipsum judicium Synodi in reformandis moribus, & criminibus corrigendis, puniendisque subire exemptos debere, quod est subeundum a cæteris non exemptis. Neque vero id esse restringendum ad ea solum, quæ pertinent ad exercitium muneris Parochialis, nam Sac. Concilium ita cavit tantummodo quoad eos exemptos, qui Capitulis generalibus subduntur. Eos quippe excepit a præcepto accedendi ad Synodum, nisi tamen curam animarum gererent, quo casu eos nihilominus Synodo interesse voluit, ut apparet ex Tridentina lege, quæ sic habet ,, Synodi quoque Diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas ,, exempti etiam omnes, qui alias cessante exemptione interesse de- ,, berent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur: ,, ratione tamen Parochialium, aut aliarum Ecclesiarum sæcularium, ,, etiam annexarum, debeant ii, qui illarum curam gerunt, qui- ,, cumque illi sint, Synodo interesse.

Omni itidem conatu impugnat Præpositus visitationem Capituli faciendam ab Episcopo, ejusque compulsionem ad rationem reddendam, juxta rescriptum editum ad VI. Dubium. Affirmat enim numquam antea Capitulum S. Agathæ ab ullo Antistite visitatum fuisse, nisi quo ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem.

Episcopus verò in medium itidem profert Tridentinam sanctionem, qua in *Cap.6. sess.6. de ref.* ita statutum est: Capitula Cathedralium, „ & aliarum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ nullis exemptionibus, consuetudinibus &c. tueri se possint, quominus a suis „ Episcopis, & aliis majoribus Prælatis per se ipsos solos, vel illis, „ quibus sibi vi ebitur, adjunctis, juxta Canonicas sanctiones, „ toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam „ auctoritate Apostolica possint, & valeant: „ Quamobrem inquit Episcopus frustra obtendi exemptionem, sive consuetudinem,. si ex neutra præsidium sibi posse comparare, ad Episcopi visitationem declinandam, Capitula etiam verè exempta voluit Sacrosancta Synodus.

Partes Eminentiaaum VV. erunt declarare.

An, & in quibus sit standum, vel recedendum a decisis die 5. *Aprilis* 1723. *in casu &c.*

Quoad Mitram posse Præpositum uti aurofrigiata. In reliquis in decisis, & amplius.

Sess.22. c.6. de ref.

ASCULANA JURIUM, ET FUNCTIONUM PAROCHIALIUM.

I. An liceat Parocho Ecclesiæ S. Laurentii Terræ Accumuli exercere omnia, & quæcumque jura Parochialia in publico Oratorio Beatissimæ Annunciationis Villæ Tini, sito intra limites dictæ Parochiæ, privative quoad Cappellanum, seu Rectorem Beneficii erecti in dicto Oratorio.

II. An Rectori d. Beneficii liceat celebrare festum Beatissimæ Annunciatæ, eademque die canere Missam solemnem, sedes confessionales erigere, necnon Sacramentum Pœnitentiæ administrare, seu administrari facere, & Indulgentias publicare, absque licentia, interventu, & consensu dicti Parochi.

III. An eidem Rectori competat, seu debeatur ulla portio, tam ceræ, quam aliorum emolumentorum occasione funeris subditorum dictæ Parochiæ, quos tumulari contingat in dicto Oratorio, quacumque consuetudine non obstante.

IV. An eidem Rectori debeantur oblationes, seu eleemosynæ colligi solitæ in dicta Villa Tini, seu in Oratorio prædicto, & an valeat in illorum administratione se ingerere absque licentia, & consensu dicti Parochi.

V. An idem Rector teneatur permittere, ut Parochus doceat in dicto Oratorio Doctrinam Christianam, vel possit hoc impedire.

VI. An constet de attentatis, & quomodo sint purganda in casu &c.

Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative quoad celebrationem festi, & Missam solemnem eadem die; in reliquis verò negative. Ad tertium quartam funeralem dumtaxat competere Parocho; reliqua verò emolumenta funeris spectare ad Ecclesiam Sanctissimæ Annunciatæ tumulantem quoad eos defunctos, qui vel ibi elegerint sepulturam, vel ibi sint tumulandi in Sepulchro Majorum. Ad quartum affirmative quoad oblationes, & eleemosynas in Oratorio, ita tamen ut ratio reddatur Episcopo, & dictæ eleemosynæ, vel oblationes convertantur in usum, & cultum ipsius Ecclesiæ cum approbatione ejusdem Episcopi.

Ad quintum arbitrio Ordinarii. Ad sextum arbitrio Eminetissimi Præfecti, & amplius, & scribatur Episcopo juxta mentem.

PARISIEN. INDULTI. Quantum spectat ad facultatem suscipiendi Sacros Ordines sine Beneficio, vel Patrimonio, sed ad titulum mensæ communis, expedit videre, quæ refert *Ursaya tom.8. par.1. discep.26.* Narrat enim fuisse an.1710. deputatam a san. me. Clemente XI. Congregationem particularem, ut in ea discuteretur, an tribus Clericis in Romanam Domum Congregationis Missionis jam cooptatis concedendum esset Indultum, quod alii etiam antea impetraverant, ut nempe ad titulum mensæ communis possent Sacris Ordinibus initiari, & fuisse ab ea Congregatione determinatum posse precibus illorum trium Clericorum annui, uti factum fuit.

Occasione disceptationis tunc habitæ ibidem quoque recensentur plura similis Indulti exempla, ac potissimum ejus, quod Ven. Innocentius XI. perpetuo fuit impertitus Congregationi, sive Instituto Clericorum Sæcularium in communi viventium, ut videre est loco citato *num.*24.

Deliberandum itaque est.

An sit oonsulendum Sanctissimo pro concessione petiti indulti in casu &c.

Affirmative ad formam Brevis Clementis IX. ad decennium.

TROJANA FUNERUM. Ad rem, de qua agitur in hac causa, addi potest Statutum Cleri Urbis Romæ, Pontificia auctoritate confirmatum, quod in *cap.6.* §.30. *pag.54.* sic habet -- Nil quoque „ pro pulsatione campanarum, neque pro cultra, seu panno feretri „ exigere præsumant -- In additione autem ita cautum legitur -- Quo „ vero ad culcitram, curent Parochi retinere pannum feretri, & cul- „ citram decentem pro deferendis cadaveribus defunctorum, & pro „ illis nihil exigere præsumant; si verò defunctorum hæredes cupiant „ feretrum, vel pannum feretri nobilius, seu culcitram meliorem, „ de iis provideant propriis sumptibus concordandis cum illis, a „ quibus ea recipiunt, quæ tamen non cedant lucro Ecclesiæ, neque „ Parochus quidquam ex illis prætendere possit, etiamsi culcitra po- „ natur subtus, vel supra cadaver, etiam humi, aliove quolibet mo- „ do, neque Camerarius Cleri in illorum taxa se ingerat. In funeri- „ bus tamen Cardinalium, Principum, & Ducum hæres solvat Pa- „ rochiali Ecclesiæ pro culcitra scuta viginti, pro aliis Titulatis. „ Prælatis, Abbatibus, Mitratis, & Canonicis trium Basilicarum „ Patriarcha ium scuta decem. Pro Filiis Principum, & Ducum, „ quamvis Primogenitis, & aliis Personis, quæ exponuntur super „ Catafalco, aut lecto funebri, scuta quinque, servata forma divi- „ sionis inter Ecclesias Parochiales, & exponentes supra præscripta. „ At si in hujusmodi funeribus hæres faciat culcitram de proprio, „ eamque relinquat Ecclesiæ, tunc nihil solvere teneatur, „ sed pretium culcitræ dividatur, ut supra. Si vero illam redimere „ voluerit, solvat pro qualitate defuncti summam in præsenti §. ex- pressam. *Sess.21. c.2. de Ref.*

Pannum cadaveri substratum ad funus pertinere, adeoque deberi Ecclesiæ, in qua illud tumulatur, probant *Oldrad. cons.*211. *num.*7. *Lavor. elucubrat. var. tit.2. cap.*17. *num.*20. *& seqq.* De eo itidem funebri stra-

ſtragulo cautum fuit a S.Carolo in Actis Eccleſiæ Mediolanen. *par.* 1. *Concil. Provinc. tit. de Fun.*, & *Exeq. pag.* 35. his verbis ,, Si vero ,, nobiles homines, auro, vel ſerico, vel omnino pretioſo pallio uti ,, voluerint, pecunia ſua faciendum curent, & illi Eccleſiæ illicò ,, poſt funus acquiſitum ſit, & in ejus ornamenta convertatur ,, & *par.* 4. *Inſtruct. de funer. ducendo pag.* 556 §. *Si vero propinqui*. ibi. ,, Quod ſi aureum, vel ſericum, aut omnino pretioſum fuerit, ad ,, hujuſmodi uſum nullo modo in poſterum adhibeatur, ſed in ejuſ- ,, dem Eccleſiæ ornamentum cedat ,, Cumque in *Crotonen. Juris fu-* ,, *nerandi die* 3. *Septembris* 1707. propoſitum fuiſſet hoc Dubium. ,, An retineri a Capitulo poſſit ſerica culcitra, cum qua ,, traſportatur cadaver, ſeu ſit locus reſtitutioni ,, hæc Sac. Congre- ,, gatio reſcripſit ,, Affirmative quo ad primam, & negative quo ad ,, ſecundam partem, ſalva tamen conſuetudine legitime probanda; ut in *lib.* 57. *Decr. pag.* 332.

Canonicam vero portionem deberi Parocho etiam de opertorio feretri, quod culcitram vocant, tradunt *Barboſ. de offic. & poteſt. Parochi par.* 3. *cap.* 25. *num.* 44. *Paſſerin. de ſtat. hom. tom.* 2. *qu.* 187. *art.* 4. *num.* 495. *circa med. Panimoll. tom.* 1. *dec.* 5. *annot.* 4. *num* 29. *Antonell. de reg. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 4.

Decidendum itaque erit.

An capitulum Eccleſiæ cathedralis poſſit exigere carolenos decem pro delatione culcitræ, ſeu panni occaſione tumulationis confratrum defunctorum, quatenus eadem culcitra, ſeu pannus adhibeatur.

Negative, & amplius.

Seſſ. 22. *c.* 26. *de ref.*

BAREN. MATRIMONII. Julia della Corte, Artificis filia, & amoribus Joſephi Calvani fabri lignarii irretita, ſub noctem diei 23. Auguſti 1730., è paterna domo fugiens ſe recepit domum Joſephi Treviſani, Metropolitanæ Eccleſiæ Archipresbyteri. Poſtero die idem Archipresbyter, accerſito Joſepho Calvano, egit cum ipſo, & Julia de Matrimonio ineundo, in quod utriuſque vota conveniebant, adſtante ibidem quoque Sacerdote Joſepho Manca, cui commiſſum erat exercitium Parochialis officii in regione S. Scolaſticæ, itemque mutuos illos ſermones audientibus duabus aliis fœminis.

Julia inſtituit judicium in Archiepiſcopali Curia, contendens Matrimonium tunc fuiſſe rite contractum; atque ita etiam fuit ab ea Curia per ſententiam pronunciatum.

Ab hanc ſententia provocavit Joſephus Calvanus, & in Sacra Congregatione hodie videndum eſt, num res tunc geſta Domi Archipresbyteri Treviſani, vim habeat initi Matrimonii, an vero duntaxat ſponſaliorum. Tum & illud, an Matrimonium, ubi etiam conſtet fuiſſe contractum, approbari tamquam legitimum validumque poſſit.

Teſtes in Archiepiſcopali Curia ex juris formula interrogati, ſunt admodum varii, ac diſcrepantes. Archipresbyter enim Treviſanus narrat exploratam quidem fuiſſe mentem Puellæ, & Juvenis, de nuptiis ineundis, & utrumque ſe magno earum deſiderio teneri aperuiſſe, ſed Juvenem adjeciſſe conditionem dotis prius conſtituendæ, ac dilationis per annum ad Matrimonium contrahendum. Manifeſte itaque negat matrimonium tunc re ipſa fuiſſe confectum.

Sacer-

Sacerdos Josephus Manca, qui asseritur Parochus, ait se non petiisse domum Archipresbyteri Trevisani, ut ibi assisteret Matrimonio inter Juliam, & Josephum Calvanum ineundo, sed ob aliam causam vocatum eo venisse. Refert etiam non se ipsum interrogasse Puellam & Juvenem, an conjuges esse vellent, sed eos coram se fuisse interrogatos ab Archipresbytero Trevisano; sic enim inquit,, Il Signor
,, Arciprete interrogò Giuseppe Calvano ivi presente, se voleva
,, Giulia della Corte per sua Moglie, il quale rispose di sì, e poi
,, seguitò ad interrogare Giulia della Corte, se voleva per Marito
,, Giuseppe Calvano, ed ella parimente rispose di sì; Il che avendo
,, inteso io ripresi modestamente il d. Sig. Arciprete Trevisani, di-
,, cendoli, che egli aveva fatto un Matrimonio clandestino.

Ex aliis duabus fœminis, quas adfuisse asseritur, altera sic testimonium dixit,, Incominciò (scilicet Archipresbyter Trevisanus) ad inter-
,, rogare in questa maniera; Giuseppe non vuoi tu per legitima
,, sposa Giulia la Corte? ed il medemo rispose di sì. E rivoltosi
,, a Giulia disse: e tu Giulia non vuoi per legitimo sposo Giuseppe
,, Calvano? ed ella pure rispose di sì, replicando esso Arciprete le
,, medesime interrogationi ben tre volte, alle quali sempre li sposi
,, risposero di sì.

Altera vero affirmavit puellam, & Juvenem fuisse interrogatos a Sacerdote Josepho Manca his verbis,, Giuseppe levamo queste cose, spic-
,, ciamola una volta, Giulia, che è fuggita dalla sua Casa è quì
,, presense, e però dice se la vuoi, o no per moglie, ed il d. Giu-
,, seppe rispose, certamente che la voglio, sempre che ne farò
,, intese le genti della mia casa, e mi daranno la dote promessa,
,, e quando questa averò, allora farò per sposarla, e rivoltosi poi
,, detto Paroco Manca alla sudetta Giulia, le disse, e tu Giulia
,, non vuoi per sposo Giuseppe Calvano? e questa rispose di sì.

Sed adversus primam ex istis fœminis, nempe Hippolytam Carfagnam, à Calvano objicitur, eam audiendi sensu carere, & absentem verè fuisse.

Denique ipsa Julia della Corte in Judiciario examine asseruit, tam se, quam Josephum Calvanum consensisse in Matrimonium per verba de presenti; sed utrumque fuisse interrogatum a Sacerdote Josepho Manca. In alia autem testificatione, quam extra Judicium edidit, affirmavit interrogationes tunc fuisse factas, non ab eo Sacerdote, sed ab eo Archipresbytero Trevisano. Josephus verò Calvanus subjici examini non potuit, quia in Ecclesiasticum Asylum confugit.

Exponendum modo superest, quænam sit ratio dubitandi, an Sacerdos Josephus Manca Parochi jure, ac titulo præditus esset erga contrahentes. In Civitate Bario una tantum est Parochia, cui preæst Ecclesia Cathedralis. sed ut animarum cura commodius possit exerceri in omnem gregem, Parochia in sex Regiones dividitur, & unicuique regioni assignatur Presbyter substitutus ad Parochialia munia ibidem obeunda. At tres Canonici, qui alias hoc officio perfuncti sunt testantur administrari promiscue quibus libet consuevisse Sacramenta a singulis illis, qui appellantur Parochi substituti; excepto tamen matrimonio, cui juxta vererem morem is tantum assistit, qui destinatus est exercitio curæ in eo regione, in qua domicilium habet Sponsa.

Josephus Manca erat Parochus substitutus pro regione S. Scolasticæ, & ipse

& ipsemet Sacerdos sic de se dixit in testificatione, quam penes Acta edidit ,, Mi ritrovo præsentemente Paroco sostituto, e la mia Propria ,, Parochia è nell'Ospedale, seu di S. Scolastica, distinta questa però ,, dagli altri cinque rioni, o siano Parochie ,, Domus autem Archipresbyteri Trevisani, in qua supponitur Matrimonium fuisse contractum, sita est in alia diversa regione, quæ nuncupatur regio Ecclesiæ Cathedralis, & in qua præfectus Parochiali ministerio est Sacerdos Natalis Sciacoviellus: In hac vero etiam regione habitabant Josephus Calvanus, & Julia della Corte.

Examinandum itaque proponitur.

I. *An constet de contracto Matrimonio*. Et quatenus affirmative.

II. *An constet de illius nullitate*. Et quatenus negative ad primum, & affirmative ad secundum.

III. *An constet de sponsalibus. ita ut Calvanus sit cogendus ad illorum executionem in casu &c.*

Dilata, & coadjuventur probationes juxta mentem.

Seß. 24. c. 4. de ref.

NEAPOLITANA MATRIMONII. Jacobus Nevesius in Hirlandia ortus, cum Cæsareis copiis, ad quas erat aggregatus, Neapolim venit anno 1725. ibique anno insequente occubuit in Hospitali Domo Incurabilium Turris octavæ. Postmodum è Gallia ad eamdem Civitatem se contulit Barbara Margarita Kreagh Angla memorati Jacobi antea Uxor, quæ per aliquot Menses subsedit in Hospitio sito intra Paræciam Ecclesiæ S. Marci de Palatio. Cumque in eodem diversorio moram faceret Josephus Pompejus Romanus, die 12. Aprilis anni 1730. nullis præmissis proclamationibus, Matrimonium cum eadem Barbara contraxit, non quidem coram Parocho S. Marci de Palatio, sed in privatis ædibus Instructoris legionis Lotharingæ coram Religioso, qui titulum habet Cappellani Exercitus Cæsarei, sive Superioris in spiritualibus, duobus etiam adhibitis Testibus. Ex hoc autem conjugio gemina soboles progenita jam fuit.

Sed cum uterque Romam venerit, subortisque inter eos dissidiis, Barbara collocata fuerit in pia Domo S. Honuphrii, Josephus declarari postulat irritum fuisse Matrimonium, utpote non contractum coram proprio Parocho, quemadmodum per Tridentinas leges sancitum est.

Quæstionis itaque cardo in eo vertitur, an Parochi vice, atque officio fungi rite potuerit Cappellanus Exercitus Cæsarei. Id enim negat Josephus, quia Matrimonium non fuit initum inter personas militares, aut ullo modo subjectas eidem Cappellano. Privilegiis vero militaribus, quæ ratione officii competere valuerint priori viro Barbaræ Margaritæ, eo demortuo, potiri non videtur potuisse mulier, quæ ejus conjux fuerat, ut probant *Scoppa ad controverſ. Merlin. Pignatt. ad cap.94. num.* . . , *& seqq. to.*1., *Calderon. dec.*76. *num.*15. *tom.*2.

Ad hæc accedit, quod Cappellani Exercitus, quamvis ex Apostolico Diplomate præditi facultate administrandi Sacramenta militaribus personis, adeoque subrogati in locum Parochi, non videntur posse assistere Matrimoniis, dum milites ea ineuntes non sunt in actuali expeditione, sed morantur in castris, aut in hybernis stationibus, vel in arcibus, & præsidiis, nisi, & hoc peculiariter concessum a Sede Apostolica eis fuerit, ut notant *Reinfestuell. in Jus Can. Tom.*4. *tit.*3.

de

de clandest. desp. §.2. *num*.97., *Smalzgrub. eod. loco n*.165.,*&* *seqq. Eminentissimus Petra Tom*.2. *ad Constit*.13. *Inn.III. Rot. in Leodien. Matrimonii* 2. *Maii* 1732. §.5. *cor. R. P. D. Corio*.

Pluries hac de re in hac Sac. Congregatione actum fuit. In *Mediolanen.* die 11. Decembris 1677. proposito dubio -- *An sit validum Matrimonium contractum a Milite in statione degente coram Cappellano seu Tertii* -- rescriptum fuit -- „ Matrimonium Melitum quocumque loco „ existentium, quocumque loco contrahenda, fore nulla, nisi doceatur de sufficienti facultate, aut privilegio. Quoad Matrimonia „ præterita particulariter videatur, & hoc scribatur Eminentissimo „ Archiepiscopo Mediolanen., qui aliis Episcopis prudenter communicet -- „, ut in lib.29. Decret. pag.552.

In *Belgii Matrimoniorum* anno 1683., & rursus anno 1690. quid circa hujusmodi controversiam examinatum, definutumque fuerit, fuse enarrat *Eminentiss. Petra ad Const. Apost. Tom*.2. *ad Const*.12. *Innoc.III. n*.4.16., *&* 17.

Die 6. Martii 1694. proposita fuerunt aliquot generalia Dubia circa Cappellanos Exercitus, videlicet.

I. An Cappellani cujusvis exercitus, sive Regulares, sive Sæculares Catholici possint administrare Militibus in præsidiis degentibus Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis, sine speciali facultate Sedis Apostolicæ, vel licentia, & approbatione Ordinarii, in cujus Diœcesi extare contigerit.

II. An assistere Matrimoniis Militum cujuscumque nationis degentium in præsidiis cum Militaribus fœminis sine d. facultate Apostolica, & præcedenti probatione status liberi, ejusque recognitione coram Ordinario loci, & licentia Parochi, sub cujus Parochia maneant.

III. An idem cum Militibus degentibus in castris, & stationibus hybernis, vel æstivis.

IV. An idem cum Militibus in actuali expeditione positis.

V. An idem cum Militibus nubere volentibus cum fœminis non militaribus, sed Italis originariis loci seu Diœcesis, in qua reperiuntur.

VI. An Milites acatholici cum acatholicis contrahentes teneantur servare formam præscriptam in Sac. Concilio Tridentino.

VII. An eo magis acatholici contrahentes cum catholicis mulieribus militaribus, & non militaribus in præsidiis castris, & expeditione manentes.

VIII. An Cappellani acatholici assistere possint Matrimoniis acatholicorum cum acatholicis, & respective catholicis etiam intra fines Italiæ: *&* *quatenus negative in omnibus præter* VI. *&* VII.

IX. An, & quid pro sanatione gestorum in præteritum, & in futurum super præfatis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum, & statuendum sit.

Die 6. *Martii* 1694. *Sacra Congregatio rescripsit ad* I. II. III. IV. V. *&* VIII. *Negative*; *Ad* VI. *Affirmative in locis, ubi publicatum fuit Concilium juxta Decretum Sacræ Congregationis* 26. *Septembris* 1602. *ad* III. *Dubium, approbante S. M. Clemente* VIII. *Ad* VII. *Affirmative, seu ulterius indigere dispensatione, ut præfata Matrimonia licite contrahantur. Ad* IX. *in præteritum censuit non esse inquietandas conscientias quoad Sacramentum pœnitentiæ; quo vero ad Matrimonia inita sine speciali facultate Apostolica, vel sine licentia Ordinarii loci, vel Parochi non servata forma Sac. Concilii Triden-*

tini in Cap. 1. *Seß.* 24. *de reformat. Matrim. pro sanatione, si Sanctiß. D. N. placuerit, renovato tamen consensu, etiam coram Confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis dicti consensus Parocho illius loci, in quo fieri contingat hujusmodi renovatio. Proviso in futurum differatur in prima proxima Congregatione, in qua consulendum erit, ac deliberandum*, ut in *lib.* 44. *Decret. fol.* 79. Die autem 20. Martii quo ad provisionem, & sanationem rescriptum fuit -- *Ad Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem* -- ut eodem *lib. pag.* 199.

Alter casus Matrimonii initi coram Cappellano militum Laudæ degentium in statione fuit examinatus sub hoc titulo -. *Dubium Matrimonii* -- die 7., & 21. Maii, & 30. Julii 1701., cumque disceptaremur -- *An Matrimonium contractum inter Augustinum Antonium, & Margaritam sit validum* --, rescriptum fuit -- *Non constare de validitate* --, ut in *lib.* 51. *Decr. pag.* 236. 268. & 414., & die 3. Septembris 1707. responsum fuit -- *in decisis* --, ut in *lib.* 57. *Decr. pag.* 332.

In *Frisingen.* cum occasione transitus, aut stationis Hybernæ militum contenderent Cappellani Exercitus sibi licere Matrimoniis assistere absque præviis denunciationibus, & sine licentia Ordinarii, aut Parochi, Episcopus petiit declarari, num idesset permittendum. Die autem 29. Januarii 1707. S. Congregatio respondit -- *Dandum esse Decretum editum die* 6. *Martii* 1694. quod supra fuit exscriptum, ut in *lib.* 57. *Decr. pag.* 32.

Denique eadem quæstio iterum discussa fuit in *Barchinonen. Matrimonii die* 4. *Decembris* 1723. circa Matrimonium Barchinone contractum anno 1688. coram Cappellano legionis Germanicæ, propositoque Dubio -- *An constet de nullitate Matrimonii* -- rescriptum fuit -- *Affirmative* --, ut in *lib.* 73. *Decret. pag.* 609.

Non abs re etiam erit novisse, quibusnam conditionibus concepta sint recentiora Indulta, quæ facultates a Sede Apostolica tributas explicant. Litteræ enim S. M. Benedicti XIII. expeditæ die 26. Septembris 1729. pro Cappellano majori Exercituum Cæsareorum primo loco declarant, facultates nominatim postea expressas ab ipso Cappellano Majori, vel ab aliis Sacerdotibus ab eo subdelegandis exercendas esse *dumtaxat erga Milites, aliasque utriusque sexus personas, ad dictos Exercitus comprehensis etiam copiis auxiliaribus, quomodolibet spectantes*. Sinhulas postea recensent facultates, ac præsertim illam, ut Sacerdotes a prædicto Cappellano Majori substituendi, in eas personas Parochi vice, & officio perfungantur, administrando etiam omnia Sacramenta, quæ nonnisi per Rectores Ecclesiarum Parochialium ministrari consueverunt, cæterasque functiones, & munia Parochialia obeundo. Postremo hanc habent clausulam -- ,, Volumus autem, ut
,, ii Sacerdotes, quos idem Cappellanus major pro Sacramentis etiam
,, Parochialibus, Militibus, aliisque personis quibuscumque dictorum Exercituum ministrandis, ut præfertur, deputandas duxerit,
,, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti valeat erga Milites
,, præsidiarios, qui continue arcium, seu aliorum locorum custodiæ
,, adscripti, quos eorumdem locorum Parochis, & Ordinariis in omnibus, & per omnia subesse declaramus, sed dumtaxat erga Milites, & personas Exercituum prædictorum ad vagas belli operationes destinatos, tum ubi in actuali expeditione reperiuntur, tum
,, etiam cum in quibuslibet accidentalibus, & temporaneis, sive hybernis

„ bernis , sive æstivis, aut etiam præsidialibus stationibus pro tempo-
„ re detinebuntur ; ita tamen ut statim atque iidem Sacerdotes, quas
„ Cappellanus major subdelegaverit , ad temporaneas illas statio-
„ nes pervenerint , litteras testimoniales , tam super eorum Sacerdo-
„ tio , quam super sua deputatione , ac facultatibus sibi vigore præ-
„ sentium concessis pro ejusmodi munere exercendo Parochis loco-
„ rum exhibere debeant ; Quibus visis hi non impediant , quominus
„ Missam in suis Ecclesiis celebrare , ac in vim earumdem facultatum
„ Sacramenta etiam Parochialia ministrare valeant , quod si eo tem-
„ pore Matrimonium inter personas , quarum altera militaris, seu ad
„ dictos Exercitus pertineat, ibique occasione stationum prædicta-
„ rum commoretur , altera vero Parocho loci subdita reperiatur ,
„ contrahi contingat, eo casu, nec Parochus sine Sacerdote hujusmo-
„ di , nec vicissim Sacerdos sine Parocho celebrationi ejusmodi Ma-
„ trimonii assistat , aut benedictionem impertiatur , sed ambo simul ,
„ atque æqualiter stolæ emolumenta , si quæ licite percipi soleant,ac-
„ cipiant , & inter se divideant .

Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus ,juxta morem Sacræ Congregationis auditus , a suffragio proferendo abstinuit . Illud tamen exposuit Eminentissimus Urbis Vicarius , itidem rogatus sententiam suam aperire, censuitque Matrimonium esse irritum, quippe quod non fuerit initum coram Parocho contrahentium , ut per Tridentinas leges sancitum est . Addit tamen Eminencia sua examinatione dignum esse , an Josephus Pompejus cogi possit ad legitime iterum contrahendum Matrimonium cum eadem Barbara Margarita . Quamvis enim ex Matrimonio contracto contra normam a Sac. Concilio præscriptam nulla oriatur obligatio ratione contractus, restat tamen videndum,an, & quomodo Josephus teneatur sarcire damnum illatum Mulieri , quæ fortasse expers culpæ fuit , cum verisimile sit ei ignotam fuisse sanctionem Tridentini Concilii , quod nec in Anglia , ubi ea ortum , nec in Britannia , ubi vixit cum priori marito , fuit promulgatum . Ad quæstionem hanc pertinere possunt ea , quæ habentur apud *Navar. cons.*3. *n.*4. *de Cland. despons.* , *Sanchez. de Matrim. lib.*1. *disput.*20. *n.*5., *Pont. de matrim. lib.*2. *cap.*5. *num.*3., *& seqq. Rosignol. de Matrim. Tom.*1. *disquisit.*3. §.27. *La Croix.lib.*6. *par.*3.*n.*257. *Card. de Luc. de matrim. disc.*3. *n.*23. , *& annot. ad Cincil. Trid. disc.*26. *n.*34.

Deliberandum itaque erit .

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Dilata ad sequentem , & ad D. Secretarium juxta mentem .

ASTEN. DISMEMBRATIONIS PAROCHIÆ , Gregis saluti prospiciens Episcopus veterem Parochiam *Pamparati* dividendam esse decrevit , & jure , ac titulo Parochiali augendam Ecclesiam Divo Antonio sacram in Pago , quem vocant -- *Serra* -- . De hoc Decreto, quod acriter impugnabatur a Parocho , actum in hac Sac. Congregatione fuit die 6. Decembris 1732. Sed resolutioni moram injecit oblatio Comitis Corderii, (cui Oppidum illud Pamparati subest) de fundanda , ac dotanda Cappellania , cujus Rector auxiliarem operam præstare deberet in Sacramentis ministrandis populo in remotiori Parochiæ parte degenti . *Sess.*21.*c.*1. *de ref.*

Cum vero in alia Congregatione habita die 16. Maii proxime præteriti

 pro-

propositum fuisset Instrumentum fundationis hujusmodi Cappellaniæ, plures quoque continens conditiones ab ipso Fundatore præscriptas, ut deliberaretur, an fundatio sic facta esset probanda, & an per eam satis foret consultum necessitati Parochianorum, suspensa fuit decisio, ut prius ea de re audiretur Episcopus.

At Episcopus respondet admittendam nullo pacto esse fundationem illam Cappellaniæ, quia (ut ait), a viris fide digis excepit, bona in dotem assignata non esse libera. Addit per hujus Cappellaniæ institutionem haud quamquam satisfactum iri spirituali incolumitati gregis, sed ad id omnino oportere novam erigi Parochiam, cui dotem idoneam jam obtulit pia liberalitas Antonii Mariæ Bertolotti, qui præterea spopondit se cumulate compensaturum quidquid detrimenti Parochus Pamparati posset accipere ex sectione parochiæ, ratione etiam incertorum proventuum. Denique implorat Episcopus auctoritatem Sac. Congregationis, ne eludatur Decretum, quod de nova Parochia instituenda editum ab eo fuit, ob exploratam, perspectamque necessitatem, quam imponit longinquitas, & maxima arduitas viæ, hæc ipsa subiiciens verba *Necessitas novæ Parochiæ motiva aliàs sincero corde exposui, prout sunt decessus infantium sine Baptismo, adultorum sine Sacramentorum auxilio, necnon in multis etiam provectæ ætatis principalium fidei rudimentorum ignorantia, & similia* --, atque ita concludit -- *Hæc sentio, hæc in exonus conscientiæ meæ, ne coram Deo illarum animarum perditionis correus fiam, reverenter expono.*

Decidenda igitur sunt dubia aliàs proposita.

I. An dismembratio, & erectio novæ Parochiæ sustineatur in casu &c.
Et quatenus negative.

II. An Parochus pro tempore Ecclesiæ Pamparati cogi debeat retinere in Ecclesia S. Antonii coadjutorem pro administratione Sacramentorum, & cujus sumptibus in casu &c.

Dilata, & adhibeantur novæ diligentiæ juxta instructionem; necnon Episcopus per se ipsum recognoscat locum, de quo agitur.

Sess. 22. c. 6. de ref.

FIRMANA CAPPELLANIÆ. Cum Cappellaniam, quam Leonardus Justinianus fundari jusserat in Ecclesia Sanctissimi Rosarii existente in Castro Montis Rainaldi Diœcesis Firmanæ, hæredes transferri posse impetraverint ad alteram Ecclesiam in Podio Donadei Diœcesis Sabinensis juxta Rescriptum a Sac. Congregatione editum die 2. Augusti 1727., proposito tamen die 18. Julii proxime præteriti hoc Dubio -- *An sit standum, vel recedendum a decisis* -- ita responsum fuit -- *Recedendum a decisis, & hæredes cogantur juris remediis ad adimplendam piam dispositionem defuncti, necnon ad reddendam rationem de fructibus perceptis.*

Non acquiescentibus hæredibus, videndum hodie erit.
An sit standum inprimo, vel in secundo loco decisis in casu &c.

In secundo loco decisis, & amplius.

Sess. 22. c. 5. de ref.

AVENIONEN. Agitur hæc Causa inter Canonicos, & Beneficiatos Collegiatæ Ecclesiæ S. Agricolæ. Quæ nam vero sint controversiæ utrinque excitatæ, ipsa quæ mox referentur Dubia patefacient.

I. An punctaturæ indictæ per Præcentorem contra Isnard Beneficiatum Hebdomadarium sustineantur.

II. An punctaturæ per eumdem Præcentorem indictæ contra Rousset, Astier, & Moulet Beneficiatos sustineantur.

III. An pœna privationis distributionum quindecim dierum, bis imposita per Capitulum Practicou Beneficiato hebdomadario sustineatur.

IV. An, & quomodo Beneficiati gaudere debeant semel in hebdomada vacatione a matutinis.

V. An Canonici cappas gestantes in festivitatibus teneantur præintonare Antiphonas, necnon intonare Psalmos, & hymnos, & versiculos.

VI. An Massa Capitularis sit communis inter Canonicos, & Beneficiatos: *& quatenus affirmative*.

VII. An, & quomodo communicatio computorum, & exhibitio librorum in his, quæ respiciunt Massam Capitularem, sit facienda beneficiatis.

VIII. An Canonici administratores, qui pro tempore fuerunt ab anno 1720. usque ad annum 1727. restituere teneantur Massæ Capitulari residua frumenti vulgo Revenant. Bon.

IX. Quibus expensis lis prædictæ restitutionis sustineri debeat.

X. An redditus fundationum, tam particularium pro Canonicis, quam aliarum fundationum pro Missis administrari debeant distincte a redditibus Massæ Capitularis.

XI. An distributio salis fieri debeat Beneficiatis in duabus ex tribus partibus, quæ dantur Canonicis, vel potius sint servandæ assertæ resolutiones Capitulares annorum 1641., & 1688., & assertum Decretum Vicarii generalis desuper emanatum anno 1680.

XII. An distributio emolumentorum ex funeribus fieri debeat unicuique beneficiato, pluviali induto, in duabus ex tribus partibus, quæ dantur Canonico Officium facienti.

XIII. An Canonicis administratoribus bonificari debeat una salmata pro centenis salmatis frumenti, necnon honorarium viginti quatuor scutorum primo ex dictis Administratoribus.

XIV. An Canonico pulsanti Organa, præter distributiones, debeatur honorarium, & in qua summa.

XV. An vacationes intra annum debeant esse æquales, tam Canonicis, quam Beneficiatis.

XVI. An eleemosynæ Missarum, tam adventitiarum, quam fundatarum integre dari debeant celebrantibus, vel potius an, & quæ pars detrahi possit, & in quem usum applicanda sit.

XVII. An Canonicus supranumerarius, qui ex lege fundationis tenetur quotidie per se, vel per alium celebrare pro Fundatrice, possit describi in Tabella ad celebrandas alias Missas in eadem Ecclesia fundatas, *& quatenus affirmative*.

XVIII. An Sacerdoti celebranti pro eo Missam Tabellæ possit dare unam partem eleemosynæ, retenta sibi altera.

XIX. Per quem fieri debeat punctatio in Officiis, quibus Præcentor non assistit.

Non proposita.

Die

Die Sabbathi 19. Septembris 1733.

Seſſ.24. c.1. de ref.



NEAPOLITANA MATRIMONII In Folio poſtremæ Congregationis habitæ die 29. Auguſti, ſatis expoſita fuit controverſia, quæ pertinet ad Matrimonium tribus ab hinc annis initum inter Joſephum Pompejum, & Barbaram Margaritam Kreagh. Additum vero etiam eſt alterum Dubium, peculiari quidem diſcuſſione dignum. Quamvis enim conjugalem contractum, qui non fuerit initus coram Parocho contrahentium, Tridentina Synodus omnino irritum, atque invalidum fecerit, juxta ſanctionem editam in *Cap.* 1. *Seſſ.*24. *de ref.matrim.*; proindeque ex Matrimonio clandeſtino nulla oriatur obligatio, ratione, & vi ipſius contractus; poteſt tamen aliquando contingere, ut ſi vir dolo malo fœminam, a culpa immunem, & in bona fide verſantem, adduxerit ad Matrimonium ineundum contra normam a Sacroſancto Concilio præſcriptam, juſtitiæ ratio poſtulet damnum inde illatum mulieri eſſe reparandum. Itemque fieri ob peculiares circumſtantias quandoque poteſt, ut hujuſmodi damnum non aliter ſarciri plene, & ex æquo valeat, quam rite rurſus contrahendo Matrimonium cum eadem fœmina. Ad hanc quæſtionem expediendam conferre poſſunt ea, quæ tractant non ſolum Doctores in præcedenti Folio indicati ſed etiam *Vaſquez in Opuſc. moral. de reſtit. cap.*3. §.1. *Dub.*6. *Card. de Lugo de juſt.,& jur. tom.*1.*Diſp.*12. *ſect.*2. *n.*3. *cum duobus ſeqq.*

Deliberandum itaque erit.

I. An conſtet de nullitate Matrimonii. *Et quatenus affirmative.*

II. An Joſephus teneatur, & cogi poſſit ad Matrimonium rite iterum contrahendum cum Barbara Margarita in caſu &c.

Ad primum affirmative, & amplius. Ad ſecundum Dilata, & coadjuventur probationes juxta mentem.

Seſſ.25. c.12. de Ref.

CAPUTAQUEN. CONCORDIÆ. Die 28. Februarii vertentis anni cenſuit Sac. Congregatio concordiam initam inter duas Parochiales Eccleſias Sicignani, cum aliqua tamen moderatione, eſſe approbandam. Ad dubium quippe tunc propoſitum -- *An concordia ſit confirmanda* -- reſcriptum fuit -- *Affirmative, ita tamen ut cura habitualis ſit ſolum penes Archipresbyterum, & Primicerium, necnon retineatur Cantor in utraque Eccleſia.*

Cum vero maxime expediat finem imponi controverſiis, quæ non ſine eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimento, & ſpirituali gregis incommodo, diu Clerum illius oppidi perturbarunt, idcirco hodie perpendi oportet,

An, & quomodo ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis die 28. *Februarii* 1733.

In deciſis juxta modum ab Eminentiſſimo Belluga declarandum, & amplius.

NEA-

NEAPOLITANA MATRIMONII. Contendente Gratia Mautona legitime initas fuisse nuptias inter eam, ac Cæsarem Lucianum, qui constanter negabat, se fuisse hominem illum, quo mulier Matrimonium raptim contraxit, Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus, Consultoribus suis non in unam opinionem convenientibus, rem integram detulit ad hanc Sac. Congregationem. Facti autem species strictim fuit exposita in Folio diei 13. Junii proxime præteriti. Addenda tamen est hæc non levis circumstantia, quod scilicet, antequam contraheretur Matrimonium, de quo agitur quæstio, non solum sponsalia Cæsar cum ipsa Gratia inierat, sed etiam trina proclamatio de Matrimonio inter eos celebrando facta fuerat in Ecclesia Parochiali, cui subest fœmina. Sess. 24. c. 1. de ref.

Tunc itaque dilata propositione Causæ, ut inopiae mulieris defensioni consultum esset, hodie decidendum erit.

An constet de Matrimonio contracto inter Cæsarem Lucianum, & Gratiam Mautonam, ejusque validitate in casu &c.

Negative.

AVENIONEN. Hodierno reservata fuit examini Causa, hæc cui discutiendæ impar fuit tempus postremæ Congregationis. Ea, de quibus disceptatur hæc sunt. Sess. 22. c. 3. de ref.

I. An punctaturæ indictæ per Præcentorem contra Isnard Beneficiatum Hebdomadarium sustineantur.

II. An punctaturæ per eumdem Præcentorem indictæ contra Rousset, Astier, & Moulet Beneficiatos sustineantur.

III. An pœna privationis distributionum quindecim dierum, bis imposita per Capitulum Practicou Beneficiato hebdomadario sustineatur.

IV. An, & quomodo Beneficiati gaudere debeant semel in hebdomada vacatione a matutinis.

V. An Canonici cappas gestantes in festivitatibus teneantur præintonare Antiphonas, necnon intonare Psalmos, & hymnos, & versiculos.

VI. An Massa Capitularis sit communis inter Canonicos, & Beneficiatos: *& quatenus affirmative*.

VII. An, & quomodo communicatio computorum, & exhibitio librorum in his, quæ respiciunt Massam Capitularem, sit facienda beneficiatis.

VIII. An Canonici administratores, qui pro tempore fuerunt ab anno 1720. usque ad annum 1727. restituere teneantur Massæ Capitulari residua frumenti vulgo Revenant. Bon.

IX. Quibus expensis lis prædictæ restitutionis sustineri debeat.

X. An redditus fundationum, tam particularium pro Canonicis, quam aliarum fundationum pro Missis administrari debeant distincte a redditibus Massæ Capitularis.

XI. An distributio salis fieri debeat Beneficiatis in duabus ex tribus partibus, quæ dantur Canonicis, vel potius sint servandæ assertæ resolutiones Capitulares annorum 1641., & 1688., & assertum Decretum Vicarii generalis desuper emanatum anno 1680.

XII. An distributio emolumentorum ex funeribus fieri debeat unicuique beneficiato, pluviali induto, in duabus ex tribus partibus, quæ dantur Canonico Officium facienti.

XIII. An Canonicis administratoribus bonificari debeat una salmata pro centenis salmatis frumenti, necnon honorarium viginti quatuor scutorum primo ex dictis Administratoribus.

XIV. An Canonico pulsanti Organa, præter distributiones, debeatur honorarium, & in qua summa.

XV. An vacationes intra annum debeant esse æquales, tam Canonicis, quam Beneficiatis.

XVI. An eleemosynæ Missarum, tam adventitiarum, quam fundatarum integre dari debeant celebrantibus, vel potius an, & quæ pars detrahi possit, & in quem usum applicanda sit.

XVII. An Canonicus supranumerarius, qui ex lege fundationis tenetur quotidie per se, vel per alium celebrare pro Fundatrice, possit describi in Tabella ad celebrandas alias Missas in eadem Ecclesia fundatas, *& quatenus affirmative*.

XVIII. An Sacerdoti celebranti pro eo Missam Tabellæ possit dare unam partem eleemosynæ, retenta sibi altera.

XIX. Per quem fieri debeat punctatio in Officiis, quibus Præcentor non assistit.

Ad primum negative. Ad secundum negative ex gratia, & in posterum servetur Cæremoniale Episcoporum. Ad tertium affirmative. Ad quartum affirmative, ita tamen ut saltem duæ ex tribus partibus Beneficiatorum semper intersint. Ad quintum negative. Ad sextum affirmative quoad participationem, *&* negative quoad administrationem, sed hanc spectare ad solos Canonicos. Ad septimum affirmative, & quoad modum provideat Archiepiscopus. Ad octavum negative. Ad nonum provisum in superiori. Ad X. affirmative retentis per eumdem Administratorem distinctis Computis. Ad XI. XII. & XIII. servetur solitum. Ad XIV. dentur decreta. Ad XV. servetur solitum. Ad XVI. dilata, & videatur particulariter. Ad XVII. affirmative. Ad XVIII. provisum in præcedenti. Ad XIX. per Digniorem præsentem, & amplius in omnibus.

Sess. 21. c. 8 de ref.

GUARDIEN. Controversias, tum superiori tempore agitatas, tum quæ in præsentia adhuc vigent, inter Episcopum, & Equitem Hierosolymitanum, Præpositum Commendæ S. Primiani in Oppido Aquaviva, singulatim retulit Folium Congregationis habitæ die 24. Maii 1732. Proposita autem Causa die 28. Martii proxime præteriti, rescriptum fuit -- *Dilata, & coadjuventur probationes*. --. Non enim satis liquere visum est, an Ecclesia Parochialis ejusdem Oppidi pleno jure pertineat ad Religionem Hierosolymitanam; adeoque exempta sit ab ordinaria jurisdictione Episcopi.

Novis igitur documentis, quæ proferentur, inspectis. definiendum erit.

I. An Episcopus Guardien. possit exigere subsidium charitativum ab Ecclesia S. Joannis Oppidi Aquavivæ.

II. An idem Episcopus possit exigere Cathedraticum, seu Synodaticum a dicta Ecclesia, ejusque Parocho.

III. An idem Episcopus in actu Visitationis faciendæ possit exigere Procurationem.

IV. An dictus Episcopus in eadem Visitatione possit recognoscere libros admi-

administrationis bonorum ejusdem Ecclesiæ, ejusque rationem petere in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

ULYSSIPONEN. OCCIDENTALIS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Nec rite, nec valide nuncupata a se fuisse Vota in Theatinorum Congregatione, exposuit Petrus de Oliolis, petens propterea facultatem sibi tribui impugnandi Professionem, viginti, & amplius ab hinc annis emissam; censuitque Sac. Congregat o die 27. Junii proxime præteriti indulgendam ei esse restitutionem in integrum. *Sess.26. c.15. de Regul. & Monial.*

Huic tamen Rescripto non acquiescit Collegium, in quo Petrus nomen eidem sacræ Familiæ dedit, quodque tametsi monitum, nihil objecerat in anteacta Causæ propositione.

Quamobrem perpensis nunc exceptionibus ab ipso Collegio in medium proferendis, determinabitur ab EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 27. *Junii* 1733.

FABRIANEN. FONTIS BAPTISMALIS. Constructo novo Fonte Baptismali a Monachis Camaldulensibus in Parochiali Ecclesia S. Blasii, idque impugnante Capitulo Cathedrali, die 21. Junii superioris anni disputatum fuit. *Sess.13. c.34. de ref.*

I. An erectio Fontis baptismalis facta in Ecclesia Parochiali S. Blasii substineatur.

II. An liceat Parocho, & aliis de Capitulo Ecclesiæ Cathedralis S. Venantii in ea baptizare infantes natos in alienis Parochiis, etiam Fontem Baptismalem habentibus, seu potius spectet privative ad unumquemque Parochum habentem Fontem in sua Ecclesia, Baptismum conferre propriis Parochianis in casu &c.

Rescriptumque fuit -- *Ad* I. *negative*. *Ad secundum servetur solitum*.

Causa rursus proposita die 22. Novembris ejusdem anni, ad I. Dubium *recessum fuit a decisis*. Ad II. vero *dilata fuit resolutia*.

Denique die 2. Maii labentis anni Sac. Congregatio respondit -- *An* I. *standum esse in secundo loco decisis*. Ad II. vero -- *Præfigatur ab Episc. po terminus aliis Ecclesiis Parochialibus ad deducendum jura sua in Sac. Congregatione*.

Paruit Episcopus, idque indixit, tum Capitulo Parochialis, & Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai, tum etiam Monachis alterius Parochialis Ecclesiæ S. Benedicti.

Ceterum Capitulum illud S. Nicolai jam declaravit placere sibi, quod deinceps in unaquaque Parochiali Ecclesia infantes ei tantum subjecti salutaribus abluantur aquis.

Videndum itaque erit.

An ad II. Dubium sit standum, vel recedendum a decisis die 21. *Junii* 1732. *in casu &c.*

PHARAONEN. JURISDICTIONIS. Volens Eminentissimus Pereyra Episcopus interesse electioni Antistitæ in Cœnobio Monialium Cistercienfium, quæ a Religiosis ejusdem Ordinis reguntur, itemque reposcere rationes administrationis bonorum, ac denique examini subiicere, & approbare eos, qui excipiendis ipsarum Monia- *Sess.25. c.9. de Regul. & Monial.*

 lium

lium confessio nibus destinati sint, contradictores expertus est Præsides ejusdem Cisterciensis Familiæ, Itaque ad hanc Sac. Congregationem controversia delata est.

Quantum attinet ad primum, extat Constitutio 18. Gregorii XV. quæ incipit: *Inscrutabili; Bullar. Tom.4.* ubi §.5. ita cavetur. *Ac similiter possit Episcopus, una cum Superioribus Regularibus, quarumcumque Abbatissarum, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorumdem Monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere; absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.*

Itaque in *Conimbrien. die 16. Julii 1639.* ad IV. Dubium rescriptum fuit -- *Episcopum præsidere debere ad præscriptum Constitutionis S. M. Gregorii XV. de Exempt. Privileg. electioni Abbatissæ, vel Priorissæ Monasteriorum Monialium, etiam exemptorum a jurisdictione ipsius Episcopi,* ut in *lib.16. Decret. pag.235.* Atque ita etiam respondit Sacra Congregatio in *Hieracen. Visitationis 26. Januarii 1692. ad VIII. Dubium*, ubi tamen etiam fuit declaratum, non fuisse. Gregoriana Constitutione attributum Episcopis jus confirmandi Abbatissas, quarum electioni præsidere possunt, si Monasteria ab Ordinarii jurisdictione exempta sint, ut in *lib.42. Decr. pag.48.*

Quo vero ad explorandam administrationem bonorum ad ipsa Monasteria spectantium, eadem Bulla Gregoriana in §.5. hæc habet -- *Sed & administrantes bona ad ejusmodi Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subjectarum pertinentia, sive Regulares extiterint, sive Seculares, quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque Juris remediis cogi, & compelli queant.*

Circa id tamen modum adhibendum explicavit Sac. Congregatio in d. *Hieracen. Visitationis* 26. Januarii 1692. Disceptato enim hoc II. Dubio -- *An possit Episcopus Administratores redditum Monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis Superioribus Monasterii, eosdemque Administratores removere, quatenus iidem Superiores interpellati id renuant facere,* -- responsum fuit -- *Ad II. quoad primam partem negative, quo vero ad secundam affirmative,* ut in *lib.42. Decret. pag.46.*

Denique quo ad Regulares audiendis confessionibus Monialium destinatos, in eadem Constitutione Gregorii XV. d. §. ita statuitur -- *Confessores vero, sive Sæculares, sive Regulares, quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineat.*

Idque etiam edixit Clemens X. in Constit.7. quæ incipit -- *Supirna*; §.4. his verbis. *Religiosos generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quo ad hoc speciali Episcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii minime posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta*

depu-

deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Hæc cum satis clara, & aperta sint pro Eminentissimo Episcopo, duæ tamen objectiones a Regularibus proponuntur. Altera depromitur ab Apostolico Brevi Urbani VII., qui anno 1626. jussit supersederi executione memoratæ Constitutionis Gregorii XV. in Lusitano Regnò, donec aliter vel a se, vel a Successoribus provisum fuisset.

At respondet Eminentissimus Episcopus hujusmodi suspensionem jam cessasse, ac de medio sublatam fuisse, cum per Decretum hujus Sac. Congregationis editum anno 1639. sub eodem Pontifice Urbano VIII. in d. *Conimbrien.* demandata fuerit executio ejusdem Gregorianæ Bullæ; cumque etiam postea Clemens X. ad removendas contentiones, & controversias circa ipsam Gregorianam Constitutionem subortas, legem generalem illam tulerit, quam continet citata Constitutio 7.

Obiiciunt præterea Cistercienses non consuevisse hactenus Episcopos Pharaonenses se se interponere iis, de quibus jus sibi competere putat Eminentissimus Pereyra. Verum ex quo alii prædecessores Antistites usi non fuerint ea potestate, qua uti potuissent, censeri nequit (ut inquit Eminentissimus Pereyra) abrogata facultas, ipsi quoque attributa a Pontificiis illis Constitutionibus.

Non semel etiam declaravit hæc Sac. Congregatio nullam esse habendam rationem de consuetudine contraria iis, quæ in Bulla Gregoriana sancita sunt. Siquidem in *Cadurcen.* 12. *Julii* 1658. ad II. Dubium ita rescripsit -- *Confessarios etiam extraordinarios Monialium, etiam Regularibus subjectarum, post Constitutionem Gregorii XV. hac de re editam, nullatenus posse earum confessiones audire, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbentur, non obstante quacumque contraria consuetudine*, ut in *lib.*19. *Decret. pag.*60.

In Neapolitana Exactionis rationum. 11. *Martii* 1673. proposito hoc Dubio -- *An non obstante prætenso non usu, liceat Eminentissimo Archiepiscopo ad formam Constitutionis Gregorii XV. exigere rationes administrationi bonorum Monialium Regularibus subjectarum* --, responsum fuit -- *Affirmative*, ut in *lib.*28. *Decret. pag.*40.

Postremo in *Vratislavien.* 30. *Januarii* 1723. definitum fuit approbationem Confessariorum pro Monialibus subjectis Abbati Lubensi Ordinis Cisterciensis petendam ab Ordinario esse, non refragante consuetudine contraria, quam Abbas contendebat immemorabilem, ut in *lib.*73. *Decr. pag.*31. Et recte quidem, quia in prædicta Bulla Clementis X. §.9. expresse derogatum legitur cuicumque consuetudini, etiam immemorabili. Quare in Constitutione San. Me. Innocentii XIII. pro Hispanis Regnis edita, quæ incipit: *Apostolici Ministerii* §.18. sic cautum legitur -- *Meminerit quoque Regulares se excipere non posse confessiones Monialium, tametsi eorum regimini, & gubernio subjectæ sint, nisi ultra licentiam suorum Prælatorum Regularium, præcedat examen coram Episcopo Diœcesano faciendum, ejusque specialis quoad confessiones dictarum Monialium approbatio; remota quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili.*

Pertinet igitur ad EE. VV. determinare.

I. An Eminentissimus Episcopus interesse posita, tam per se quam per alium, electionibus Abbatissarum, vel Priorissarum Monasteriorum Monialium Regularibus Ordinis Cisterciensis subjectarum.

 II. An

II. An liceat eidem petere rationes administrationis bonorum ipsorum Monasteriorum.

III. An idem Eminentissimus Ordinarius possit inhibere Regularibus, ne sine prævia ejus approbatione excipiant confessiones Monialium etiam subjectarum regimini ipsorum Regularium, non obstante asserto Brevi Urbani VIII., atque prætensa consuetudine in casu &c.

Sess.25. c.19. de Regul.

CREMEN., SEU VERONEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Bernardinus Provezzus, Livius deinde appellatus, die 6. Augusti 1713. solemnia vota nuncupavit, uti domesticus coadjutor, sive, ut ajunt, Conversus, in Veronensi Monasterio Canonicorum Lateranensium. At anno 1723. postulavit sibi tribui potestatem impugnandi validitatem emissæ Professionis; cumque Episcopus Veronensis ex hujus S. Congregationis mandato Processum confecerit, siluit deinde Livius. Nunc vero post decem circiter annos iterum instat, ut in integrum restituatur ad Professionem convellendam.

Validitati putat refragari ætatem haud legitimam. Natus quippe Cremæ asseritur die 30. Novembris 1692. proindeque deerant tres menses, & vigintiquatuor dies perficiendo spatio unius, & viginti annorum, in qua ætate constitutos esse debere Conversos ad Professionem admittendos, deducitur ex *Constit.*83. *Clementis VIII.* §.34. *in Bullar. Tom.*3.

Est tamen primo loco animadvertendum, quod de certa ætate Livii non affertur documentum depromptum ex Parochiali libro, in quo recenseri solent infantes Religionis Christianæ sacris initiati (deest enim talis liber, bellico jamdudum absumptus incendio) sed solum exhibetur syngrapha die 5. Decembris 1709. scripta a Rectore Parochialis Ecclesiæ, cui suberat Livius; eaque est his verbis concepta -- *Attesto io infrascritto con mio giuramento, non già come apparisce dal libro de Battezzati di questa cura di S. Pietro di Ricegno di Crema, per esser stato questo abbruciato dalle truppe straniere, ma bensì dalla f.de datami da Gio. Battista Givaldo, e Lorenzo Samarano, ambedue seniori di detta Curia, come Bernardino figliuolo di Antonio Provezzo, e di Maria Giugali, fù battezzato in questa Chiesa Parochiale di Ricegno l' anno 1692. li 30. Novembre in circa.*

Ambo ii, a quibus Parochus id accepisse inquit, jam vivere desierunt; nec resciri potest, an oculati testes fuerint, vel quanam alia ratione compertum habuerint factum, de quo testimonium eos dixisse Parochus affirmavit, nec hujusmodi testimonium jurejurando confirmatum apparet.

Cum vero etiam non mediocrem difficultatem facere videatur clausula illa -- *in circa* --, quæ omnino certum diem excludit; respondet tamen Fr. Livius, vi ejus vocis dari posse locum ambigendi de aliquot, sed quidem paucis diebus; nequaquam vero de quatuor fere mensibus, a quorum intervallo Professionis validitatem pendere contenditur.

Observandum secundo est, quod cum ex præscripto Sac. Concilii Tridentini *Cap.*15.*Sess.*25. *de Regul.* satis sit ad Professionis validitatem Novitios exegisse sextum decimum ætatis annum; ubi tamen desit grandior ætas, quæ in aliqua Religiosa Familia requiritur, non solet irrita reddi Professio, nisi hæc ipsa nullitatis pœna fuerit in Constitutionibus Ordinis a Sede Apostolica approbatis expresse decreta, ut luculenter probant duo olim hujus S. Congregationis Secretarii, nimirum

mirum *Fagnan. in cap. Qui Presbyterum num.85. de pœnit.*, & *remiss.*, & *Eminentissimus Petra ad Const.2. Anastasii IV. n.9.* & *seqq.* & *ad Const.5.Gregorii IX. num.22.* & *seqq. tom.2.* & *ad Const.3. Callisti* III. *num.17. tom.5.* fuitque ab eadem Sacra Congregatione definitum in *Neapolitana* 14. *Junii* 1681. *lib.31. Decret. pag.* 415. & *in Grossetana* 1. *Aprilis* 1713. *lib.63. Decr. pag.*122., & *in Neritonen. Restitutionis in integrum* 23.*Feb.*1715. *lib.65. Decret. pag.* 83., & *in Calaritana Nullitatis Professionis* 15. *Martii* 1727. *lib.77.Decret.pag.*149., & 12.*Martii* 1729. *lib.79. Decret. pag.*79.

Quantum vero spectat ad Constitutiones Canonicorum Lateranensium, nihil ex eis deducitur, quod ætatem cooptandorum in Congregationem illam respiciat. Constitutio autem Clementis VIII. Superiùs indicata generatim præscribit normam servandam in Novitiis recipiendis, atque educandis; & circa Conversos hæc habet in §.34. *Tempore vero probationis elapso, ii tantum, qui non solum Religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, novo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo ætatis suæ annum quo ad Clericos decimum sextum, quo vero ad Conversos vigesimum primum excesserint) ad Professionem admittantur*. At nulla ibidem videtur inflicta nullitatis pœna, sed in §. ultimo ita cavetur -- *Denique si illi, qui inter Religiosos gradu, & ordine superiores sunt, & alii, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contra fecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admissæ culpæ pœnas se subituros certo sciant*.

Hinc cum *in Romana Professionis*, & *Matrimonii* ageretur de Converso Tertii Ordinis S. Francisci, qui innixus generalibus illis Decretis Clementis VIII. petebat invalidam declarari Professionem emissam quatuor mensibus ante finem anni vigesimi primi, hæc Sac. Congr. die 17. Novembris 1696. respondit -- *Non constare de nullitate Professionis*, ut in *lib.* 46. *Decret. pag.*437.

Denique ubi etiam existimari posset Professionem ob eam causam fuisse initio irritam, videndum esset, an ea denique convaluerit ex novo ejusdem Religiosi consensu, quamvis etiam non expresse interposito, sed deducto ab exercitio actuum professis convenientium, post compertum ætatis defectum, juxta ea, quæ discussa fuerunt in *Neapolitana* 10. *Aprilis* 1723. *lib.73. Decret.pag.*132. & *in Larinen.* 11. *Januarii* 1727. *lib.77. Decret. pag.*2.

Congregatio Canonicorum Lateranensium nihil opponit. Cum enim agatur de homine inquieti ingenii, asperfæque indolis, adeoque assidue magna afficiente molestia eos, cum quibus vitam agit, non displiceret Monasterio eum, si fas sit, ad sæculares redire, simulque ab hujusmodi onere, atque incommodo alios Religiosos liberari.

Decidendum itaque erit.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Die Sabbathi 14. Novembris 1733.

Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.



ARRACONEN., SEU PISANA MATRIMONII. Post obitum Leonardi Gouben., cujus uxor fuerat Francisca Collodia Panormitana, die 10. Maii 1726. in Civitate Tarraconensi contractum coram Paroco, & Testibus fuit Matrimonium inter ipsam Franciscam, & Franciscum Henricum Jauch Centurionem Legionis Helveticæ.

Die autem 16. Decembris anni sequentis Carolus Franciscus, Pater memorati Francisci Henrici, ejusdemque Legionis Tribunus, Tarraconæ itidem degens, per publicum Instrumentum promisit, se quamdiu filius militaris officii causa absens fuisset a Francisca uxore, idonea vitæ subsidia ei suppeditaturum ex stipendio ad filium ipsum spectante. Deinde vero per sententiam ab Arbitro latam, quamque ratam habuit Carolus Franciscus Pater, conventum fuit, ut ipse Pater ex filii stipendio solveret Franciscæ petias 152. pro alimentis, quæ antea fuerant subministranda, deinceps vero petias duodecim unoquoque mense, ut decenter ea vivere posset.

Liburnum tam Carolus Franciscus Pater, quam Franciscus Henricus filius cum Catholici Regis copiis appulit, & ejusdem filii nomine sub annum 1731. oblatus Sanctissimo Domino Nostro fuit supplex libellus, quo exponebatur, eum, cum septimum supra decimum ætatis annum ageret, fraude prædictæ Franciscæ adductum fuisse, ut cum ea iniret nuptias, stirpis suæ claritate indignas. Addidit Parentum indignationem ob hujusmodi conjugium se adeo subiisse, ut eorum hæreditate se orbandum timeret. Itaque Apostolica auctoritate Matrimonium illud, tamquam ratum, & non consummatum, dissolvi postulabat.

Sacræ Congregatio, quam Sanctitas Sua consulere dignata fuit, literas dedit ad Apostolicum Nuntium apud Helvetios, itemque ad Archiepiscopum Tarraconensem, ut instructa redderetur de iis, quæ ad eam rem pertinere possent.

Nuntius Apostolicus die 2. Februarii 1732. his verbis rescripsit -- *Veritati consentiunt ea, quæ in suis precibus exposuit Franciscus Enricus Jauch, tum circa suæ Familiæ ordinem, quæ certe inter honestiores Cantonis Vraniensis locum tenet, tum etiam circa gravissimas simultantes, quas cum suis Parentibus hujus Matrimonii causa susciperet, non sine evidenti periculo ea bona amittendi, quæ ab horum hæreditate sibi possent obvenire* -- Ab Archiepiscopo autem Tarraconensi nullum hactenus datum est responsum. Sed incertum est, an Franciscus Henricus curaverit litteras Sacræ Congregationis ei reddi.

Francisca Collodia jam inde ab anno 1731. Liburnum se contulit, ubi etiam num moratur Franciscus Henricus Jauch., ejusque Pater. Liburni quidem seorsum vixere Conjunges: Sed tamen Francisca jurisjurandi religione interposita affirmat Matrimonium fuisse

com-

comſummatum; antequam Tarracona diſcederet Maritus, atque ita etiam opinantur alii Officiales ejuſdem Helveticæ Legionis. Neque vero Franciſcus Henricus protulit hactenus documentum ullum, quod hujuſmodi conſummationem excludat.

Archiepiſcopus Piſanus juſſu Sac. Congr. utrumque Conjugem monuit, ut ſua exponeret jura. Itaque, cum quæſtionem hanc expediri oporteat, deliberandum proponitur.

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione, tamquam ſuper Matrimonio rato, & non conſummato in caſu &c.

Negative, & amplius.

Quinque ſequentes Cauſæ examinandæ fuerant in Congregatione habita die 19. Septembris. Sed cum fieri id non potuerit, placeat nunc EE. VV. ad earum diſcuſſionem aggredi, reſumpto Folio, in quo fuerant deſcriptæ.

PHARAONEN. JURISDICTIONIS.

I. An Eminentiſſimus Epiſcopus intereſſe poſſit, tam per ſe, quam per alium, electionibus Abbatiſſarum, vel Prioriſſarum Monaſteriorum Monialium Regularibus Ordinis Ciſtercienſis ſubjectarum. *Seſs. 25. c. 9. de Regul. & Monial.*

II. An liceat eidem petere rationes adminiſtrationis bonorum ipſorum Monaſteriorum.

III. An idem Eminentiſſimus Ordinarius poſſit inhibere Regularibus, ne ſine prævia ejus approbatione excipiant confeſſiones Monialium, etiam ſubjectarum regimini ipſorum Regularium, non obſtante aſſerto Brevi Urbani VIII., atque prætenſa conſuetudine in caſu &c.

Affirmative in omnibus.

ULYSIPPONEN. OCCIDENTALIS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. *Seſs. 5. c. 5. de Regul. & Monial.*

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis die 27. Junii 1733.

In deciſis, & amplius.

GUARDIEN.

I. An Epiſcopus Guardien. poſſit exigere ſubſidium charitativum ab Eccleſia S. Joannis Oppidi Aquavivæ. *Seſs. 21. c. 8. de Ref.*

II. An idem Epiſcopus poſſit exigere Cathedraticum, ſeu Synodaticum a dicta Eccleſia, ejuſque Parocho.

III. An idem Epiſcopus in actu Viſitationis faciendæ poſſit exigere Procurationem.

IV. An dictus Epiſcopus in eadem Viſitatione poſſit recognoſcere libros adminiſtrationis bonorum ejuſdem Eccleſiæ, ejuſque rationem petere in caſu &c.

Ad I., II., & III. Negative. Ad IV. Affirmative jure delegato.

FABRIA-

Sess.14. c.13. de Ref.

FABRIANEN. FONTIS BAPTISMALIS.

An ad II. Dubium sit standum, vel recedendum a decisis die 21. Junii 1732.

Prævio recessu a decisis negative ad primam partem, & affirmative ad secundam.

Sess.25. c.19. de Regul.

CREMEN., SEU VERONEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess.21. c.7. de Ref.

BURGEN. TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS, ET TITULI. Cum in ruinam prona videretur Parochialis Ecclesia, S. Martino sacra, quæ in Villa de Carriedo existebat, anno 1724. Sede Episcopali vacante, Vicarius Capitularis annuens votis, tum Parochi, tum etiam multorum incolarum, potestatem fecit, ut nova Ecclesia in alio commodiore ejusdem Parochiæ loco extrueretur, ad eamque deinde Parochialis titulus transferretur cum omnibus juribus veteri Ecclesiæ competentibus, absque ulla mutatione, vel detrimento. Absoluta novæ Ecclesiæ ædificatione, anno 1727. Archiepiscopus, qui Burgensi Ecclesiæ tunc præerat, obsecundans precibus sibi oblatis nomine Communitatis, & incolarum Villæ, eam instituit Parochialem, cum ejus dedicatione in honorem S. Antonii Patavini, necnon facultatem fuit impertitus transferendi ad illam, tum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, tum Fontem Baptismalem, & sacram supellectilem. Idque factum reipsa est die 23. Augusti 1729.

Reclamatum deinde fuit a pluribus Parochianis optantibus in nova Parochiali Ecclesia eumdem Titulum S. Martini, cui dedicata fuerat antiqua. Re itaque ad forum deducta, Vicarius Generalis novi Archiepiscopi die 31. Octobris 1729. pronuntiavit redintegrandum esse in memorata nova Ecclesia, utpote subrogata antiquæ, Titulum S. Martini, tamquam Patroni, sublato alio Titulo S. Antonii Patavini, sed tamen reservato Communitati, & incolis jure impetrandi a Sede Apostolica facultatem eligendi eumdem Sanctum in compatronum, juxta normam circa id præscriptam in Decretis Urbani VIII., quæ scilicet referuntur a *Piguattel. Consult.*78. *Tom.*4.

Nuntius vero Apostolicus, ad quem provocatum fuit, anno 1730. per Decretum declaravit invalida, atque irrita ob defectum jurisdictionis quæcumque antea gesta circa translationem Juris Parochialis a veteri ad novam Ecclesiam, & istius dedicationem S. Antonio, sive mutationem Patroni, adeoque in pristinum Parochialem statum restituit veterem Ecclesiam S. Martini, donec aliter provisum fuisset a S. Rituum Congregatione, quam litigantes adire jussit. Sed Auditor Sanctissimi totius controversiæ cognitionem huic Sac. Congr. commisit.

Antequam igitur Causa proponeretur, visus fuit audiendus Antistes ipse, cui etiam significatum fuit oportere, ut Sac. Congregatio certior

certior fieret, quonam statu hodie res se se habeant; ac præsertim num Parochialis titulus, ejusque exercitium nunc existat penes antiquam, an apud novam Ecclesiam: num veræ, ac legitimæ sint causæ transferendi jus, ac titulum Parochialem ad novam Ecclesiam: quænam Parochi, & populi circa id sententiæ, & vota: postremo num S. Martinus sit solum Titularis antiquæ Ecclesiæ ei dedicatæ, an etiam Patronus Oppidi, sive Parochiæ.

Ad hæc nuper ita respondit Archiepiscopus -- *Titulus Ecclesiæ Parochialis residet in antiqua Ecclesia S. Martini. Ædificium novæ Ecclesiæ S. Antonii Patavini novum, & egregium est, & optimo loco constructum; at veteris Ecclesiæ S. Martini contra pervetustum, obscurum, impolitum, ruinosum: pavimentum hujus Ecclesiæ summe madidum, aditus vero ad ingrediendum tam pluviolis, quam cœnosis anfractibus imperuius, & molestus. Veras omnino judicio causas, quæ interfuerunt ad translationem veteris Ecclesiæ Parochialitatis in novam. Vota, & sententiæ Parochi fuerunt, & sunt, & fere omnium vicinorum in favorem translationis veteris Ecclesiæ in novam. S. Martinus titularis solum est antiquæ Ecclesiæ, non vero Patronus Oppidi* -- Sensum denique suum aperiens his verbis Epistolam concludit -- *Festum videtur S. Martinum possessione, & titulo Patroni titularis non privari, sed socium, & compatronum illi adjungi S. Antonium Patavinum.*

His positis, parum difficultatis habere videtur translatio juris, & exercitii Parochialis a veteri ad novam Ecclesiam. Sed, quod attinet ad titulum, vel S. Martini, vel Divi Antonii Patavini, considerandum ex una parte est, quod nova Ecclesia jam inde a sex annis fuit, annuente, & approbante Archiepiscopo, dedicata Divo Antonio, & in hujus tituli, & nuncupationis possessione existi. Quando autem Parochialis Ecclesia aut collapsa, aut fatiscens restaurari ob inopiam non potest, adeoque transferenda est, vel ad Matricem, vel ad aliam viciniorem Ecclesiam juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini *in cap.*7. *Sess.*21. *de ref.*, non mutatur quidem titulus illius Ecclesiæ, ad quam fit translatio, sed in ea erigitur Altare, vel Sacellum sub eodem titulo, quo insignita fuerat Ecclesia diruta, ut deducitur ex eodem Decreto Sacri Concilii, & notat etiam *Barbos. ad d. cap.*7.*num.*20.

At ex alia parte animadvertendum est, quod nova illa Ecclesia fuit ab initio ædificata haud alio consilio, nec alia mente, quam ut subrogaretur in locum veteris Ecclesiæ Parochialis S. Martini. Talis autem subrogatio, in quam collimabat constructio novæ Ecclesiæ, postulasse videtur, ut nova Ecclesia vicem omnino gereret antiquæ, eamque repræsentaret, tum in titulo, tum in omnibus juribus, ut in affini specie advertit Rot. in *Asculana jurium, & functionum super bono jure* 28. *Junii* 1723. §. *Et licet cor. Cerro*, & confert etiam casus, de quo actum fuit apud hanc Sac. Congr. in *Amerina Translationis Parochialis* 31. *Martii* 1708., ut in *lib.* 58. *Decret.pag.*118.

Quantum denique ad illud, ut nova Ecclesia duos possit habere Titulos, sive Patronos, nempe S. Martinum, & S. Antonium, erudite id tractat *Guiet. de Festis lib.*1. *Cap.*4.*quest.*3.

Discutiendum itaque erit.

I. An translatio Ecclesiæ Parochialis S. Martini facta a loco nuncupato Conzexil ad locum de Postigo, e Malgarrida sustineatur. *Et quatenus affirmative.*

II. An titulus S. Martini sit retinendus in dicta Parochiali Ecclesia translata, sive potius sit locus mutationi prædicti tituli in ea su &c.

Ad primum affirmative, ad secundum affirmative ad primam partem, & negative ad secundam, & scribatur Archiepisco po juxta mentem.

Sess. 25. c. 4. de ref.

RAVENNATEN. ONERIS MISSARUM. Anno 1660. Joannes Tusconus Presbyter legavit Annæ, & Gentili Perpetuæ Sororibus de Mazzantis domum, & prædium, deindeque subjunxit - *Item dico, che mentre Anna, e Gentile Perpetua Sorelle de Mazzanti godono, e goderanno pacificamente la sopradetta Casa, e sopradette Tornature quattro di Terra, o danari cavati dalle Terre posti a censo, sieno obbligate a farne dire due Messe la settimana in perpetuo nella Metropolitana di Ravenna, e contrafacendo, cioè stando un mese, che non facciano celebrare le sudette due Messe, la sudetta Casa, e le sudette Terre vadino subito al Capitolo de' Signori Canonici della Metropoli di Ravenna col medesimo obbligo.*

Piæ Testatoris voluntati semper hactenus satisfactum fuit, non solum a memoratis Sororibus de Mazzantis (quarum altera obiit anno 1675. alterius vero mors incidit in annum 1708.) sed etiam ab earum hæredibus, qui sunt Philippus, & Anna Elisabetha de Rubeis. His tamen nunc advertentes, quibus verbis legatum conceptum fuerit, opinati sunt onus illud finem habere in ipsarum Sororum obitu debuisse, nec proinde eodem onere affici hæredes in perpetuum. Itaque id modo discutiendum est.

Onus Missarum non debuisse excedere vitam Sororum de Mazzantis, conjici posse videtur ex quo impositum fuit certis personis illarum Mulierum, quibus legatum fuerat relictum, & quidem adjecta etiam ea temporis designatione -- *mentre godono, e goderanno pacificamente la detta Casa*. Quamvis autem subjecerit Testator vocem illam: *in perpetuo*: ea tamen varias habere potest significationes juxta mentem Testatoris, ita quidem ut non repugnet limitationi ad vitam unius personæ, & notat *Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. quæst.* 1064. *num.* 5. *tom.* 2.

At ad suadendum oneris perpetuitatem plurimum valere solet favor piæ causæ, & verisimile desiderium uberioris suffragii, si res dubia sit, nec dilucide constet de contraria Testatoris voluntate, ut advertunt *Gratian. discep.* 104. *n.* 47., *& seq. Card. de Luc. de Legat. disc.* 34. *n.* 6., *& seq. Amostaz. de caus. piis part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 37., *& seq. Ventrigl. in Prax. Eccles. tom.* 2. *annot.* 28. §. 2. *num.* 53. *Eminentissimus Petra ad Const.* 10. *Innoc. III. n.* 44. *tom.* 2.

Itaque in *Urbanien. Legati*, in cujus specie Testatrix ita scripserat -- *Instituì suoi eredi Guido Savini suo Marito, e pacifica Minii sua Nipote, con peso, & obbligo, che debbano ogn' anno far fare un' Offizio de' morti di dieci Messe, e dare un grosso per giorno ogni giorno in perpetuo per elemosina alla Chiesa di S. Francesco, perche si dica la prima Messa all' alba ogni giorno*, licet hoc onus videretur injunctum certis personis nominatim indicatis, nihilominus Sac. Congr. die 24. Augusti 1669. respondit, *legatum esse perpetuum*, ut in *lib.* 26. *Decret. pag.* 281.

Rursus in alia *Urbanien. legati*: cum Testator ita cavisset -- *Voluit,*

quod

quod infrascripti hæredes teneantur celebrare facere Missam unam qualibet hebdomada. Amplius voluit, quod teneantur dd. hæredes quolibet anno in perpetuum celebrare facere in dicta Ecclesia Festum S. Antonii cum duodecim Missis ad minus: quod si non facerent, Rector plebis facere teneatur, & postea gravare dd. hæredes, quæsitum fuit, *An onus Missæ pro qualibet hebdomada injunctum in primo ex prædictis legatis sit perpetuum, vel potius expiraverit per obitum hæredum institutorum*, & die 14. Junii 1704. prodiit, rescriptum *Affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam*, ut in *lib. 54. Decret. pag. 237.*

Alia duo non absimilia Decreta in *Senogalien. Legati*, & in *Cæsenaten. Legati pii*, relata fuerant in Folio Congregationis habitæ die 10. Januarii vertentis anni in *Romana Legati*, in qua pariter responsum fuit onus quatuor Missarum, de quo ibi agebatur, esse perpetuum.

Accedit in præsenti specie etiam observandum, quod si Sorores Legatariæ omisissent implementum oneris per mensem, transferri debuisset legatum in Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ. Cum autem in eo eventu onus Missarum penes ipsum Capitulum videretur futurum perpetuum, inde forsan argumentum duci posset non aliter sensisse Testatorem, etiam hujusmodi casu non contingente.

Definiendum igitur erit ab EE. VV.

An onus duarum Missarum qualibet hebdomada sit perpetuum, vel potius expiraverit per obitum Sororum de Mazzantis in casu &c.

Affirmative ad primam partem, & negative ad secundam, & amplius.

BONONIEN. SEU FERRARIEN. ORDINATIONIS. Franciscus Maria Riccobonus lucem hausit anno 1702. in Oppido *Cento* Diœcesis Bononiensis, ubi Pater Domicilium habebat. Anno insequente Pater inde discessit cum Familia, ac domestica supellectili, & ob hæreditatem sibi delatam, cujus bona existebant Ferrariæ, ad eam Urbem commigravit. Sedem in ea constituit, propriam inhabitans domum, pluries quoque perfunctus publicis muneribus, quæ Civibus tantum Ferrariensibus deferri solent. ' *Sess. 7. c. 11. de ref.*

Memoratus vero Franciscus Maria filius, Ferrariæ apud Patrem educatus litterarum studio operam dedit, Doctoris gradum, aliaque etiam Officia publica, tamquam Civis Ferrariensis, a magno Consilio obtinuit. At tribus ab hinc annis, cum ei obvenerit alia hæreditas, hac de causa rediit in Oppidum *Centum*, animo (ut jurejurando constari paratus est) perpetuo ibi vivendi seorsum a Patre, qui Ferrariæ remansit.

Cupiente nunc ipso Francisco Maria Ecclesiasticæ militiæ nomen dare, in dubium venit, num ad Eminentiss. Archiepiscopum Bononiæ, an vero ad Eminentiss. Episcopum Ferrariæ spectet clericali Tonsura eum initiare.

Satis quidem constat Franciscum Mariam inspecta origine subditum esse Eminentiss. Archiepiscopo Bononiæ, in cujus Diœcesi ortum habuit. Sed tamen æque certum est domicilium deinde fuisse translatum ad Civitatem Ferrariensem, & hac ratione eum evasisse subjectum Eminentiss. Episcopo. Cum autem subjectio ab origine profecta non cesset per subjectionem ex domicilio comparatam, & juxta *Text. in l.*

Cum te, *& in l. Si quis Cod. de municip.*, *& orig. lib.*10., *& in l. Privilegio Cod. de Incol. eodem lib.* 10. sequeretur Franciscum Marium geminam habere subjectionem idoneam ad rite suscipiendos Ordines ab alterutro, quem maluerit, Ordinario, ut ex *cap. Cum nullus de temp. Ord. in 6.* notat *Fagnan. in cap. Significavit num.* 12. *de Paroch.*

Ad hunc enim casum non pertinet sanctio Bullæ Innocentianæ, quæ incipit *Speculatores in* §. *At si Pater*. Ibi enim statuit Pontifex tunc habendam esse rationem domicilii potius, quam originis, ubi filius natus fuerit in eo loco, in quo Pater fortuito, & ex accidenti moram trahebat. Id quod secus est in casu, de quo agitur, nam vere patrium solum erat Oppidum Diœcesis Bononiensis, in quo ortus est Franciscus Maria.

Sed peculiari consideratione digna est circumstantia illa, quod Filius jam ad locum originis rediit, ibique instructis ædibus consedit, bona hæreditatis sibi delatæ possidens. Videndum quippe est, an præsens domicilium cum prisca origine conjunctum præferri debeat domicilio antea quidem contracto Ferrariæ, sed quod filius jam dereliquit, & abdicasse videtur; adeoque perpendendum, utrum Franciscus Maria hodie retineat subjectionem, quam pristinum domicilium ei tribuerat erga Eminentiss. Episcopum Ferrariæ, an vero ea sublata per domicilii mutationem, nunc ille soli Eminentissimo Archiepiscopo Bononiæ subditus sit,& ab eo solum promoveri ad Ordines legitime valeat. Quam tamen in re animadverti oportet, quid habeat momenti Franciscum Mariam Filium familias esse, patriaque potestate illigatum, ac præterea usumfructum hæreditat, quam in Oppido *Cento* ipse Franciscus Maria est assecutus, ad Patrem Ferrariæ commorantem ex juris civilis præscripto pertinere.

Cœterum posse Filium familias post pubertatem domicilium sibi constituere, & domicilii jura nancisci ubicumque voluerit, etiam seorsum a Patre, aperte habetur in *l. Placet*, *& l. Non utique ff. ad municipal.* Potest quis tamen plura habere domicilia, juxta *text. in leg. Ejus qui* §.1. *& in l. labeo ff. ad municip.*, ideoque possent fortasse in Francisco Maria duo considerari domicilia,aliud scilicet proprium, paternum alterum, quippe quod Filio communicatur per Patrem, ad *Text. in l. Assumptio* §. *Si filius ff. ad municipal. l. Filios Cod. de municip. lib.*10. Habenti autem duo domicilia licet Ordines ab utriusque loci Episcopo suscipere, quemadmodum, & obtinenti duo Beneficia in diversis Diœcesibus, ut probant *Antonell. de regim. Eccles. lib.*2.*c.*1.*n*-14. *& de loc.l. lib.*1.*c.*4.*n.*30. *Pax Jordan. Lucubr. lib.*3. *tit.*6.*n.*65. *Ricc. in prax Ecc. part.*1. *resol.*275. *Passerin. in cap. cum nullus de temp. Ord. in 6. quæst.*1.*art.*2.*n.*35. *cum duob. seq. Barbos. de Episc. part.*2. *alleg.*4.*n.*37. *& seq.* Id quod tamen intelligitur, si par, & æqua sit conditio utriusque domicilii, veluti si quis duobus in locis habitet pari anni parte, nam alioquin, si unum domicilium sit præstantius, & præcipuum, hoc debet attendi, ut explicant ipsi Doctores mox citati. Sic pariter ubi quis in una Diœcesi habeat Beneficium simplex, & in altera Beneficium residentiæ legem imponens; præferendus est in Ordinatione Episcopus hujus loci, quia ad rationem Beneficii accedit ratio domicilii, ut censet *Antonell. de regim. Eccl. d. lib.*2.*c.*1.*n.*22.

Verum in peculiari hac hypothesi difficultatem facit, quod si Franciscus

Maria

Maria discessisset Ferraria animo illuc revertendi, tunc sane dici posset illum retinuisse paternum domicilium, quamvis per aliquot annos inde absuerit, ac per consequens eum posse ad Ordines promoveri ab Ordinario ejusdem paterni domicilii, ut in his terminis loquitur *Navarr. consl.3. de tempor. Ordin. lib.1.* At contra valde urget, quod Franciscus Maria ea mente se contulit ad Oppidum *Centum*, ut ibi deinceps vitam traducat, perpetuoque consedat. Itaque omnino dimisisse videtur paternum domicilium, sibique novum alibi constituisse. Filium vero non ab Episcopo paterni domicilii, sed ab Episcopo domicilii proprii, esse Ordinibus initiandum probat *Pignatell. consul.180.n.64.t.9.*

Definiendum igitur erit ab EE. VV.

An ad Eminentissimum Archiepiscopum Bononiæ, vel potius ad Eminentissimum Episcopum Ferrariæ spectet ordinatio Francisci Mariæ Riccoboni in casu &c.

Spectare ad Eminentissimum Archiepiscopum Bononiæ cum literis testimonialibus Eminentissimi Episcopi Ferrariæ, & amplius.

Die Sabbathi 28. Novembris 1733.



ROMANA SUPPLEMENTI, CONCORDIÆ, ET REINTEGRATIONIS. Cum Causa hæc proposita fuisset die 14. Martii labentis anni, rescriptum fuit -- *Dilata, & ad Eminentissimum Præfectum pro nova concordia.* *Sess.25. c.4. de ref.*

Verum Eminentissimo Præfecto visum fuit expedire, quod de tota re iterum agatur in Sac. Congr., ideoque hodierno subiicientur examini eadem tria Dubia alias proposita. Bina autem quoque alia adduntur, quæ pertinent ad interpretationem Brevis Apostolici, quod S. M. Innocentius X. edidit circa Ecclesiam S. Agnetis, & ejus gubernandæ rationem, quodque EE. VV. oculis subjicietur.

Erit itaque definiendum.

I. An sit locus supplemento ad effectum quo agitur.

II. An sit approbanda concordia. *Et quatenus negative.*

III. In qua summa sit reintegranda Ecclesia S. Agnetis.

IV. An, & quomodo administratio Oeconomica ejusdem Ecclesiæ S. Agnetis spectet ad Eminentissimum ejus pro tempore Protectorem.

V. An deputatio Ministrorum Oeconomiæ ejusdem Ecclesiæ S. Agnetis spectet ad eumdem Eminentissimum Protectorem, seu potius ad DD. Principes Patronos dictæ Ecclesiæ in casu &c.

Ad primum negative. Ad secundum negative. Ad tertium ad Eminentissimum Præfectum pro nova concordia etiam ex officio juxta mentem. Ad quartum affirmative ad formam Brevis. Ad quintum affirmative ad primam partem, & negative ad secundam.

NEA-

NEAPOLITANA PROCESSIONUM. Cum vacua esset Apostolica Sedes per obitum S. M. Innocentii XIII. Eminentissimus Archiepiscopus publicas indixit Processiones ad Divinam opem implorandam in alterius Summi Pontificis electione, ut faciendum statuit Gregorius X. *in cap. ubi periculum de elect. in 6.* Sed huic edicto, atque etiam peculiari præcepto obtemperare noluit Rector Ecclesiæ SS. Angeli, & Andreæ ad Nidum, fretus nimirum exponere exemptione, quam sibi, & Clero illius Ecclesiæ competere existimabat. Quamobrem Curia Archiepiscopalis sacrorum exercitium interdixit Rectori, & Sacristiæ ejusdem Ecclesiæ, quibus ad hanc Sac. Congr. reclamantibus, die 18. Novembris 1724. proposita fuerunt tria dubia, quorum duo hæc sunt.

I. An Curia Archiepiscopalis potuerit cogere Rectorem, seu Sacristam Ecclesiæ S. Angeli ad Nidum ad interveniendum Processioni in casu &c.

II. An potuerit hoc facere per cedulones.

Rescriptumque fuit. *Ad utrumque affirmative*. Idque etiam fuit confirmatum *die* 24. *Martii* 1725. Obtinuit vero deinde Rector, ut posset iterum audiri, non retardata tamen executionem Resolutionis jam editæ. Itaque Causa rursus proposita fuit *die* 4. *Augusti*, *ac die* 1. *Decembris ejusdem anni* 1725. Sed Rescriptum, quod apparet, est *Dilata*.

Paulo tamen videlicet *die* 24. *Januarii* 1726. S. M. Benedictus XIII. per Literas Apostolicas, narrata rei gestæ serie, decretum illud ab hac Sac. Congregatione promulgatum approbavit, confirmavit, ac deinceps servari jussit, perpetuo silentio imposito Rectori Ecclesiæ.

Reclamantibus non solum Rectore, sed etiam Gubernatoribus memoratæ Ecclesiæ, Signatura Gratiæ die 28. Aprilis vertentis anni rescripsit -- *Pro aperitione Oris arbitrio Congr. Concilii*. Ideoque datur in ea locus novæ discussionis Causæ.

Ad memoriam igitur revocandum est, quod anno 1424. Rynaldus Brancaccius Cardinalis, pio suscepto consilio reædificandi, & dotandi vetus Hospitale S. Andreæ in Platea, seu Sede (ut vocant) Nidi, impetravit a Martino V. Pontifice Diploma ita conceptum -- *Hospitale præfatum, postquam ædificatum, & per te dotatum fuerit, ut præfertur, cum omnibus juribus, & pertinentiis suis, necnon personas easdem, & Rectores ipsius Hospitalis pro tempore existentes a dominio, visitatione, & potestate præfatis eximius, & totaliter liberamus, illaque libera, & exempta ab eisdem fore statuimus, ac nobis, & successoribus nostris, & Sedi prædictæ immediate subesse debere: ita quod Archiepiscopus, & Abbas prædicti, vel eorum aliquis ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua agitur, ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam possint in personas, bona, & Rectores præfatos Jurisdictionem, & potestatem, visitationem, seu dominium exercere* -- Quod quidem Diploma deinde etiam confirmavit Paulus III.

Vis igitur defensionis propositæ a Gubernatoribus, & Rectore Ecclesiæ, posita est potissimum id hoc, quod quamquam Sac. Concilium Tridentinum in *cap.* 13. *Sess.* 25. *de regul.* statuerit omnes convenire ad publicas Processiones debere, sublatis quibuscumque exemptionibus, non tamen censeatur comprehendere voluisse etiam eos, quibus exemptio ab Ordinarii jurisdictione competat ex vi pacti appositi in

ti in

ti in fundatione, ac potissimum facta non ex Bonis Ecclesiasticis, sed ex bonis (ut supponitur) laicis; cujus quidem generis fundationi non intelligitur derogatum, nisi de ea speciatim facta fuerit mentio in revocatione Privilegiorum, ut tradunt *Corrad. prax. benef. lib. 2. c. 12. n. 52. Garz. de Benef. par. 7. c. 1. n. 122. Card. de Luc. de Jurisd. disc. 27.*

Addunt amplissimam illam exemptionem pluries etiam post Tridentinæ Synodi promulgationem fuisse in judiciariis controversiis approbatam, atque servatam. Anno enim 1568. hæc Sac. Congregatio scripsit Archiepiscopo Neapolitano. *Hospitale S. Michaelis Archangeli de Sede Nidi non esse ex illis, quæ Decreto Sac. Concilii Tridentini Sess. 23. cap. 18. Seminario debent contribuere.* Cathedraticum itidem non esse exigendum, si nunquam antea solvi ab hoc Hospitali consuevisset, rescripsit eadem Sac. Congr. anno 1588.

Postremo adducitur Decretum hujus Sac. Congr. editum die 16. Novembris 1675. in *Neapolitana Processionis, & Interdicti* Proposito enim Dubio -- *An Abbas, Presbyteri, & Clerici Ecclesiæ S. Antonii Viennen. teneantur accedere ad Processiones pro Jubileo publicando, & ad alias Processiones publicas, vel pro bono publico indictas,* rescriptum fuit *Negative*, ut in *lib. 29. Decret. pag.* 171.

At Curia Archiepiscopalis primo impugnat Cardinalem Brancaccium dici posse Fundatorem Hospitalis, quod multo antea existebat. Secundo negat Cardinalem pio huic operi assignasse bona proprii patrimonii, sed potius existimandum esse ait, quod in id impenderit proventus Ecclesiasticos: Tertio addit qualecumque exemptionis privilegium licet, quo ad alios effectus fortasse attendendum, non tamen suffragari pro evitando accessu ad generalas Processiones, nisi doceatur de privilegio post Concilium Tridentinum impetrato, quo tribuatur peculiaris exemptio circa hujusmodi Processiones, ut declaravit Congregatio ab Urbano VIII. deputata, & Pontifex ipse approbavit, quemadmodum refert *Pignatell. consult. 122. tom. 1.* Atque ita fuit quoque definitum ab hac Sac. Congr. *in Mediolanen. 3. Augusti* 1658. *lib. 21. Decr. pag.* 353.

Ad hæc accedit exemplum similis controversiæ olim excitatæ ab Ecclesia S. Jacobi Nationis Hispaniæ in eadem Urbe Neapoli. Cum enim Clerus illius Ecclesiæ innixus amplissimo exemptionis Indulto recusaret convenire ad publicas Processiones, disceptata fuerunt die 3. Augusti 1709. duo hæc Dubia, nimirum -- I. *An Clerus Ecclesiæ Sancti Jacobi Nationis Hispanorum Neapolis teneatur accedere ad Processionem Sanctissimi Corporis Christi.* II. *An suspensio a Divinis lata a Curia Archiepiscopali contra Cappellanos, & Clericos dictæ Ecclesiæ sustineatur*, & hæc Sac. Congr. respondit. *Ad utrumque affirmative*, ut in *lib. 59. Decr. pag.* 259.

Putat etiam Curia Archiepiscopalis non recte obiici privilegium quasi concessum in limine fundationis, quia Indultum non agit speciatim de Processionibus. Sique etiam tale esset, respondet abrogata quo ad hoc censeri Privilegia, etiam in limine fundationis impetrata, nam ipsum Sac. Conc. Tridentinum in *cap. ult. ejusdem Sess. 25. de Regular.* statuit servanda esse omnia in superioribus Decretis contenta, non obstantibus quibuscumque Regularium Privilegiis, *etiam in fundatione obtentis*, quemadmodum declaravit quoque hæc Sac. Congr. in *Reatina 26. Aprilis* 1602. *lib. 10. Decr. pag.* 10.

Denique constat Clerum dictæ Ecclesiæ SS. Angeli, & Andreæ ad Nidum

Nidum accedere consuevisse ad communes Processiones ab Archiepiscopali Curia indictas, tam in solemni celebritate Corporis Christi, quam in honorem S. Januarii, protestari tamen solitis Cappellanis apud Acta ejusdem Curiæ se sponte sua id facere, adeoque illæsis, salvisque ipsius Ecclesiæ privilegiis.

Erit igitur ab EE. VV. determinandum.

I. An sit locus aperitioni oris. *Et quatenus affirmative*.

II. An sit standum, vel recedendum a decisis die 18. Novembris 1724., & 24. Martii 1725. in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 21. c. 3. de ref.

ARIANEN. CANONICATUUM. Actum fuit de hæc Causa die 28. Februarii vertentis anni, prodiitque Rescriptum – *Dilata, & scribatur Episcopo juxta instructionem*. Cum enim Episcopus anno 1714. in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli tres creavit Canonicatus, assignata eis certa portione redditūum spectantium ad alias tres Ecclesias, consideratum fuit esse inspiciendum, non solum an Episcopus legitima ad id faciendum potestate esset instrnctus; sed etiam an justæ adessent causæ, quæ id fieri postularent. Itaque per novas literas Sac. Congr. quæsitum ab Episcopo fuit, primum quisnam sit status Ecclesiæ Collegiatæ, de qua agitur, & an vere necessaria fuerit accessio trium novorum Canonicatuum ad quinque antiquos, spectata conditione Ecclesiæ, & loci. Deinde quisnam sit etiam status; in quo reperiantur Ecclesiæ illæ, a quibus facta fuit proventuum divulsio, & quænam essent onera, quibus destinati erant redditus ad novos Canonicatus translati.

Epistola, quam ad interrogata rescripsit Episcopus, legi ab EE. VV. poterit. Ejus autem summa est, additionem illam trium Canonicatuum non videri absolute necessariam, sed tamen laudandam, utpote idoneam ad Divinum cultūm honorificentius præstandum in sacris officiis. Præterea Ecclesias illas, a quibus divulsa fuit pars annuorum redditūum, & novis Canonicatibus addicta, haud mediocri inopia præmi, præsertim post terræ motum, qui superiore anno eas concussit, prostravitque: Deniqne Ecclesiæ S. Jacobi, quæ est prædictis Ecclesiis, annexum esse Xenodochium, cujus substentationi impares sunt redditus, quos modo percipit.

Dubia itaque, alias proposita, & hodie decidenda, hæc sunt.

I. An sustineatur erectio trium Canonicatuum ab Episcopo facta anno 1714. in Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli. *Et quatenus affirmative*.

II. An sustineantur pacta occasione ipsius erectionis inita inter antiquos, & novos Canonicos, *& quatenus affirmative*.

III. An Canonici novi teneantur contribuere ad omnes impensas necessarias, tam pro Ecclesia, quam pro Divinis Officiis, prout tenentur Canonici antiqui.

IV. An iidem Canonici teneantur interesse Choro, dum adimpleantur onera perpetua spectantia ad antiquos Canonicos.

V. An emolumentum proveniens ex tumulatione puerorum, quorum associationi interesse non solent neque antiqui, neque novi Canonici, spectet privative ad antiquos, seu potius participare illud debeant etiam novi Canonici.

VI. An

VI. An prohibendum sit Canonicis antiquis concordare, seu diminuere funeraria emolumenta in damnum Canonicorum novorum.

VII. An jus accrescendi ob absentiam alicujus ex Canonicis, sive novis, sive antiquis in emolumento associationis cadaverum, spectet dumtaxat ad antiquos, vel potius dividi illud debeat inter novos, & antiquos.

VIII. An quando omnes Canonici novi absint a choro, eorum punctaturæ dividi debeant inter antiquos Canonicos, qui sunt præsentes, seu potius inter ipsosmet novos Canonicos, & viceversa si omnes Canonici antiqui absint, an eorum punctaturæ accrescant novis Canonicis tantum præsentibus.

IX. An legata pia tam Missarum, quam Anniversariorum a Testatoribus relicta Capitulo spectent privative ad antiquos Canonicos, vel potius ea participare debeant etiam Canonici novi.

X. An Canonicus exercens curam Animarum, tamquam Vicarius deputatus ab Episcopo ad nutum amovibilis, debeat lucrari emolumentum duplicatum, seu potius tantum emolumentum uti Vicarius.

XI. An Canonicus Clericus prius receptus in Capitulum debeat præcedere Canonicum Præsbyterum postea receptum.

XII. An Præfectus chori in rebus ad chori disciplinam spectantibus valeat multam Canonicis inobsequentibus irrogare, illam in schedula annotare, & occasione divisionis reddituum Canonicalium ad commodum Ecclesiæ applicare.

XIII. An Procurator pro exigendis emolumentis funerum deputandus sit vicissim, hoc est uno anno ex Canonicis antiquis, & alio ex novis in casu &c.

CIVITATIS CASTELLI VISITATIONIS. Visitationem Oppidi Gallesii obeunte Episcopo, ut pro cibariis ei subministratis a Capitulo primariæ Ecclesiæ pecuniam contribuerent etiam alia Loca pia, cæterique Beneficiarii, approbatum ab ipso Episcopo fuit folium, in quo, servata proportionis ratione, descripta fuerat hujus sumptus partitio in singulos. At dolent Ecclesiastici, piorumque Locorum Administratores se istiusmodi oneri, utpote inusitato subjici. Contendunt quippe totum hoc onus, quod *procuratio* appellatur, subire hactenus semper consuevisse Capitulum, neque hanc veterem consuetudinem esse mutandam. *Sess. 24. c. 3. de Ref.*

Capitulum verò innititur Decreto Tridentinæ Synodi, quæ in *Cap.* 3. *Sess.* 24. *de Ref.* contributionem indiscriminatim imperat iis, qui visitantur.

Profert etiam Decretum ab hac Sac. Congregatione editum in *Signina Procurationis* 2. *Augusti* 1670. his verbis: *Beneficiatos, & Confraternitates Terræ Vallis Montanæ teneri contribuere Procurationem Episcopo visitanti, nec illis suffragari assertam consuetudinem, quod hujusmodi procuratio solvi consueverit a Capitulo, & Canonicis Collegiatæ d. Terræ*, ut in *lib.* 26. *Decret. pag.*392.

Eadem quoque fuit hujus Sac. Congregationis sententia *in Nepesina Procurationis, & Exactionum* 3. *Decemb.* 1712., & 27. *Maii* 1713. ut in *lib.*62. *Decret. pag.*444., & *lib.*63. *pag.*218., & recentius in *Auximana Procurationis* 15. *Martii* 1727., ut in *lib.* 77. *Decret. pag.*149.

Determinandum itaque erit:

I. An omnes Beneficiati, Confraternitates, & Loca pia Gallesii teneantur ad Procurationem solvendam Episcopo visitanti juxta repartitionem ab eo approbatam. *Et quatenus affirmative*.

II. An obstet contraria consuetudo in casu &c.

Sess. 24. c. 3. de Ref. SANCTI MARCI VISITATIONIS. Cum hæc Causa proposita fuerit die 8. Augusti proxime præteriti, suspensa fuit resolutio, ut interea audirentur finitimi Episcopi, ab eisque melius instructa redderetur Sacra Congregatio circa ea, quæ in controversiam veniebant.

Episcopus Cassanen rescripsit, in Oppido Adamante præter Parochialem binas alias existere Ecclesias; duos, & viginti in eodem Oppido commorari Ecclesiasticos, quorum quatuordecim sunt Sacerdotes: trium vel saltem duorum dierum spatium necessarium sibi videri, ut Episcopali lustrationi ejusdem Oppidi rite, recteque satisfactum esse possit. Denique, cum interrogatus etiam fuerit de more, qui in ejus Diœcesi servetur in procuratione solvenda quo ad eos Sacerdotes, qui nullo Ecclesiastico Beneficio potiantur, ita respondit: *In hac mea Diœcesi, in paucis quibusdam Oppidis Procuratio ab omnibus Sacerdotibus, etiam qui nihil de massa communi participant, sed proprio Patrimonio aluntur, persolvitur, in ceteris vero a Clero participante ex communi massa, atque a Procuratoribus Ecclesiarum, quæ per Episcopum visitantur, ex earumdem redditibus solvi Procuratio consuevit*.

Cum vero etiam datæ fuerint literæ ad Episcopum Bisinianensem, ejus responsum quo ad reliqua fere simile est responso Episcopi Cassanensis supra relato. Quo vero ad solutionem Procurationis hæc scribit: *Quod attinet ad solitum hujus meæ, & vicinarum Diœcesum pro solutione procurationis in pecunia jam taxata, ultra utensilia & domum commodæ habitationis, omnes, & singuli tam prima Tonsura initiati, quam in minoribus, & Sacris constituti, tam simplices Sacerdotes, quam Beneficiati, Cappellæ, sodalitates, Parochiæ, & alia loca pia solent annuatim solvere hujusmodi procurationem juxta regionis, & Diœcesis morem. Etenim in hac mea Diœcesi, & in illa Rossani habetur ratio, & proportio ad fructus, & redditus locorum piorum, & consequenter solvitur proportionata, & certa Taxa, tam ab Ecclesiis, locisve piis, & Beneficiatis, quam a simplicibus Sacerdotibus, & Clericis non participantibus de fructibus Ecclesiæ, etiam non viventibus in communitate, licet Clerici contribuant minus, quam Sacerdotes, & hi minorem ratam, quam Beneficiati, & Curati. In Consentina Diœcesi tamen diversus est stylus, quia hujusmodi procurationis medietas una solvitur a Curatis, altera vero a Sacerdotibus, sive Beneficiatis, sive non Beneficiatis, & a Clericis, fructibus eorum Patrimonii viventibus, juxta supra notatam regulam*.

Placeat igitur Eminentiis VV. declarare.

I. Quomodo, & in qua quantitate Episcopo visitanti debeatur procuratio.

II. An Sacerdotes simplices, nullumque Beneficium habentes teneantur contribuere ad solutionem procurationis.

III. An Episcopus debeat restituere pecuniam exactam ultra taxam antiquam in casu &c.

PA-

PAPIEN. ONERIS MISSARUM. Balthassar de Magistris in codicillis, quos condidit anno 1559. ita cavit: *Gravavit, & gravat ejus hæredes ad construi faciendum Cappellam unam in Ecclesia Sanctæ Crucis Papiæ sub vocabulo trium Magorum cum ejus Ancona, & cum sepultura marmorea habente insculpta insignia Familiæ de Magistris, in qua ejus hæredes sepeliri possint, & ad construendam sepulturam ipsius D. Balthassaris in eadem Ecclesia &c., ac etiam gravavit, & gravat hæredes ad celebrari faciendum in d. Ecclesia, & in dicta Cappella Missam unam singula die pro anima ipsius D. Testatoris, & defunctorum suorum, a quo onere possint ipsi hæredes se redimere designando redditus sufficientes ad eleemosynam pro celebratione dd. Missarum, videlicet implicando tot pecunias, ex quibus redditus sufficiens percipi possit pro celebratione dd. Missarum.* Sess. 22. Dec. de observ. & evit. in celeb. Miss.

In hac Ecclesia, quæ est PP. Reformatorum Franciscanæ familiæ, ut optaverat, sepulturæ datus fuit Testator, jamque per centum, & septuaginta annos soluta ab hæredibus fuit eleemosyna, ut unus ex Religiosis in Cœnobio commorantibus Missæ Sacrificium faceret singulis diebus juxta memorati Testatoris votum. At nunc Carolus de Magistris vellet quotidianæ illius Missæ celebrationem committere, donec vixerit, Clerico Antonio Zucchæ, ut ad hunc titulum possit Sacris Ordinibus initiari. Itaque suam hanc deliberationem significavit Religiosis, simul declarans, se satisfacturum sumptibus necessariis pro usu sacræ supellectilis, aliisque ad rem sacram peragendam requisitis. Verum ægro id animo tulerunt Religiosi, respondentes rem tandiu aliter servatam mutari non debere, nec sæculares Presbyteros admitti consuevisse ad Cappellanias obtinendas in eorum Ecclesiis.

Porro si in legato concipiendo non appareat peculiarem fuisse habitam rationem Ministrorum illius Ecclesiæ, in qua Missæ sunt celebrandæ, sed onus sit tantummodo injunctum hæredi, tunc in ejus arbitrio censeri positum, ut quos maluerit Sacerdotes ad id deligat, *utensilibus*, tamen, ut ajunt, solutis, probat *Card. de Luc. de legat. disc.* 25., & rescriptum fuit ab hac Sac. Congregatione in *Romana* 15. *Januarii* 1639., *ut in lib.* 16. *Decret. pag.* 138., *& in Maceraten.* 15. *Martii* 1692., *ut in lib.* 42. *Decret. pag.* 158., *& in Asculana* 26. *Januarii* 1732. inter summaria precum.

Ex diverso autem, cum fortasse non deesset conjectura de tali Testatoris mente, præferendos in Missarum celebratione Ministros ejusdem Ecclesiæ, decisum fuit a Sac. Rota *in dec.* 294., *& dec.* 338. *par.* 9. *rec.*, *& dec.* 369., *& dec.* 405. *cor. Cavaler.*, & ab hac Sacra Congregatione in *Bituntina Missarum* 19. *Novembris* 1729. *ut in lib.* 79. *Decret. pag.* 525. Et speciatim agendo de legato Missarum celebrandarum in Ecclesia Patrum Reformatorum, sic quoque respondit Sac. Congregatio in *Romana Oneris Missarum* 12. *Januarii*, *&* 22. *Martii* 1732., in qua tamen Causa non solum addita Rescripto fuit clausula hæc: *in casu, de quo agitur*, sed etiam in secunda propositione declaratum fuit, Religiosis præstare utensilia hæredem non debuisse.

In casu autem, de quo hodie disceptatur, putat hæres sibi plurimum suffragari argumentum deductum ex facultate a Testatore tributa assignandi fundum idoneum oneri quotidianæ Missæ. Cum enim PP. Reformati possidere nequeant annuos redditus, nec annua acci-

vere legata, quibus etiam annexa sint onera Missarum, juxta Decreta ab Urbano VIII. approbata, quæ habentur apud *Fagnan. in Cap. Nimis prava de excess. Prælat.* inde infert Testatorem non potuisse eo animo esse, ut fundus, quem ab hærede assignari posse voluit, adjudicaretur ipsis Religiosis cum onere quotidianæ Missæ ab eis celebrandæ.

Episcopus censet Religiosos permittere debere, ut Missæ in eorum Ecclesia celebrentur a quocumque Sacerdote, quem hæres designaverit, solutis tamen utensilibus; vel iis renuentibus, tribuendam esse facultatem transferendi onus prædictæ Missæ quotidianæ ad aliam Ecclesiam ejusdem Civitatis.

Determinandum igitur erit.

I. An Missa quotidiana fundata a Balthassare de Magistris in Altari SS. trium Regum erecto in Ecclesia S. Crucis PP. Reformatorum S. Francisci privative celebranda sit a dd. Patribus, sive potius celebrari possit a Cappellano ab hæredibus deputando. *Et quatenus negative ad primam, & affirmative ad secundam partem.*

II. An dd. PP. teneantur præstare patientiam pro celebratione d. Missæ, soluta eisdem subventione pro utensilibus, sive potius sit locus translationi d. Missæ ad aliam Ecclesiam arbitrio hæredis.

Cap.24. Sess. 22. de ref.

PLACENTINA JURIS SEDENDI IN CHORO. Discuti debuerat hæc Causa in Congregatione habita die 8. Augusti proxime præteriti; sed cum factum non fuerit, hodie proponitur decidendum Dubium, quod sequitur.

An liceat Præbendariis Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis sedere in superioribus subselliis chori, quotie vacant ob absentiam Canonicorum, sive potius sedere semper debeant in subselliis inferioribus in casu &c.

BRIXIEN. Conquestus apud hanc Sac. Congregationem est Episcopus plura ab Abbate Monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis haud rite, legitimeque fieri. Ea vero, quæ sint, satis cognoscere EE. VV. poterunt ex Dubiis mox proponendis.

Quantum ad primum attinet, inquit Abbas Leonem X. indulsisse Hispanæ Congregationis Cisterciensis Familiæ, ut ejus Monachi vigesimo secundo ætatis anno Sacerdotes fieri possent: Gregorium vero XIV. privilegia eidem Congregationi ab aliis Pontificibus impertita confirmasse: ac denique Urbani VIII. privilegia quibus Congregatio Hispanica potiebatur, communicasse Cisterciensi Congregationi Germaniæ.

Verum satis constat Privilegia quæcumque abrogata quo ad hoc a Sacro Concilio Tridentino fuisse, cum in *Cap.12. sess.23. de Ref.* sic habeatur: *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque penitus exclusis*: Privilegiorum vero confirmatio generatim facta a Gregorio XIV. itidemque communicatio ab Urbano tributa non videtur referenda ad privilegium jam abrogatum, sublatumque de medio, nisi de eo peculiaris facta fuisset mentio, quæ vim novæ concessioni posset habere. Nullos itaque Regulares ope veterum privilegiorum posse ante ætatem a Tridentina Synodo præstitutam ad sacros Ordines promoveri, luculenter demonstrant *Passarin. de stat. hom. tom.3. qu.189.*

qu. 189. *art.* 10. *inspect.* 10. *num.* 841. *Tamburin. de Jur. Abb. disputat.* 2. *quæst.* 15. *tom.* 2. *Eminentissimus Petra ad Constit.* 7. *Pii II. num.* 57., *& seqq. to.* 5. Affirmat tamen Abbas Stambsensis se nunquam cum suis Monachis super hoc dispensasse.

Circa III. Dubium, Clemens VIII. anno 1586. edixit, ne Regulares quicunque Ordines ab alio suscíperent Episcopo, quam ab eo, in cujus Diœcesi degunt, præterquam si iste absuerit, vel Ordinationes non esset habiturus, certis tamen etiam circa id adjectis conditionibus, ut videre est in Decreto, quod refertur, & confirmatur in novissimo Concilio Romano *Tit.*21. *Cap.*2.

Respondet Abbas sibi licere ad quemcunque Catholicum Antistitem dimittere Monachos sibi subjectos pro Ordinibus suscipiendis ex vi Bullæ Leonis X., itemque alterius promulgatæ a S. Pio V., quæ incipit: *Et si Mendicantium*: ac denique Brevis pro Cisterciensibus editi a Clemente VIII. anno 1592.

At Constitutio illa S. Pii V. fuit deinde a Gregorio XIII. reducta ad terminos juris, & Sac. Concilii Tridentini, ut in *Bullar. tom.* 2. *Constit.* 9. *ejusdem Gregorii*. Bulla vero Leonis X., & Breve Clementis VIII. non fuerunt hactenus in medium prolata. Sed animadvertendum est, quod aliud Decretum ejusdem Pontificis Clementis, quo per modum legis universalis Regulares jubentur Ordines suscipere ab Episcopo Diœcesano, editum fuit anno 1596., adeoque quadriennio post illud, quod prodiisse dicitur pro Cisterciensibus. Hanc itaque legem ubique esse servandam, pluries rescripsit hæc Sac. Congregatio, cujus Decreta refert, materiam hanc fuse tractans, *Eminentissimus Petra to.*1. *ad Const. unic. Urbani II. num.*5., *& seqq.*, *& to.*5. *ad Const.*7. *Pii II. n.*83. *& seqq.*

Denique profertur ab Episcopo Transactio inita anno 1689. cum Abbate Monasterii, in qua declaratum inter cætera fuit Monachos Ordinibus majoribus initiandos mitti debere ad Episcopum Brixinen.

Ad VI. VII., & VIII. Dubium pertinet Decretum Sacri Concilii Tridentini *Cap.* 10. *Sess.* 23. *de Ref.* ubi Abbates utcunque exempti prohibentur Tonsuram, vel minóres Ordines conferre cuiquam, qui Regularis subditus eis non sit, itidemque literas dimissorias Clericis Sæcularibus concedere, ut ab aliis ordinentur, abrogando quæcumque privilegia, præscriptiones, aut consuetudines etiam immemorabiles.

Quo ad potestatem conferendi Tonsuram, & minores Ordines Regularibus Abbati subjectis, requiri solet, vel quod Abbati benedictionem solemni ritu fuerit impertitus Episcopus, ad normam *Cap. Cum contingat de ætat. & qualit. præcificien.*, vel quod a Sede Apostolica obtinuerit privilegium, quo tribuatur facultas faciendi quæcumque agere possunt Abbates benedicti, ut tradunt *Fagnan. in cap. Statuimus num.*53. *de supplen. neglig. Prælat.*, *& in cap. Quanto num.*24., *& seqq. de Consuetud.*, *& in cap. Aquan.* 18. *de consecr. Eccl.* cum aliis, quos refert *Eminentissimus Petra tom.* 5. *ad Constit.* 9. *Pii II. num.* 28., *& seqq.*

Hinc Sac. Congregatio in *Panormitana* 16. *Martii* 1647. *ad I. Dubium* rescripsit: *Abbatem non benedictum, si habeat privilegium speciale Apostolicum conferendi Ordines minores, posse suis subditis Regularibus conferre, secus si id ei non fuerit ex privilegio Apostolico concessum*, ut in *lib.*18. *Decr. pag.*311.

In

In specie vero Abbatum Familiæ Cisterciensis eadem Sac. Congregatio censuit satis esse, quod benedictionem susceperint a suo Superiore Generali juxta ejusdem Ordinis privilegia. Siquidem in Uratislavien. die 12. Februarii 1724. proposito hoc Dubio: *An Abbas Lubensis, cæterique ejusdem Provinciæ Abbates Presbyteri, non benedicti ab Episcopo, sed a suo Patre Generali, vel ejus Subdelegatis, possint Tonsuram, & minores Ordines suis Subditis Regularibus conferre, itaut, nisi aliud Ordinatis obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illi conferre Ordines majores in casu &c.*, rescriptum fuit: *affirmative*, ut in *lib.* 74. *Decret. pag.* 66.

Et quamquam S. Mem. Benedictus XIII. in Constitutione edita anno 1725., & impressa in *Appendice Concilii Romani pag.*142. statuerit quoscumque Abbates Regulares perpetuo infra annum post eorum electionem debere solemnem benedictionem suscipere ab Episcopo Diœcesano, hanc tamen addidit declarationem: *Quo vero ad Abbates, quibus a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris indultum fuit, ut a suis Superioribus Regularibus, vel ab eorum Prælatis delegatis, benedictionem sumere possint, vel etiam per speciale Indultum Apostolicum concessum fuit, ut electi habeantur pro benedictis ab ipso Summo Pontifice, nihil omnino innovandum esse sancimus, & Apostolica, quibus gaudent, privilegia ubique inconcusse observari præcipimus, & mandamus.*

Cæterum cum potestati conferendi Ordines minores, quæ vel Abbatibus benedictis ex vi Juris communis competat juxta *Cap. Abbates de privil. in* 6., vel quæ etiam possit ex Apostolico privilegio competere Abbatibus non benedictis, modum posuerit Tridentina Synodus, eam coercendo ad Regulares eidem Abbati subditos tantum, plane sequitur eos non posse Ordines conferre, vel aliis Regularibus sibi non subjectis, vel Secularibus. Sed tamen illicitam, adeoque exercitii jure carentem dumtaxat esse, non vero invalidam Ordinationem, quando est facta ab Abbate potestatem habente, quamvis limitatam in usu ad certum genus personarum, probat *Fagnan. in cap. Statuimus per tot. ac præsertim num.*53. *& seqq. de supplen. neglig. Prælat.*, *& in cap. Aqua de Consecrat. Eccles. n.* 11. *Eminentissimus Petra loco supra citato a n.*38. *ad fin.*

Huic vero sententiæ adstipulantur etiam Decreta hujus Sac. Congregationis. Siquidem in d. *Panormitana* 16. *Martii* 1647. *ad II. Dubium*, ita rescriptum fuit -- *Abbatem non benedictum, habentem privilegium, ut supra, non posse Ordines minores conferre non suis subditis etiam Regularibus alterius Ordinis. Collatione autem Ordinum supradictis non suis subditis etiam Regularibus facta, si fuerit de Ordinibus etiam minoribus, & dictus Abbas non benedictus non habeat privilegium Apostolicum, Ordines collatos remanere invalidos, & Ordinatos indigere alia Ordinatione, si vero Abbas non benedictus habeat privilegium, & Ordines minores tantummodo contulerit suis non subditis, Ordinatos non indigere alia Ordinatione, sed tantummodo absolutione, & rehabilitatione a Sede Apostolica obtinenda*, ut in citato *lib.*18. *Decret.pag.*311., & in *Conimbrien.* 26. *Junii* 1655., in qua responsum fuit: *Abbates Congregationis Sancti Bernardi, & Sancti Benedicti Ordines etiam minores Regularibus sibi non subditis, & multo minus Secularibus conferre non posse,*

non

non obstantibus illorum privilegiis. Promotos vero ab illis non indigere alia collatione dictorum Ordinum, sed absolutione, & rebabilitatione a Sanctissimo obtinenda .. ut in *lib* 19. *Decr.pag.*584. Consonat & alia resolutio edita quo ad Abbatem non benedictum Congregationis Cassinensis in *Mutinen. Ordinationis*, quam pariter refert *Eminentissimo Petra supra citatus num.*40.

Quod autem Regulares non subditis, vel seculares, quibus Abbas Ordines minores contulerit, habuerint literas dimissorias, vel a suis Superioribus Regularibus, vel a suis Ordinariis, nihil refert ad licitam reddendam Ordinationem, ut discusso hoc dubio jussu Clementis VIII. in Sacra Rota, determinatum fuit in *dec.*985. *cor. Seraph.*, quam approbavit etiam Sac. Congr. *in Catanien. Juris conferendi Ordines, inter Episcopum Catanien., & Monachos Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cassinen., ac alios*, die 3. Decembris 1641., quæ indicatur *in lib.*16. *Decr.pag.*610., sed recensetur ad diem 15. Februarii 1642. post approbationem Pontificis, ut in *lib.*17. *Decr. pag.*1. eademque resolutio habetur apud *Fagnan. in d. cap. Aqua sub num.*19. *de consecrat. Eccles. Nicol. lucubr. Jur. tom.*2.*lib.*1.*tit.*14. *de ætat., & qualit., & ordin. præficien. Dianam par.* 7. *tract.*11. *resol.*42., *& Eminentiss. Petram tom.*5. *ad dictam Constit.*9. *Pii II. sub num.*40.

Ceterum Ordinum minorum collatio facta ab Abbate Secularibus habentibus literas dimissorias suorum Ordinariorum non ob aliam causam censenda videtur illicita, nisi quia facta fuerit sine assensu Episcopi ejus loci, in quo Pontificalium exercitium adhibitum fuerit, contra Decretum Sac. Concilii Tridentini in *Cap.*5. *Sess.*6. *de ref.*; nam alioqui hæc Sac. Congr. in antiqua Causa Bononien. censuit: *Abbates postquam Ordinem Sacerdotalem], & munus benedictionis susceperint, posse Tonsuram, & minores Ordines Secularibus Episcopi jurisdictioni subjectis conferre, si modo ipsius Episcopi consensus accedat, iique pro se quisque ab eodem Episcopo literas dimissorias impetraverit, itaut satis non sit id generatim ab Episcopo fuisse concessum, sed hac semper concessione singulis opus sit. Posse itidem eosdem Ordines conferre aliis Regularibus, qui literas dimissorias speciales suorum Superiorum, necnon specialem consensum Episcopi loci habuerint: ac præterea aliis Secularibus subditis aliorum Episcoporum, dum tamen & ipsi attulerint speciales dimissorias suorum ordinariorum, & consensum specialem Episcopi loci*, ut refert *Fagnan. in d. c. Aqua num.*8. *de consecrat. Eccles.*, qui etiam deinde hoc Decretum ab objectionibus vindicat, explicando *sub num.*16. supra citatam decisionem 958. *cor. Seraph. ac n.*18. addit alterum simile Decretum hujus Sacræ Congregationis de Abbate Congregationis Olivetanæ.

Denique quod spectat ad IX. Dubium, copiose hac de re agunt *Tamburin. de Jur. Abbat. tom.*1. *disput.*22. *quæsit.*1., *& seqq.*, *& disput.*23. *quæsit.*1. *cum quatuor seqq. Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom.*1.*quest.*676., *& tom.*2. *quest.*802., *&* 803. *Passerin. de stat. homin. tom.*3.*quest.*189. *art.*10.*num.*922. *ad* 939. *Eminentiss. Petra tom.*3. *ad Const.*6. *Urbani IV. num.*15., *& seqq.*, *& eodem tom.*3. *ad Constit.*2. *Benedicti XI. n.*12., *& seqq.*

Verum, quidquid sit de antiquis privilegiis, quibus frui potuerint Abbates Regulares, habenda ob oculos sunt Decreta, quæ instar legis gene-

generalis edita fuerunt jussu Alexandri VII. a Sacr. Rituum Congr. anno 1659. circa inferiores Prælatos, Pontificalium usum insignitos. In §. enim 18., & 19. sic habetur -- *Ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant. Reliqua Pontificalia extra loca ipsis Abbatibus subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia ordinariorum exercere non valeant, puta campanarum benedictiones, Calicum, & similium, in quibus Sacra adhibetur unctio, necnon minorem ordinum collationes*. Deindeque anno 1670. instantibus Cassinensibus edita etiam fuit hæc declaratio -- *Ad §. Decimum nonum, quo vetita est Abbatibus benedictio sacræ supellectilis pro usu alienarum Ecclesiarum asserentibus Monachis, etiam pro aliena Ecclesia ex Apostolico Indulto eis licitum esse Ecclesiasticam supellectilem benedicere; Sac. Congr. mandavit exhiberi Indultum authenticum ex Archivio Apostolico desumptum, ac interim abstineri*, ut videre est apud *Monacell. Formul. legal. tom.*2. *Formul.*4. *tit.*13. *sub num.*33., & apud eumdem *Eminentiss. Petram ad d. Const.*9. *Urbani IV. in fin.*

Observanda etiam videtur resolutio, quæ ab ipsa Sac. Rituum Congregatione prodiit *die* 22. *Septembris* 1703. *in Fulden. Concessionis Indulti*. Inter plura enim Dubia quæsitum primo loco fuit, an Abbati Fuldensi ad facultatem benedicendi sacris vestibus, vel consecrandi ea, in quibus sacrum Chrisma adhibetur, suffragaretur communicatio privilegiorum Congregationis Cassinensis, vel an ille juvari posset observantia immemorabili, si adesset. Fuit autem rescriptum. *Affirmative vigore communicationis privilegiorum, necnon consuetudinis, & in locis propriæ Jurisdictionis*, ut refert *Eminentiss. Petra tom.*3. *ad Const.*2. *Benedicti VI. sub num.*18. *in fine.*

Definiendum igitur erit.

I. An liceat Abbati Monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis dispensare super ætate cum Religiosis sui Monasterii sibi subditis pro suscipiendis Sacris Ordinibus. *Et quatenus negative.*

II. An Monachi ejusdem Monasterii ad Ordines promovendi, præter literas obedientiales, teneantur exhibere Ordinario Brixiensi fidem sui Batismatis ad docendum de legitima ætate.

III. An liceat d. Abbati dimittere suos Monachos ad alium Episcopum pro suscipiendis Ordinibus, sine literis dimissoriis dicti Ordinarii. *Et quatenus negative.*

IV. An Monachi sic ordinati cum dispensatione Abbatis in ætate, vel ab alio Episcopo cum solis literis obedientialibus, & sine dimissoriis Episcopi Brixien. sint licite ordinati. *Et quatenus negative.*

V. An, & in quas pœnas tam d. Abbas, quam ipsi Monachi taliter ordinati inciderint.

VI. An liceat d. Abbati Tonsuram, & Minores Ordines conferre, non solum Monachis sibi subditis, sed etiam aliis Regularibus sibi non subditis.

VII. An liceat eidem Abbati Tonsuram, & minores Ordines conferre Secularibus aliarum Diœcesum cum Dimissoriis sui Ordinarii, & sine licentia Episcopi Brixinensis. *Et quatenus negative.*

VIII. An taliter ordinati valide susceperint Ordines.

IX. An liceat d. Abbati non solum sacram supellectilem benedicere, in qua sacra unctio non adhibetur, sed etiam Altaria consecrare, & alia

alia vasa sacra, in quibus adhibetur sacrum chrisma, idque non tantum ad usum Ecclesiæ proprii Monasterii, sed etiam ad usum aliarum Ecclesiarum, in casu &c.

ASTORICEN. VISITATIONIS SS. LIMINUM. Vigilantissimus Episcopus in relatione status suæ Ecclesiæ, quam ad præscriptum Constitutionis San. Mem. Xisti V. huic Sacræ Congregationi obtulit, ita scribit. Sess. 24. c. 11. de ref.

Adest ,, Beneficiorum Patronatus Laicalis longa, diuturnaque litium ,, protelatio; sunt enim quædam Beneficia dicti patronatus, quæ ,, plurimorum annorum litigio etiam per plurimos annos proprio ,, Pastore carent, de quo si opus fuerit, quamplurima suppetunt ,, testimonia id probantia. Quale autem damnum ex hoc patiantur ,, Oves, dignoscitur facile, etsi enim Vicariis quamvis idoneis com- ,, mittatur cura, cum proprius Pastor non sit, Oves non adeo bene ,, vocem ejus audiunt Immo quis scit, an si ipse, cum se Pastorem ,, non credat, ut Mercenarius agat? Radix hujus mali, sicut, & ,, omninum malorum, cupiditas intelligitur. Solent enim Partes ,, a diversis Patronis præsentatæ contestari litem, posteaque, & ,, pausant, & tempora protrahunt, quin Jura sua deducant, vel ,, probationes faciant, ut defluentibus annis fructus Beneficii, qui ,, penes Oeconomum reponuntur, abundet, & post multa tempora, ,, dum copiosi reperiuntur, Judices quærunt compromissarios, qui ,, proventus illos dividentes inter Oppositores, uni Beneficium, & ,, partem fructuum assignant, itaut inter illos fructus Beneficii va- ,, cantis dividantur, omnesque ex lite portent emolumentum.

Quando ,, autem Beneficia sine contradictore præsentantur, vel quia ,, unius Patroni insolidum, vel plurium Patronum in unum consen- ,, su accessit, præsentatus diligentias valde procrastinat, præsertim ,, si jam aliud Beneficium possideat, quod pluries evenit, & ita im- ,, pinguatur Oeconumus fructibus Beneficii aliquorum annorum, ,, quos post ab Oeconomo percipiunt, & duobus Beneficiis potiun- ,, tur sine officio, & labore. Si autem Beneficium aliud non possidet ,, præsentatus, fructus Beneficii aliquorum annorum absque labore, ,, & residentia percipit, & ex laboris, & residentiæ neglectu utili- ,, tatem reportat, nihil curans de Parochiali viduitate.

Ad ,, hæc cum Archidiaconi, utpote Collatores inferiores, Judicesque ,, hujusmodi Causarum pro prima instantia Oeconomum, & ex suis ,, consanguineis, vel ex maxime dependentibus constituant, qui Be- ,, neficii vacantis in Oeconomum reponit, & custodit, ex eo emo- ,, lumenta percipit, quæ eo majus interesse adducunt, quo diutur- ,, nior fuerit vacatio, facilis oritur occasio inducias quascumque ,, præbendi Præsentatis.

Super ,, his itaque opportuna exposco remedia; ut Ecclesiæ citò, & ,, sine mora ordinentur, & provideantur. Collatoribus inferioribus , dicendi, aut conferendi Jus, aut Oeconomos apponendi, lædere ,, non exopto, sane sit illis sartum tectum. Si tamen Præsentatis non ,, liceret ultra fructus integri unius anni quidquam percipere ad sum- ,, mum, reliqui vero in pia Opera, præsertim in Parochialium, aut ,, Cathedralis pro aliqua parte fabricam, aut in alios usus pios, aut ,, pauperes, vel pro parte distribuantur, vel ad fabricam Seminarii, ,, si id tempus permiserit, aliqua pars deponatur; si vero jam Cu-

,, rati a suis Beneficiis ad alia transferuntur, solum a die possessionis
,, secundi obtenti fructus lucrentur, & solum prioris Beneficii reditibus sint contenti, maxime credo, quod illis præcluderetur occasio
,, remorandi, & citò ad suas Ecclesias accedere satagerent.

Quod attinet ad fructus vacantium Beneficiorum, inspecto jure Canonico, aut debent impendi in utilitatem ipsarum Ecclesiarum, aut sunt reservandi iis, qui Beneficia sunt assecuturi. Ita statuitur in *cap. Cum vos de off. ordinar.*, *& in cap. Præsenti eod. tit. in 6. & in cap. Quia sæpe de elect. eod. lib.6.* Hinc plures Interpretes deducunt tales fructus esse dividendos, & dimidiam eorum partem fabricæ Ecclesiæ esse applicandam, aliam vero similem portionem Beneficiariis successoribus obvenire debere, ut observat *Gonzal. in d. cap. cum vos n.2. de offic. ordinar.*

Non graventur igitur EE. VV. deliberare.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Die Sabbathi 12. Decembris 1733.

Sess. 24. c. 1. de ref. Matr.



JANUEN. SPONSALIUM. Inita die 18. Junii proxime præteriti fuerunt sponsalia inter Julium Pallavicinum, & Angelam Mariam Zoagliam, quarto consanguinitatis gradu invicem conjunctos. Biduo post per aliam syngrapham confirmata fuerunt eadem sponsalia, interposita etiam jurisjurandi religione, & adjecta clausula, quæ non aderat in priori chirographo, nimirum animo, & spe impetrandi a Sede Apostolica dispensationem super impedimento gradus. At literæ Apostolicæ hujusmodi dispensationis inscio Julio, (ut ipse asseriti), sed tamen præseferentes supplicationem nomine utriusque Sponsi, jam ante, videlicet die 15. ejusdem Mensis, signatæ fuerant, quamvis ad Januensem Civitatem nondum perlatæ.

Pallavicinus die 26. ejusdem Mensis Julii alia contraxit sponsalia cum Maria Theresia Gropalla, petiitque subinde a Curia Archiepiscopali facultatem celebrandi cum ea nuptias. Sed obstitit Angela Maria Zoaglia, quæ die 8. Augusti protulit Pontificias literas circa dispensationem impetratas, & institit, ut Archiepiscopus earum executionem decerneret.

Hoc rerum statu definiendum huic Sac. Congr. proponitur, an valida fuerint propria sponsalia, quorum executionem urget Angela Maria Zoaglia, impugnat vero Julius Pallavicinus, proclivior in ea, quæ cum altera Puella postmodum contraxit.

Julius putat fidem suam rite obligatam minime fuisse Angelæ Mariæ Zoagliæ, quia sponsalia, Canonico intercedente impedimento, inita, etiam sub spe obtinendæ dispensationis, irrita esse, nec vinculum obligationis inducere, sed post impetratam dispensationem novum requiri consensũ, ut priora sponsalia convalescant, docent *Abb. in Cap. super eo n.8. de condit. apposit.* cum aliis fuse relatis a *Rocc. Episc. Isslan. Disput. cap.62. num.32., & seqq. Card. de Luc. de Matrim. disc.7. num.4.*

*num.*4. *Rot. dec.* 2222. *coram Coccin.*, *&* *dec.*5.*num.*4. *&* *seqq.tit.*38. *de Sponsal. cor. Eminentissimo Falconerio tom.*3., *&* *in Hispalen. Matrimonii* 21. *Febr.* 1718. *cor. Foscaro* confirmata in *dec.*569. *n.*3. *&* *seqq. cor. Reverendissimo Crispo* .

Alii tamen Doctores sic censent distinguendum, ut si impedimentum tale sit, ut Pontifex, vel non possit, vel non soleat illud tollere, tunc sposalia nullam pariant obligationem. At si soleat Pontifex super ejusmodi impedimento dispensare, in hac hypothesi sponsalia valida sint, non tamquam absolute inita, sed tamquam contracta sub conditione, cujus implementum curare tenentur Sponsi, adeo ut neutri liceat altero invito a fide data resilire, sive ante, sive post impetratam dispensationem, ut videre est apud *Sanchez de Matrimon. lib.*5.*disp.*5. *num.*12. *de Just. de Dispensat.lib.*2.*cap.*1. *a n.*78. *ad* 88. *Engel. in jus Can. lib.*4. *tit.*5.*num.*26. *&* *seqq. Anaclet.lib.*4. *Decretal.tit.*5. §.1. *a n.*23. *ad* 38., *Piring. ibidem n.*27. *Pont. de Matrim. lib.*3.*cap.*15., *Gobat. Theol. experiment. tract.*10. *de Sponsal. num.* 135., *Castropal. part.*5.*de Sponsal. Disputat.*1. *punct.*16. *num.*7.

Similis controversia discussa fuit in *Brugnaten. Sponsalium.* Initis quippe sponsalibus inter conjunctos duplici quarto consanguinitatis gradu sub conditione dispensationis a Sponso impetrandæ, Sponsus deinde mutata voluntate contendebat se nulla esse obstrictum obligatione, sed libere posse alteri fœminæ nubere. Disceptato itaque Dubio -- *An Sponsalia substineantur*, Sac. Congr. *die* 26. *Januarii* 1709. respondit. *Negative*, ut in *lib.*59. *Decret pag.*17.

Ceterum in casu, de quo agitur, considerandum est, tum quod ipse Pallavicinus fatetur sibi dictum fuisse die 12. ejusdem Mensis Julii a prenubo se impetraturum celeriter esse Apostolicam dispensationem, tum etiam quod ipsa dispensatio signata fuit die 15. prædicti Mensis. Inde vero infert Maria Angela Zoaglia Pallavicinum non fuisse ignarum dispensationis, ac præterea dispensationem ipsam, statim ac signata fuit, substulisse impedimentum, ita quidem ut sponsalia postmodū inita die 18., & confirmata die 20. fuerint inter personas, quæ jam nullo Canonico impedimento nuptias contrahere prohibebantur. Ad hoc tamen respondet Julius literas Apostolicas non continere dispensationem eo ipso traditam a Pontifice, nec statim tollere impedimentum, sed præseferre dumtaxat mandatum ad dispensationem indulgendam, proindeque impedimentum perseverare usque dum Executor a Pontifice delegatus illud non sublulerit, juxta tradita per *Sanchez de Matrimon. lib.*8. *disput.* 30.*num.*12. *de Just. de dispensat. lib.*1. *cap.*6. *num.*340.

Est igitur decidendum.

An sponsalia inter Angelam Mariam Zoagliam, & Julium Pallavicinum inita substineantur in casu &c.

Negative, & amplius.

RIPANA. Contigit anno 1730. in Civitatis Ripanæ transitu esse hominem quemdam e Germania oriundum, qui appellabatur Jacobus Guilelmus Urciz, & ritu peregrini vagabatur per orbem. Erat cum eo puellula, nuncupata Maria Salome, quam ajebat suam esse filiam, & hausisse lucem Confluentiæ, ibique salutis aqua resper- *Sess.7.Can.9.*

sam. Hanc puellulam sibi pro filia adoptarunt Michael Angelus Justasius, & Catharina conjuges, quibus spopondit peregrinus ille se missurum intra sex menses documentum de suscepto Baptismate. At nunquam deinceps hujusmodi documentum allatum est ad memoratos conjuges, nec quicquam rescitum de peregrino. Quamobrem ii, quos latet, an Maria Salome vere fuerit Christianæ Religionis sacris initiata, postularunt declarari, an puella sit saltem sub conditione inauguranda Baptismo, ut possit admitti ad alia suscipienda Sacramenta, quorum fundamentum est Baptismus, ut inquit Innocentius III. in *cap. Veniens de Presbyt. non baptiz.*

Datæ a Sac. Congr. fuerunt literæ ad Episcopum Suffraganeum, & Vicarium Generalem Archiepiscopatus Treverensis, cui subest Confluentia, ut diligenter perlustrarentur libri Parochiales, & indagaretur, an in eos relatum esset nomen prædictæ puellæ. Responsum, quod ipse dedit, istud est -- *Perlustrato diligenter protocollo Baptismali, quod extat Confluentiæ in binis dumtaxat Parochiis ad d. Virginem, & ad S. Castorem, nihil prorsus reperitur de Maria Salome, nec aliunde notitia super tali baptizata potuit haberi.*

Baptismum esse conferendum iis, quibus nullo certo documento appareat eos jam hoc Sacramentum suscepisse, habetur in *Can. Parvulos*, & *in Can. Placuit*, & *in Can. Cum itaque*, & *in Can. Si nulla*, *de consecrat. dist.*4. Sed tamen Innocentius III. *in d. Cap. Veniens*: his verbis rescripsit: *certe de illo, qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contriarum probetur* -- Itaque in ea hypothesi censendum esse jam sacris expiatum aquis eum, qui ex parentibus Christianis natus est, & inter eos educatus, etiamsi nullum de collato Baptismate testimonium proferatur, nec in Parochialibus libris reperiatur descriptus, tradit *Eminentissimus Petra tom.*3. *ad Constit. Clementis IV. num.*27.

In casu tamen proposito animadvertendum videtur, non satis constare, quo loci, & quibus ex parentibus nata fuerit puella, itemque ignorari, num peregrinus ille, qui se ejus Patrem esse, & puellam jam sacro Baptismatis flumine regeneratam asseverabat, vere Pater fuerit, & fide dignus, & Catholicæ Religionis cultor. Sed unica, quæ proponitur conjectura suscepti Baptismatis, posita est in hoc, quod puella orthodoxæ Fidei rudimentis erat instructa.

Ceterum quando dubitatur, an quis fuerit baptizatus, Baptismus ei est conferendus sub conditione, sic enim respondit Alexander III. in *Cap.*2. *de Baptism.* his verbis: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis, si baptizatus es, non te baptizo*: Recte tamen explicat Rituale Romanum *tit. de Baptis.* hunc in modum: *Hac tamen conditionali forma non passim, aut leviter uti licet; sed prudenter, & ubi, re diligenter pervestigata, probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum*: Idemque monitum habetur in Cathechismo sub eodem *tit. de Sacram. Baptism. pag.* 191. his verbis: *Ea Baptismi forma in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, an Baptismum rite susceperint: aliter vero numquam fas est, etiam cum adjunctione, Baptismum alicui iterum administrare.*

Casus

Casus non absimilis fuit in hac Sac. Congregatione examinatus *die* 1. *Septembris* 1714. *in Neapolitana Matrimonii*. Quærebatur enim, an Matrimonium inire posset fœmina, quam certo non constabat fuisse sacro profusam lavacro. Erat enim tunc addicta servitio nobilis Matronæ Neapolitanæ, trigesimum agebat ætatis annum, & Sacramentis Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ refici Catholico ritu consueverat, sed in Barchinonensi Civitate orta, sexto post nativitatem die tradita cuidam fœminæ fuerat ab ignoto homine, qui eam deferebat expositurus in hospitali nothorum domo, cum ceteroquin de antea suscepto Baptismate nullum extaret documentum. Itaque rescriptum fuit, *Fœminam esse baptizandam sub conditione, ac secreta, & deinde procedi posse ad contractum Matrimonii, servatis servandis*, ut in *lib.*64. *Decret. pag.*345.

De infantibus expositis, quos incertum esset, an salutaribus imbuti aquis fuissent, die 15. Januarii 1724. propositum fuit hoc dubium: *Urbis. Quomodo se gerere debeat Parocus S. Spiritus in Saxia in collatione Baptismatis infantibus, qui ad Archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de Baptismo testantem, sive non habeant, & etiam si ex colore, & cæteris corporis qualitatibus deprehendatur eosdem esse constitutos in ætate sex, aut decem mensium, vel unius anni cum dimidio*: Rescriptumque fuit: *Esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis, juxta instructionem, & instructio est, quod excipiatur a Baptismo sub conditione casus schedulæ, quæ haberet certitudinem*, ut in *lib.*74. *Decret. pag.*21.

Denique in *Ulyxbonen. Orientalis* propositus non ita multo pridem fuit hic casus. Simon exposuit, se in lucem editum fuisse, dum ejus parentes Catholici navigarent in Indias, & a Cappellano navis fuisse baptizatum, sed deesse testificationem de collato Baptismo: parentes, atque etiam eos, qui tunc in eadem navi versabantur, jam mortem oppetiisse; ipsum denique Simonem Catholico ritu in Lusitania semper vixisse, Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sæpius ei ministratis, at nihilominus Parocum ob non probatam Baptismi susceptionem dubio hæsisse animo, num ei liceret Matrimonium contrahere. Die autem 26. *Aprilis* 1732. inter summaria precum censuit Sac. Congregatio scribendum Vicario Capitulari, ut exquireret, interposito jurejurando, ab eodem Simone, quomodo sciret se fuisse baptizatum a Cappellano navis in eadem navi, itemque exploraret, tum ex eo, tum aliunde, quot deinde annis superstites fuissent Parentes, & an ii Christiani vere fuerint, & Christiano ritu educaverint filium. Quod si constaret Parentes fuisse Christianos, vixisse aliquot annos post filii ortum, eumque educasse juxta Catholicæ Religionis leges, nec contraria occurrerent argumenta, ex quibus manare posset prudens dubium de non suscepto Baptismo, Ordinarius liberam Simoni faceret potestatem Matrimonii contrahendi: si vero compertæ esse non possent præmissæ circumstantiæ, quibus inniti debuisset moralis certitudo de suscepto Baptismate, juberet eum ante Matrimonium secreto baptizari sub conditione, ut in *lib.* 28. *Epistol.*

Dignentur itaque Eminentiæ VV. declarare.

An Maria Salome baptizari debeat sub conditione in casu &c.

Esse secreto baptizandam sub conditione, & amplius.

SAN-

Sess.21.c.4. de Ref.

SANCTI MINIATIS DISSOLUTIONIS UNIONIS, Anno 1564. Episcopus Lucanus, ob redditum tenuitatem, Parochialem Ecclesiam S. Reguli prope Castrum Buccianum existentem annexit alteri Parochiali Ecclesiæ S. Jacobi in Pago Balconevisio, ea tamen lege, ut Præpositus subsidiarum Presbyterum adhibere teneretur in exercenda animarum cura. Unio hæc perducta ad effectum fuit, atque hactenus servata. Nunc autem vacante in mense reservato Sedi Apostolicæ Præpositura d. Ecclesiæ S. Jacobi Balconevisii, populus antiquæ Parochialis Ecclesiæ S. Reguli supplex petit unionem dissolvi, & in pristinum statum restitui Parochiam, cum omnibus proventibus, qui olim ad ejus Rectorem pertinebant.

Episcopus S. Miniatis, in cujus Diœcesi ambæ illæ Ecclesiæ sunt post sectionem priscæ Diœcesis Lucanæ a Gregorio XV. factam, refert annuos redditus Præposituræ Balconevisii ob culturam prædiorum utriusque Ecclesiæ nunc attingere summam scutorum bis centum monetæ Florentinæ, non comprehensis etiam emolumentis incertis. Subjungit, prædium, quod olim spectabat ad unitam Ecclesiam S. Reguli, reddere in annuo fructu scuta octoginta; populum Bucciani constare ducentis capitibus, totidemque fere capita numerari in altero populo Balconevisii; pluries denique se ipsum in lustranda Diœcesi perspexisse spirituale detrimentum, atque periculum gregis Buccianensis, cum longa, & aspera sit via ducens ad Parochialem Ecclesiam Balconevisii, ubi residet Præpositus, ita quidem ut nonnulli sine extremorum Sacramentorum præsidio mortem occubuerint. Quamobrem maxime expedire arbitratur, quod rescissa unione, Buccianensis Parochia S. Reguli redintegretur, suumque habeat, ut olim, Rectorem, reservata tamen Præposito Balconevisii honorifica aliqua prærogativa. Quod si Sac. Congregatio non censuerit de medio tollendam unionem, subjicit Episcopus saltem oportere institui Vicariam perpetuam conferendam Presbytero, qui assidue resideat apud Ecclesiam S. Reguli, assignata ei congrua fructuum portione.

Similem dissolutionem unionis faciendam approbavit Sac. Congregatio *in Syracusana dissolutionis unionis* 27. *Januarii* 1703. Cum enim duæ Ecclesiæ Parochiales jamdiu conjunctæ fuissent, sed deinde inter populum unius, & populum alterius gravia fuissent exorta dissidia, propositis binis dubiis, videlicet *I. An sit concedenda petita dissolutio unionis*, *itaut una Ecclesia remaneat independens ab alia*, *& quatenus negative*: *II. An sit indulgenda ex gratia*, responsum fuit: *Pro gratia divisionis juxta modum præscribendum ab Eminentissimo Præfecto*, ut in *lib.* 53. *Decret. pag.*39.

Sed ex contrario *in Lunen. Sarzanen. Dismembrationis*, cum per centum, & triginta annos firma mansisset unio duarum Ecclesiarum Parochialium, quæ duobus milliaribus inter se distabant, & postularetur veteris illius unionis rescissio, (cui tamen petitioni annuendum non putabat Episcopus, cum annui redditus impares essent futuri duorum Parocorum substentationi), Sac. Congregatio die 3. *Martii* 1703. eidem petitioni repulsam dedit, ut in *dicto lib.* 53. *Decret. pag.* 73.

Deliberandum igitur erit.

I. *An sit locus dissolutioni unionis*. Et quatenus negative.

II. *An sit erigenda Vicaria perpetua in Ecclesia S. Reguli in casu &c.*

Ad

Ad primum negative. Ad secundum affirmative cum assignatione congruæ per Episcopum facienda ad normam Constitutionis 47. S.Pii V & cum collatione ejusdem Vicariæ per concursum.

PAPIEN. MATRIMONII. Anno 1702. Mediolani nupsit Theresia Canetta Francisco Smith. Superiore autem anno cum eadem Theresia tunc Papiæ domicilium habens ad alias transire nuptias cuperet cum Antonio Comello, ut de sui status libertate doceret, protulit testificationem de obitu Francisci Smith. Hæc hispano idiomate exarata sic habet: *Constat ex libro Militum vita defunctorum ex cohorte Centurionis Josephi Lopez &c. Franciscum Smith Germanum, & ejusdem cohortis Chirurgum mortem oppetiisse die 20. Septembris* 1717., *& humatum fuisse die* 19. *ejusdem mensis. Ita testor Albæ grææ die* 2. *Octobris* 1717. *Ego Antonius La Vega Cappellanus Legionis*: Erat etiam obsignata hæc schedula sigillo cum imagine aquilæ, superposito pileo. Hanc vero schedulam tunc a se ipso petitam, acceptamque fuisse affirmavit memoratus Antonius Comellus. *Sess. 24. c. 1. de ref. matr.*

At istiusmodi documento non satis fidei dari posse putavit Episcopus Papiensis, tum quia incertum erat, num Franciscus Smith, qui sub annum 1702. Mediolani Matrimonium inierat cum Thæresia, idem ille esset, qui ab humanis rebus ereptus dicebatur Albæ grecæ anno 1717. tum etiam quia suspicionem excitabat narrari hominem sepultum pridie, quam mortuum, tum demum quia non erat documentum illud roboratum auctoritate Ordinarii, nec testium, quibus cognita fuisset manus ejus, qui schedulam exaraverat, proindeque obstabat norma præscripta anno 1670. a Sac. Congregatione S. Officii, quam refert Constitutio 13. Clement. X. in Bullario To.5., ac præsertim n. 15. his verbis: *Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarii, & recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, vel sigillum, & attente consideretur, quod fides, seu testimonia bene, & concludenter identificent personas de quibus agitur*.

Postmodum Antonius Comellus Viennam se contulit, ut alia, si posset, documenta compararet, sed aliud nullum protulit. Scripsit etiam Episcopus Papiensis viro Viennæ commoranti, ut ejus adhibita opera veritas indagaretur. Ille tamen respondit ex pluribus argumentis testificationem supra relatam falsam videri.

Cum igitur Curia Episcopalis negaret se posse facultatem tribuere mulieri, ut alterum iniret Matrimonium, Antonius, & Theresia ad aliam Parochiam commigrarunt, & coram Paroco, dum rem divinam faceret, Matrimonium contraxerunt, irritum quidem hac etiam de causa, quod ille non esset Parocus contrahentium. Post aliquot tamen dies cohabitationis, mulier collocata fuit in pia domo fœminarum pœnitentium. Antonius autem venit ad hanc Urbem, & declarari postulat, satis constare de obitu prioris Mariti Theresiæ, cum affirmet testificationem de obitu eorum, qui in bello moriuntur, haud aliter confici solere, quam per schedulam a Cappellano Legionis exaratam, & paratus etiam sit suo confirmare juramento, se tunc vidisse Cappellanum exscribentem documentum illud e libro, in quem Militum demortuorum nomina relata erant.

Fas

Fas quidem non esse ad alteras transire nuptias, nisi certo accepto nuncio de prioris conjugis morte, sancitum est in *Cap. in præsentia, de sponsal.* Itidemque *in Cap. Dominus, de secund. nupt.* sic habetur: *Nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus*: Quamquam vero varia sit Doctorum opinio circa interpretationem earum Decretalium, probabilior tamen sententia affirmat generatim tantam requiri certitudinem de obitu prioris conjugis, ut prudentis viri judicio nullus moraliter relinquatur de ea dubitandi locus. Ceterum qualis speciatim debeat esse ea eertitudo, & qualis illius assequendæ modus, a singulorum casuum conditionibus, & circumstantiis pendet, habita scilicet ratione, vel regionis admodum remotæ, vel diuturnæ absentiæ, vel belli, aut pestilentiæ grassantis in ea Provincia, in qua cunjux degebat, vel etiam ejus provectæ ætatis, aut ægræ valetudinis, ut videre est apud *Gonzal. in dicto cap. In præsentia num.* 7. *de sponsal. Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disp.* 46. *Bertacchin. vot. dec.*200., & alios, quos refert *de Just. de dispens. lib.*2. *cap.*11., ubi etiam *num.* 37. *& seqq.* probat satis doceri de obitu prioris conjugis, vel ex libro Parochi, vel ex libro Præfecti Nosocomii, vel etiam ex libro alterius Officialis, ad quem spectet mortuorum nomina describere. Fidem itidem adhiberi Duci exercitus asserenti militem e vivis excessisse, docet *Bargen. centur.* 3. *observat.* 42.

Fuit coram hac Sac. Congregatione in *Thurinen. Matrimonii* (ad quam Causam pertinet *Disceptatio* 14. *Advocati Ursayæ tom.* 2. *par.*1.) discussum, an satis censeri posset constare de obitu prioris viri, qui in expugnatione Arcis Susæ interiisse dicebatur. Cumque jam Mulier alterum Matrimonium coram Paroco, & Testibus iniisset, sobole etiam deinde suscepta, Sac. Congregatio *die* 27. *Junii* 1711. iterumque *die* 3. *Aprilis*, *&* 11. *Junii* 1712. jussit *coadjuvari probationes circa obitum primi viri*. Sed cum frustra adhibitæ fuissent diligentiæ ad certius ea de re docendum, tandem die 4. *Febr.*1713. rescriptum fuit, *ex hactenus deductis non constare de nullitate posterioris Matrimonii*, ut in *lib.*63. *Decret. pag.* 33.

Est igitur nunc examinandum.

An Theresiæ Canettæ permitti possit alterum Matrimonium contrahere in casu &c.

Ex hactenus deductis negative, & amplius.

Quatuor, quæ subjicientur Causæ, descriptæ jam fuerant in folio superioris Congregationis, quod resumere EE. VV. non graventur.

Sess. 22. *c.* 3. *de ref.*

ARIANEN. CANONICATUM.

I. An sustineatur erectio trium Canonicatuum ab Episcopo facta anno 1714. in Ecclesia Collegiata S.Michaelis Archangeli. *Et quatenus affirmative.*

II. An substineatur pacta occasione ipsius erectionis inita inter antiquos, & novos Canonicos. *Et quatenus affirmative.*

III. An Canonici novi teneantur contribuere ad omnes impensas necessarias, tam pro Ecclesia, quam pro divinis Officiis, prout tenentur Canonici antiqui.

IV. An

IV. An iidem Canonici teneantur intereſſe Choro, dum adimplentur onera perpetua ſpectantia ad antiquos Canonicos.

V. An emolumentum proveniens ex tumulatione puerorum, quorum rum aſſociationi intereſſe non ſolent neque antiqui, neque novi Canonici, ſpectet privative ad antiquos, ſeu potius participare illud debeant etiam novi Canonici.

VI. An prohibendum ſit Canonicis antiquis concordare, ſeu diminuere funeraria emolumenta in damnum Canonicorum novorum.

VII. An jus accreſcendi ob abſentiam alicujus ex Canonicis, ſive novis, ſive antiquis in emolumento aſſociationis cadaverum, ſpectet dumtaxat ad antiquos, vel potius dividi illud debeat inter novos, & antiquos.

VIII. An quando omnes Canonici novi abſint a choro, eorum punctaturæ dividi debeant inter antiquos Canonicos, qui ſunt præſentes, ſeu potius inter ipſoſmet novos Canonicos, & vice verſa ſi omnes Canonici antiqui abſint, an eorum punctaturæ accreſcant novis Canonicis tantum præſentibus.

IX. An legata pia tam Miſſarum, quam Anniverſariorum a Teſtatoribus relicta Capitulo, ſpectent privative ad antiquos Canonicos, vel potius ea participare debeant etiam Canonici novi.

X. An Canonicus exercens curam Animarum, tamquam Vicarius deputatus ab Epiſcopo ad nutum amovibilis, debeat lucrari emolumentum duplicatum, ſeu potius tantum emolumentum uti Vicarius.

XI. An Canonicus Clericus prius receptus in Capitulum debeat præcedere Canonicum Presbyterum poſtea receptum.

XII. An Præfectus Chori in rebus ad chori diſciplinam ſpectantibus valeat multam Canonicis inobſequentibus irrogare, illam in ſchedula annotare, & occaſione diviſionis redituum Canonicalium ad commodum Eccleſiæ applicare.

XIII. An Procurator pro exigendis emolumentis funerum deputandus ſit viciſſim, hoc eſt uno anno ex Canonicis antiquis, & alio ex novis in caſu &c.

Dilata.

PAPIEN. ONERIS MISSARUM. *Seſſ. 22. Decr. de obſer. & evit. in celebrat. Miſſ.*

I. *An Miſſa quotidiana fundata a Balthaſſare de Magiſtris in Altari SS. trium Regum erecto in Eccleſia S. Crucis PP. Reformatorum S. Franciſci privative celebranda ſit a dd. Patribus, ſive potius celebrari poſſit a Cappellano ab hæredibus deputando.* Et quatenus negative ad primam, & affirmative ad ſecundam partem.

II. *Ad dd. PP. teneantur præſtare patientiam pro celebratione d. Miſſæ, ſoluta eiſdem ſubventione pro utenſilibus, ſive potius ſit locus translationi dictæ Miſſæ ad aliam Eccleſiam arbitrio hæredis in caſu &c.*

Ad primum negative ad primam partem, & affirmative ad ſecundam. Ad ſecundum negative ad primam partem quo vero ad ſecundam affirmative ad aliam Eccleſiam deſignandam ab Epiſcopo.

Sess. 23. c. 10. & 12. de ref.

BRIXINEN.

I. An liceat Abbati Monasterii Stambsensis Ordinis Cisterciensis dispensare super ætate cum Religiosis sui Monasterii sibi subditis pro suscipiendis sacris Ordinibus. *Et quatenus affirmative*.

II. An Monachi ejusdem Monasterii ad Ordines promovendi, præter literas obedientiales, teneantur exhibere Ordinario Brixinensi fidem sui Baptismatis ad docendum de legitima ætate.

III. An liceat d. Abbati dimittere suos Monachos ad alium Episcopum pro suscipiendis Ordinibus, sine literis dimissoriis dicti Ordinarii. *Et quatenus negative*.

IV. An Monachi sic ordinati cum dispensatione Abbatis in ætate, vel ab alio Episcopo cum solis literis obedientialibus, & sine dimissoriis Episcopi Brixinen. sint licite ordinati. *Et quatenus negative*.

V. An, & in quas pœnas tam d. Abbas, quam ipsi Monachi taliter ordinati inciderint.

VI. An liceat d. Abbati Tonsuram, & minores Ordines conferre, non solum Monachis sibi subditis, sed etiam aliis Regularibus sibi non subditis.

VII. An liceat eidem Abbati Tonsuram, & minores Ordines conferre Secularibus aliarum Diœcesum cum Dimissoriis sui Ordinarii, & sine licentia Episcopi Brixinensis. *Et quatenus negative*.

VIII. An taliter ordinati valide susceperint Ordines.

IX. An liceat d. Abbati non solum sacram supellectilem benedicere, in qua sacra unctio non adhibetur, sed etiam Altaria consecrare, & alia vasa sacra, in quibus adhibetur sacrum Chrisma, idque non tantum ad usum Ecclesiæ proprii Monasterii, sed etiam ad usum aliarum Ecclesiarum in casu &c.

Ad primum negative. Ad secundum negative dummodo in literis obedientialibus exprimatur ætas. Ad tertium servetur Decretum Clem. VIII. anni 1596. Ad quartum negative. Ad quintum in pœnas Canonicas. Ad sextum negative quoad non subditos. Ad septimum negative. Ad octavum affirmative. Ad nonum ad Sac. Congregationem Rituum, & amplius in omnibus.

Cap. 18. Sess. 24. de ref.

ASTORICEN. VISITATIONIS SS. LIMINUM.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Non proposita cum sequenti.

Cap. 13. Sess. 25. de ref.

CREMONEN. QUARTÆ FUNERARIÆ. Ad extinguendas controversias, quæ sæpe oriebantur inter Parocos, & Regulares, quorum in Ecclesiis cadavera essent sepelienda, Constitutionem edidit san. me. Benedictus XIII. qua ita sancivit -- *Parochis Defunctorum, qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium prædictorum tumulabuntur, persolvatur, & cum effectu tradatur quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium intorticiorum, & candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur &c. Quod si funus non*

non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differetur, Paroco nihilominus assignetur quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quæ ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa cœnotaphium, seu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejusdem Ecclesiæ, accensa fuerint -- Deinde hæc vero addidit -- *Ubi vero consuetudines legitime probatæ, conventiones, concordiæ, vel statuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem prædicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari sancimus, præcipimus, & jubemus.*

At cum sub annum 1704. Vicarius Generalis Episcopi Cremonensis, auditis prius, tam Parochis, & Præfectis funerum, quam etiam Procuratoribus Civitatis, statuisset certam normam in funeribus servandam, præscribendo etiam, juxta diversam morientium conditionem, quantum in funeribus tribuendum Paroco esset ab hæredibus; idcirco inter Parocos, & Religiosas familias in ea Urbe domicilium habentes orta est quæstio, hodiernam expectans decisionem. Parochi enim, freti memorata Constitutione Benedicti XIII. contendunt sibi præter Taxam constitutam, ut dictum est anno 1704. quamque a defunctorum hæredibus accipere consueverunt, deberi etiam ab Ecclesiis Regularium, ubi cadavera humanda sint, quartam partem funalium, & cerearum facularum, quæ accenduntur die funeris, aliisque sequentibus diebus.

Ex contrario autem Regulares existimant, se nullam partem emolumentorum illius generis tradere Parochis debere, propterea quod id, quod juxta memoratam Taxam Parochi ab hæredibus exigunt, pinguius sit, quam quarta pars emolumentorum cujusque funeris, ac insuper in eadem Taxa cautum ita fuerit *le Torcie del Catafalco finito l'Officio restino al Paroco di quella Chiesa, nella quale si fa il funerale, ed in quelle Chiese, che non hanno Parocchia, restino alla medesima Chiesa* -- Itaque interpellarunt etiam Parochos, ut declararent, num mallent servari deinceps statutum, & consuetudinem, an vero Constitutionem S. M. Benedicti XIII. In alia enim Bulla, quam idem Pontifex edidit pro Dominicana Familia, & quæ incipit *Prætiosus* §.67. explicavit Constitutionem de quarta funeraria antea editam in hunc modum -- *Expresse ita declaramus dictam nostram Constitutionem, & Decreta Concilii Romani, simulque motu, scientia, & potestate prædictis volumus, præcipimus, & mandamus, ut iidem Fratres Parocho relinquant optionem, vel eligendi quartam partem prædictam, vel standi consuetudini, statuto, concordiæ, seu conventioni, eamque pacifice sequantur, ut suæ ipsorum quieti religiose juxta eamdem mentem nostram consulant, Parochi vero semel factam optionem immutare nullatenus possint, aut valeant.*

Parochi vero ad declarationem illam lacessiti, eam his verbis conceptam ediderunt -- *Velle consequi integra emolumenta ab hæredibus defunctorum persolvi solita juxta conditionem, & gradum obeuntium, ipsis Parochis pro assistentiis, & functionibus personalibus, super quibus deductio quartæ non datur, nec dari potest ad formam consuetudinis, seu taxæ dictæ Civitatis, & nihilominus quia taxa, aut consuetudo, nec in littera, aut voluntate, nec ex competentia potestatis ex causa supradictorum emolumentorum pro dd. personali-*

bus assistentiis praejudicat juri Quartæ Funeralis, declaravit debere, & velle consequi quartam partem super cereis, aliisque oblationibus contra Ecclesias Regularium, non Parochiales, ad formam Bullæ S. M. Benedicti XIII.

Putant etiam Parochi sibi suffragari decisionem editam ab hac Sac. Congregatione in *Mediolanen. Quartæ Funeralis 9. Septembris* 1730. & 2. *Junii* 1731., in qua Causa definitum fuit tribuendam esse Parochis dimidiam partem funalium, & facularum ardentium, tam in Altaribus, quam aliis in locis Ecclesiæ tumulantis, vel die funeris, vel in exequiis post cadaveris tumulationem peractis.

Denique Parochorum petitioni adstipulatur quoque suffragium Episcopi.

Decidendum itaque erit.

An Parochis Civitatis Cremonen. præter emolumenta in associatione, & susceptione cadaveris, debeatur quarta, etiam de intorticiis, & candelis, quæ circa cadaver, & in Altaribus accenduntur die funeris, & in aliis subsequentibus Officiis, quando cadavera tumulantur in Ecclesia Regularium in casu &c.

Die Sabbathi 9. Januarii 1734.



Esumpto Folio postremæ Congregationis, Causa mox indicanda discutietur.

Sess. 25. c. 13. de ref.

CREMONEN. QUARTÆ FUNERARIÆ.

An Parochis Civitatis Cremonen. præter emolumenta in associatione, & susceptione cadaveris, debeatur quarta, etiam de intorticiis, & candelis, quæ circa cadaver, & in Altaribus accenduntur die funeris, & in aliis subsequentibus officiis, quando cadavera tumulantur in Ecclesiis Regularium in casu &c.

Præfigatur ab Episcopo Terminus duorum Mensium Parochis ad declarandum, an velint stare Taxæ, & Consuetudini, vel potius, facta Collatione, consequi quartam partem quorumcumque Emolumentorum Funeris.

Cap. 7. Sess. 21 de ref.

BURGEN. TRANSLATIONIS ECCLESIÆ PAROCHIALIS, ET TITULI. Facti species exposita fuit in Folio Congregationis habitæ die 14. Novembris proxime præteriti, disceptatisque binis, quæ sequuntur, Dubiis.

I. *An translatio Ecclesiæ Parochialis S. Martini facta a loco nuncupato Conzexil ad locum del Postigo, e Malgarrida sustineatur.* Et quatenus affirmative.

II. *An*

II. *An titulus S. Martini sit retinendus in d. Parochiali Ecclesia translata, sive potius sit locus mutationi prædicti tituli.*

Responsum fuit: *Ad I. affirmative: Ad II. affirmative ad primam partem, & negative ad secundam, & scribatur Archiepiscopo juxta mentem*: Mens autem Sac. Congregationis fuit, ut retento titulo S. Martini in nova Parochiali Ecclesia, tamquam subrogata antiquæ, Archiepiscopus pro sua prudentia consuleret tranquillitati diffidentium Parochianorum, vel addendo etiam titulum S. Antonii, vel ei dedicando aliquod Altare in eadem Ecclesia.

Cum vero hæc decisio, quæ prodiit, altera ex Partibus litigantibus dilationem petente, hodie novo subjiciatur examini, deliberandum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 14. *Novembris* 1733. *in casu &c.*

In Decisis, & novam Ecclesiam esse nuncupandam sub titulo SS. Martini, & Antonii, & amplius.

CIVITATIS CASTELLANÆ PROCURATIONIS. Descripta fuit hæc Causa in Folio Congregationis habitæ die 28. Novembris transacti anni, sed ob temporis angustias non proposita. Nunc igitur erit definiendum. *Sess. 24. c. 3. de Ref.*

I. An omnes Beneficiati, Confraternitates, & Loca Pia Gallesii teneantur ad Procurationem solvendam Episcopo visitanti juxta repartitionem ab eo approbatam. *Et quatenus affirmativè.*

II. An obstet contraria consuetudo in casu &c.

Ad primum Affirmativè, ad secundum Negativè, & amplius.

SANCTI MARCI VISITATIONIS. Resumpto Folio Congregationis habitæ die 8. Augusti superioris anni, itemque alio diei 28. Novembris, placeat EE. VV. decernere. *Sess. 24. c. 3. de Ref.*

I. Quomodo, & in qua quantitate Episcopo visitanti debeatur procuratio.

II. An Sacerdotes simplices, nullumque Beneficium habentes teneantur contribuere ad solutionem procurationis.

III. An Episcopus debeat restituere pecuniam exactam ultra taxam antiquam in casu &c.

Ad primum deberi quo ad Archipresbyterum ad formam Conventionis anni 1645. Quo verò ad alias Ecclesias, & Confraternitates doceatur de tempore fundationis. Ad secundum provisum. Ad tertium scribatur Episcopo juxta mentem.

ROMANA APERITIONIS ORIS, ET CONGRUÆ. Conquerentibus possessoribus prædiorum de tributo sibi imperato per Constitutionem S. M. Benedicti XIII. in annuis scutis centum solvendis Parochiali Ecclesiæ S. Francisci in Monte Mario, propterea quod, (ut ajebant) Religiosa Familia, cui Ecclesia illa commissa est, congruis proventibus instructa sit, adeoque non subsistat causa, qua Pontifex adductus fuit, ut substentationi Rectorum Ecclesiarum suburbanarum per eum modum consuleret, credens jam eis *Cap. 4. Sess. 21. de ref.*

aliter

aliter non fuisse prospectum, Sacra hæc Congregatio die 27. Junii effluxi anni differendam censuit quæstionis decisionem, jussitque interea *firmari statum Cœnobii*, ut cognosci possit, quid, & quantum in annuo censu aliunde habeant Religiosi, quibus ibi est domicilium.

Hoc igitur demonstrandum ab ipsis erit. Prædiorum verò possessores id etiam addunt, quod alia suburbana Ecclesia S. Agnetis nihil habet proprii vectigalis, cum a Monasterio S. Laurentii extra Muros subministrari consueverint alimenta Religiosis ibi manentibus; & nihilominus nonnisi in summa scutorum sexaginta idem Pontifex assignavit congruam præstandam ab iis, qui in ea Parochia agros possident. Quam ob rem possessores prædiorum in Parochia S. Francisci multo magis dolent, se fuisse præter æquissimam memorati Pontificis mentem subjectos graviori oneri annuorum scutorum centum ad commodum Cœnobii, cujus Fundator jam idoneos redditus contulerat.

Dubia alias proposita, iterumque nunc examinanda, hæc sunt.

I. An sit locus aperitioni oris. *Et quatenus affirmative*.

II. An congruæ assignatio, & Taxæ impositio, de quibus agitur, substineatur in casu &c.

Ad Eminentissimum Præfectum.

Sess.24. c.13. de Ref.

ANGLONEN. PRÆEMINENTIARUM. Ut controversias, quæ diu vigerant inter Clerum Parochialis Ecclesiæ S. Thomæ, & Clerum alterius itidem Parochialis Divi Joannis Baptistæ in Oppido Claramonte, componeret Episcopus, novam stabilivit normam, per quam facta gregis, & territorii sectione, certaque ejus parte cuique earum Ecclesiarum assignata, conditiones etiam utrinque in publicis functionibus servandas præscripsit.

Hujusmodi determinatio partibus inauditis per Episcopum edita exacerbavit potius, quam sedaverit, vel leniverit contentiones, reclamante potissimum Archipresbytero Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, cui nimis durum videbatur Ecclesiam istam, quamvis præstantioribus qualitatibus præditam, exæquatam alteri Ecclesiæ S. Thomæ fuisse, quin etiam istam quodammodo prælatam. Siquidem Ecclesia S. Joannis Baptistæ in pluribus antiquis documentis appellabatur Matrix. In ea fieri consueverat prius æris campani pulsatio in Sabbatho majoris hebdomadæ. In Processionibus potior locus tribuebatur Archipresbytero, & Clero ipsius Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, a qua etiam ducebatur initium earumdem Processionum. Ab ea itidem Visitationem exordiebantur Antistites. Ac denique Archipresbyter Parochialia jura exercere in toto Oppido solebat.

Quod vero spectat ad Ecclesiam S. Thomæ, tametsi aliquando ea appellata fuerit Collegiata, de hujusmodi tamen institutione non constat. Is autem, qui huic Ecclesiæ præest, nuncupatur Rector, & quatuor tantum sunt Cappellani, qui vocantur Canonici. Præterea non liquet, quod Ecclesiæ S. Thomæ olim per se, & absolute competeret jus Parochiale, cum non haberet certum Populum ei hoc nomine subjectum, sed in ea consuevissent Sacramenta administrari iis, qui ultro ea vellent ibidem suscipere. Ceterum solebat quoque Rector ejusdem Ecclesiæ S. Thomæ tradere quotannis Archipresbytero

tero S. Joannis Baptiſtæ elencum eorum, qui ſacro fonti admoti fuerint, vel Matrimonium contraxerint, vel Paſchali præcepto ſatisfecerint: partes autem prædicti Archipresbyteri erant eorum nomina in Parochiales libros referre, & omnium incolarum deſcriptionem conficere, atque Epiſcopo exhibere.

His itaque fretus Archipresbyter S. Joannis Baptiſtæ conquerebatur tam graviter læſa fuiſſe, tum honorifica, tum parochialia jura ejuſdem Eccleſiæ, ea reddendo communia alteri Eccleſiæ S. Thomæ, & ambas faciendo pares.

Sacra Congregatio, cui Cauſa hæc propoſita fuit die 13. Junii ſuperioris anni, cenſuit ſuſpendendam deciſionem, ut de tota re inſtructa etiam redderetur ab aliquo ex finitimis Epiſcopis.

Epiſcopus Caſſanenſis, ad quem datæ fuerunt literæ, reſpondit, Epiſcopum Anglonenſem ſperaſſe quidem conciliandos per eum modum fore diſſentientes Miniſtros utriuſque Eccleſiæ, ſed huic ſpei eventum minime reſpondiſſe, quinimo recruduiſſe diſſidia, quæ ab Eccleſiaſticis profecta derivarunt etiam deinde in laicos, ſua conferentes ſtudia in utramque partem, ſic tamen ut plerique e populo faveant Archipresbyterali Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ, ſed jura alterius Eccleſiæ S. Thomæ ſtrenue tueantur Vir primarius, qui ejus patronatum obtinet; ac denique ita concludit: *Si comparetur ſtatus Eccleſiarum, & Populi ante, & poſt diviſionem, conducibilius fortaſſe apparebit res ad priſtinum ſtatum redire, quam in eo perſiſtere, in quo ad præſens reperiuntur, tum ob ſuperius recenſita mala, & ſcandala, quæ ex diviſione obvenerunt, tum etiam quia Eccleſia S. Thomæ eſt de jurepatronatus laicorum, eique quatuor dumtaxat Sacerdotes inſerviunt, qui omnes a laicis præſentantur; Eccleſia vero S. Joannis Baptiſtæ receptitia eſt, omneſque de Clero, qui Sacerdotio inſigniuntur, amplectitur, inter quos ſicuti animarum cura, ita & redditus omnes etiam, qui alias uni Archipresbytero deberentur, diſtribuuntur. Cumque Sacerdotes dictæ Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ longe plures ſint, quam Sacerdotes Eccleſiæ S. Thomæ adſcripti, Populuſque Archipresbytero ſubjectus numeroſior, æquitati parum conſentaneum videtur, quod pro medietate redditus, & emolumenta cum Rectore, & Cappellanis Eccleſiæ S. Thomæ partiantur. His accedit, quod cum in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ cura animarum penes totum Clerum participantem ſit, propterea Presbyteri omnes de Clero illius ante diviſionem in toto Oppido Sacramentis adminiſtrandis, ac juvandis infirmis incumbebant, modo vero poſt factam diviſionem, cum certis finibus Archipresbyter, ejuſque Cleri auctoritas, ac juriſdictio concluſa fuerit, quæ Populi pars ſupereſt, a ſolo Rectore S. Thomæ (penes quem ſolum cura animarum eſt in ſua Parœcia) Sacramenta ſuſcipit. Quod maxima animarum detrimento fuiſſe, experimento comprobatum eſt, cum plures ejus Parœciæ ſine Sacramentis deceſſerint, ac debita Sacerdotum aſſiſtentia in extremo illius agone prorſus caruerint.*

Erit igitur definiendum.

I. An ſubſtineatur concordia. *Et quatenus negative.*

II. An conſtet de matricitate Eccleſiæ Parochialis S. Joannis Baptiſtæ, ſeu alio titulo ſuperioritatis,

An

III. An Archipresbytero, & Clero ejusdem Ecclesiæ competant supra Clerum, & Rectorem S. Thomæ omnes illæ prærogativæ, quibus gaudere asserebatur ante concordiam.

IV. An Ecclesia S. Thomæ sit vere Parochialis, vel simpliciter curata, & dependens ab Ecclesia S. Joannis Baptistæ. *Et quatenus negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam.*

V. An sit locus divisioni curæ Populi, ac reddituum in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 24. cap. 13. de ref.

ORIOLEN. DECRETORUM. In Civitate Alone, vulgo *Alicante*, Parochialem Ecclesiam S. Nicolai Clemens VIII. anno 1590. in Collegiatam erexit. Tres in ea Dignitates, & undecim Canonicatus instituit, ex quibus Capitulum constaret. Quatuor præterea fecit *Hebdomadarias curatas*, ut scilicet eas obtinentes quæcunque Parochialia munia obirent. Istis vero quatuor Beneficiariis, præter distributiones pro Divinis Officiis celebrandis assignatas, adjudicavit etiam Pontifex emolumenta ex ipsa Animarum cura, ejusque exercitio provenientia. Statuit denique hujusmodi *hebdomadarias curatas* prævio concursu conferri debere, quemadmodum in Ecclesiis Parochialibus ex præscripto Sacri Concilii Tridentini servandum est.

Inter istos quatuor Hebdomadarios, quibus Animarum cura inhæret, & Capitulum ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ haud levis jampridem exarserat contentio, Capitulum quippe putabat penes se esse titulum Parochialem, & jus curæ habitualis, exercitio proinde solum commisso Hebdomadariis cum dependentia a Capitulo. Ex diverso autem Hebdomadarii existimabant nihil juris, & potestatis competere Capitulo in iis, quæ pertinent ad Parochiale munus, sed in ipsis Hebdomadariis residere, & habitu, & actu, curam Animarum independenter prorsus a Capitulo.

Episcopus ingenti animi mœrore videns, quantum detrimenti Ecclesiasticæ disciplinæ dissidia hæc afferrent cum Populi etiam offensione, omni studio primum monuit Canonicos, & Hebdomarios, ut controversias amice componerent; Deinde vero, cum utraque pars declarasset se æqui bonique consulturam quicquid Episcopus ipse statuisset, plura edidit Decreta. Sed nonnullis eorum minime acquiescente Capitulo, res delata est ad hanc Sac. Congregationem. Ea vero, quæ in quæstionem veniunt, ex Dubiis subjiciendis patebit.

Quantum attinet ad jus curæ habitualis, regulariter ubi Ecclesia, quæ erat Parochialis, erigitur in Collegiatam, habitualis cura Animarum translata censetur in ipsum Collegium, vel Capitulum, ut docet *Fagnan. in cap. ex parte num.* 13. *& seq. de Offic. Vic.* aliisque citatis firmavit *Rot. in Bononien. Parochialis* 4. *Junii* 1717. *coram Gamaches*.

Hæc tamen regula locum sibi non vindicat, ubi constet Summum Pontificem in instituendo Collegio haud quaquam transferre in ipsum voluisse jus, ac titulum Parochialem, sed in aliam certam personam, quasi subrogatam in locum pristini Rectoris Ecclesiæ Parochialis; hoc enim casu habitualis cura Animarum non residet penes Capitulum, sed is, cui Parochiale Ministerium commissum est,

jure

jure suo illud exercet independenter a Capitulo, quemadmodum respondit *Rot. dec.* 400. *pag.* 18. *rec.*

Ita vero rem se habere in Ecclesia, de qua agitur, existimavit Episcopus, tum quia Pontifex de Parochiali jure, & Animarum cura nullum verbum fecit relate ad Capitulum; sed quasi seorsum ab illo instituit quatuor Beneficia, quibus perpetuo addixit curam Animarum, diviso inter tales Beneficiarios ejus exercitio alternis per hebdomadam vicibus; tum etiam quia non attribuit Capitulo jus nominandi eos, qui exercitium curæ obire deberent (cujusmodi jus competit Capitulo, ubi penes ipsum resideat cura habitualis) sed imo jussit Hebdomadarias curatas conferri per concursum, adeoque in titulum perpetuum, & independenter a Capitulo. Adstipulante itidem observantia, nam quoties contigit vacatio hujusmodi Beneficiorum curatorum, Episcopus indicto concursu ea conferre consuevit, & literas collationis tradere.

Dubia disceptanda hæc sunt.

I. An sustineatur quintum Decretum Episcopi mandans, quod in exequiis generalibus, & etiam Regiis, quibus adest Capitulum, totum officium, & exactio emolumentorum spectet ad idem Capitulum, assignata Curatis portione, & oblatione; in aliis vero exequiis, quæ etiam generales nuncupantur, quibus intersunt Curati, & Clerus dumtaxat, jus designandi horas, Campanarum sonitum, totumque officium spectet ad eosdem Curatos.

II. An sustineatur vigesimum Decretum mandans, quod quatuor Beneficiati hebdomadarii sint Curati, in quibus resideat jus Parochiale privative quo ad Capitulum, cui non competat, neque actuale, neque habituale jus, & exercitium curæ in Ecclesia, neque in districtu Parochiæ, quodque eisdem hebdomadariis non impediatur, quominus se intitulent Curatos proprios.

III. An sustineatur vigesimum primum Decretum mandans, quod Curati possint in eorum Cappellis, seu in aliis existentibus in Ecclesia Collegiata, ac in Eremitoriis sitis intra limites Parochiæ celebrare Missas, & alia officia Parochialia tempore ipso, quo recitantur horæ Canonicæ.

IV. An sustineatur vigesimum quintum Decretum præscribens, quod in locationibus reddituum communium, venditionibus, & oppignorationibus, Curati, & Clerus concurrere debeant una cum Capitulo, tam in præviis tractatibus, quam in ipsis contractibus.

V. An sustineatur vigesimum sextum Decretum mandans, quod admissio residentis supranumerarii, aut dotalis fiat cum interventu Curatorum, & Cleri, & quod in casu alicujus controversiæ, seu litis inter Capitulum, & Clerum iste separatim se congregare possit in loco, ubi fuerit ei permissum ab Episcopo, sive ab ejus Vicario foraneo, qui eisdem congressibus intersit, ac præsideat.

VI. An sustineatur vigesimum septimum Decretum mandans, quod Capserius, & Collector reddituum communium, & funeralium exhibere debeant Curato hebdomadario particulam cujuscumque testamenti ad pias causas, ut disponere possit mortuarium.

VII. An sustineatur vigesimum octavum Decretum statuens, quod Capitulum non possit mulctare Curatos ob defectus commissos in fun-

functionibus Parochialibus, sed tantum ob illos, quos commiserint circa servitium Chori, & circa officia, quibus Capitulum assistit, & præsidet.

VIII. An sustineatur vigesimum nonum Decretum mandans, quod quando defertur Sacrum Viaticum alicui Dignitati, seu Canonico per aliquam Dignitatem, seu Canonicum, Curatus hebdomadarius assistat deferenti, qui in hujusmodi functione habeatur pro Curato.

IX. An sustineatur trigesimum secundum Decretum mandans, quod in collationibus habendis de moralibus quæstionibus, præsideat Regens, proximum ab eo locum occupet Curatus, reliquæ vero sedes sint communes, tam Canonicis, quam Ecclesiasticis indiscriminatim.

X. An sustineatur trigesimum tertium Decretum mandans, quod in actibus, & functionibus, in quibus per antecedentia Decreta cautum est præsidere debere Curatos, isti possint etiam imponere multam, quæ tamen non excedat unum Regale in casu &c.

Sess. 22. c. 6. de ref. JANUEN. ERECTIONIS COLLEGIATÆ. Joannes Lucas Fabianus Presbyter in Testamento, quod fecit anno 1680. itemque in Codicillis conditis anno 1683. & 1684. jussit annuos redditus pinguis suæ hæreditatis collocari in Locis Montium Cameralium Urbis Romæ, quousque hæc in annuo fructu redderent summam scutorum quatuor millium monetæ Januensis. Tunc vero ex fructibus per quatuor annos percipiendis, tam ex eisdem Locis Montium, quam ex aliis bonis hæreditariis, construi voluit Ecclesiam Collegiatam in Oppido S. Romuli, quod fuerat ejus natale solum. Postquam Ecclesia ædificata fuisset, Primogenituram instituit super bonis stabilibus in eodem Oppido existentibus, eamque deferri voluit primo loco masculis descendentibus a Blanca Francisca ejus Nepte, quæ fuerat in Matrimonium collocata Marchioni Aloysio Arconato Mediolanensi.

Hæredem præterea universalem scripsit ipsam Ecclesiam Collegiatam, in qua fundari voluit Dignitatem Prioratus, septem Canonicatus, & sex Cappellanias. Pro dote autem ejusdem Ecclesiæ assignavit annua scuta bis mille ex illis scutis quatuor mille, quæ ex Locis Montium Romæ emendis, ut dictum est, fuissent percipienda. Reliqua vero annua scuta bis mille destinavit, partim constitutioni dotis puellarum descendentium a memorata ejus Nepte, partim vero subministrationi alimentorum faciendæ adolescentibus ex certis Familiis, quod ad optimarum artium studia animum appellerent.

Vehementer solicitus idem Testator, ut ad effectum perducerentur, quæcunque mandaverat, districte vetuit, ne quid adversus ea tentaretur, nullam etiam derogationem impetrando: quod si secus fieret, inobedientem multavit adeptione cujuscunque commodi ex Testamento quæsiti, vel acquirendi.

Executionem Testamenti tribus speciatim nominatis commendavit, quacunque ad id necessaria facultate eis tributa, additis etiam hisce verbis: *Item ha dato, e da autorità, & facoltà, e balìa in ampla forma alli sudetti suoi Signori Fideicommissarj, ed Esecutori, come sopra quando capitassero in questo luogo* (nempe in Oppido S. Romuli) *impieghi, che stimassero di maggior vantaggio, che quello de'*

de' Luoghi di Monti di Roma a beneficio di maggior moltiplico, che se ne possano servire &c. Ac denique enixe rogavit Senatum Januensis Reipublicæ, ut optatam fundationem Collegiatæ Ecclesiæ in honorem, & cultum B. Virginis suo dignaretur fovere patrocinio, ad tam pii operis effectum felicius assequendum.

Quantum vere esset in hæreditate, & quomodo ejus administratio gesta fuerit, non satis constat. Sed circa annum 1700. Senatus Januensis facultatem fuit impertitus, ut bona stabilia venderentur, & pretium collocaretur in Locis Montium Januæ. Itaque Loca Montium ibidem comparata pro fundatione Collegiatæ Ecclesiæ æquabant summam scutorum 13526. monetæ Januensis. Deinde vero sub annum 1711. instante Marchione Josepho Antonio Arconato, Senatus cum expressa derogatione Testamenti decrevit, quod dicta Loca Montium Januensium partim, hoc est in summa scutorum octo millium, adjudicarentur Primogenituræ; partim vero, videlicet quo ad reliqua scuta 5526. assignarentur piis operibus a Testatore præstitutis, ut ex fructibus conficeretur multiplicum, donec capitale redditurum esset in annuo fructu scuta quater mille.

Ministri Fabricæ S. Petri, quibus commissa est cura, ut piæ defunctorum dispositiones executioni mandentur, Marchionem Arconatum in jus vocarunt. Existimant enim Senatum nec potuisse, nec debuisse mutare voluntatem Joannis Lucæ Fabiani tanto cum detrimento pii operis, quod magnam subiit jacturam, non solum quia pecunia ex bonis hæreditariis congesta non fuerit collocata in locis Montium Romæ, verum etiam quia pars major capitalis, & fructuum adjudicata fuerit jam inde ab anno 1711. Marchioni Arconato, tamquam invitato ad Primogenituram; cum tamen juxta legem Testamenti ex universis proventibus priùs conficiendum esset multiplicum, quod usque dum non pervenisset ad scuta quatuor millia in annuo fructu, nihil poterat competere Familiæ Arconatæ ad hæreditatis partem postmodum vocatæ.

Jussu igitur Sanctissimi Domini Nostri deliberandum ab Eminentiis VV. erit.

I. An sustineatur provisio, de qua agitur, tam quo ad multiplicum in Civitate Januæ, quam quo ad repartimentum. *Et quatenus negative.*

II. An sit locus sanationi. *Et quatenus negative.*

III. An, a quibus, & super quibus bonis debeantur fructus, & fructus fructuum multiplici neglecti ad favorem Collegiatæ erigendæ in casu &c.

LARINEN. VISITATIONIS. Episcopus Larinen. anno 1653. petiit declarari ab hac Sac. Congregatione, an ei jus esset visitandi Ecclesiam existentem in Abbatia Sanctæ Agathæ, quæ esse dicitur Grancia Monasterii Tremitani Canonicorum Regularium Lateranensium. Responsum vero fuit die 20. Decembris ejusdem anni in hæc verba: *Sac. Concilium assistere Episcopo, nec non Constitutionem Gregorii XV. de Exempt. Privileg. ideo exequendum*, ut in *lib.* 19. *Decret. pag.* 196. *Sess. 7. c. 7. & 8. de ref.*

Hoc edito Decreto, cum Episcopus tunc temporis visitationem esset aggressurus illius Ecclesiæ in iis, quæ versabantur circa sacramentorum administrationem: negavit Abbas Monasterii ullum curæ ani-

animarum exercitium obiri consuevisse in ea Ecclesia quo ad laicos. Itaque Episcopus anno 1654. decrevit: *Non esse visitandam dictam Abbatiam pro cura animarum, nisi in casu, quod rursus deputaretur curatus, & erigeretur Fons Baptismalis, & exerceretur in ea cura animarum non inservientium Monasterio.*

Cum tamen hodiernus Episcopus compererit nunc in ea Ecclesia Sanctæ Agathæ administrari incolis Baptismum, aliaque Sacramenta cum Parochialium munium exercitio, institit declarari, an sibi liceret eamdem Ecclesiam visitare ad normam Rescripti, ut dictum est, editi anno 1653. Causa autem proposita die 27. Junii superioris anni, ejusque decisionem differri postulante Abbate, prodiit rescriptum hoc: *Dilata, & interim Canonici Regulares abstineant ab exercitio curæ animarum in Ecclesia S. Agathæ.*

Nunc vero Abbas Monasterii Tremitani duo potissimum demonstrare nititur, videlicet quod in memorata Ecclesia S. Agathæ jam inde a multis annis consueverint sacramenta administrari incolis ejus Oppidi: quodque Ecclesia, & Oppidum nullo modo subsint jurisdictioni Episcopi Larinensis, sed imo extra fines Diœcesis Larinensis existant, atque in separato Territorio Abbatis Monasterii Tremitani.

Quantum pertinet ad primum, Abbas docet fuisse jam tum ab annis circiter sexaginta in ea Ecclesia S. Agathæ gestum quicquid ad Parochi officium spectat, nuptias nempe conciliando juxta Tridentinæ Synodi præscriptum, infantes expiando aqua salutis, extremis muniendo sacramentis ægrotos, & sepeliendo mortuorum cadavera. Episcopus tamen etiam docet quandoque incolis Oppidi S. Agathæ administrata fuisse Sacramenta ab Archipresbytero vicini Oppidi Serræ Capriolæ, quasi eorum Parocho.

Quo vero ad alteram longe graviorem assumpti partem, in medium profert Abbas plura Pontificia diplomata, ex quibus adstrui putat veram conditionem Territorii separati.

At perpendendum erit, num ea Diplomata exemptionem dumtaxat Monasterii, ejusque Abbatis impertiantur, an vero etiam jurisdictionem quasi Episcopalem in populum, cum Territorio a quacunque alia Diœcesi sejuncto. Præterea videtur etiam animadvertendum Diplomata illa agere de Monasterio Insulæ Tremitanæ, non vero etiam de Oppido S. Agathæ, ejusque Ecclesia. Contendunt tamen Canonici Lateranenses Abbatiam S. Agathæ esse Granciam Monasterii Tremitani, proindeque eisdem potiri privilegiis. Denique, ut Oppidum S. Agathæ excludant a Diœcesi Larinensi, vetera quædam proferunt monumenta, quatuor, vel quinque ab hinc seculis edita, in quibus describitur ambitus Diœceseos Larinensis, pluraque enumerantur Oppida, vel pagi, nulla tamen facta mentione Oppidi S. Agathæ.

Momentum itaque hujus Causæ in eo positum videtur, an satis constet Oppidum S. Agathæ, ejusque Ecclesiam sic esse in Territorio separato, ut unice subsit spirituali jurisdictioni Abbatis Monasterii Tremitani; nam ceteroquin, si in Diœcesi Larinensi existat, sique incolæ ejusdem Oppidi comprehendantur sub grege Episcopi Larinensis, sique demum cura animarum inhæreat eidem Ecclesiæ, manifestum utique erit arceri non posse Episcopum Larinensem a visitanda memorata Ecclesia, utcumque exempta, nam Ecclesias etiam

Re

Regulares, vel Monasteriis annexas, in quibus Parochialis cura secularium exerceatur, Episcopus possit, ac debeat visitare in iis, quæ ad hujusmodi exercitium spectant, decernitur a Sac. Concilio Tridentino *Sess.* 7. *Cap.* 7. *& 8. de Ref.* Ipsique etiam Religiosi in spectantibus ad exercitium curæ animarum, Sacramentorumque administrationem, subjecti sint jurisdictioni, & visitationi, & correctioni Episcopi Diœcesani, quemadmodum cautum fuit ab eadem Synodo *Cap.* 17. *Sess.* 25. *de Regul.* eamdemque legem confirmavit Gregorius XV. in *Constit.* 18. qnæ incipit *Inscrutabili* §.4.

Partes itaque hujus Sac. Congregationis erunt definire.

An liceat Episcopo Larinen. visitare Ecclesiam S. Agathæ Insulæ Tremitarum quoad Sacramenta, & Sacramentalia, itaut sit standum, vel recedendum a decisis die 20. *Decembris* 1653. *in casu &c.*

Die Sabbathi 23. Januarii 1734.



Iscuti, ac definiri non potuerunt in Congregatione habita die 9. exeuntis mensis quatuor Causæ, quæ mox describentur.

ANGLONEN. PRÆEMINENTIARUM. *Sess.24. c.13. de Ref.*

I. An substineatur concordia. *Et quatenus negative.*

II. An constet de matricitate Ecclesiæ Parochialis S. Joannis Baptistæ, seu alio titulo superioritatis.

III. An Archipresbytero, & Clero ejusdem Ecclesiæ competant supra Clerum, & Rectorem S. Thomæ omnes illæ prærogativæ, quibus gaudere asserebatur ante concordiam.

IV. An Ecclesia S. Thomæ sit vere Parochialis, vel simpliciter curata, & dependens ab Ecclesia S. Joannis Baptistæ. *Et quatenus negative quo ad primam partem, & affirmative quo ad secundam.*

V. An sit locus divisionis curæ populi, & reddituum in casu &c.

Ad primum negative. In reliquis ad Eminentissimum Præfectum pro nova concordia cum facultatibus Sac. Congregationis, ac etiam cum facultate statim providendi, juxta modum eidem Eminentissimo Domino benevisum, & amplius.

ORIOLEN. DECRETORUM. *Sess.24.c.12. de ref.*

I. An sustineatur quintum Decretum Episcopi mandans, quod in exequiis generalibus, & etiam Regiis, quibus adest Capitulum, totum officium, & exactio emolumentorum spectet ad idem Capitulum, assignata Curatis portione, & oblatione; in aliis vero exe-

exequiis, quæ etiam generales nuncupantur, quibus intersunt Curati, & Clerus dumtaxat, jus designandi horas, campanarum sonitum, totumque officium spectet ad eosdem Curatos.

II. An sustineatur vigesimum Decretum mandans, quod quatuor Beneficiati hebdomadarii sint Curati, in quibus resideat jus Parochiale privative quoad Capitulum, cui non competat, neque actuale, neque habituale jus, & exercitium curæ in Ecclesia, neque in districtu Parochiæ, quodque eisdem hebdomadariis non impediatur, quominus se intitulent Curatos proprios.

III. An sustineatur vigesimum primum Decretum mandans, quod Curati possint in eorum Cappellis, seu in aliis existentibus in Ecclesia Collegiata, ac in Eremitoriis sitis intra limites Parochiæ, celebrare Missas, & alia Officia parochialia, tempore ipso, quo recitantur horæ canonicæ.

IV. An sustineatur vigesimum quintum Decretum præscribens, quod in locationibus reddituum communium, venditionibus, & oppignorationibus, Curati, & Clerus concurrere debeant una cum Capitulo, tam in prævіis tractatibus, quam in ipsis contractibus.

V. An sustineatur vigesimum sextum Decretum mandans, quod admissio Residentis supranumerarii, aut dotalis fiat cum interventu Curatorum, & Cleri; & quod in casu alicujus controversiæ, seu litis inter Capitulum, & Clerum, iste separatim se congregare possit in loco, ubi fuerit ei permissum ab Episcopo, sive ab ejus Vicario foraneo, qui eisdem congressibus intersit, ac præsideat.

VI. An sustineatur vigesimum septimum Decretum, mandans, quod Capserius, & Collector reddituum communium, & funeralium exhibere debeant Curato hebdomadario particulam cujuscumque testamenti ad pias causas, ut disponere possit mortuarium.

VII. An sustineatur vigesimum octavum Decretum statuens, quod Capitulum non possit mulctare Curatos ob defectus commissos in functionibus Parochialibus, sed tantum ob illos, quos commiserint circa servitium Chori, & circa officia, quibus Capitulum assistit, & præsidet.

VIII. An sustineatur vigesimum nonum Decretum mandans, quod quando defertur Sacrum Viaticum alicui Dignitati, seu Canonico per aliquam Dignitatem, seu Canonicum, Curatus hebdomadarius assistat deferenti, qui in hujusmodi functione habeatur pro Curato.

IX. An sustineatur trigesimum secundum Decretum mandans, quod in collationibus habendis de moralibus quæstionibus, si præsideat Regens, proximum ab eo locum occupet Curatus, reliquæ vero sedes sint communes, tam Canonicis, quam Ecclesiasticis indiscriminatim.

X. An sustineatur trigesimum tertium Decretum mandans, quod in actibus, & functionibus, in quibus per antecedentia Decreta cautum est præsidere debere Curatos, isti possint etiam imponere mulctam, quæ tamen non excedat unum Regale in casu &c.

Ad

Ad primum , secundum , tertium , & quartum affirmative. Ad quintum quo ad primam pa tem servetur statutum . Quo vero ad secundam partem negative prout jacet, sed posse privatim tantum Congregationi . Ad sextum , septimum , & octavum affirmative. Ad nonum negative , & amplius in omnibus . Ad decimum dilata.

JANUEN. ERECTIONIS COLLEGIATÆ. *Sess.22. c.6. de ref.*

I. An sustineatur provisio , de qua agitur , tam quo ad multiplicum in Civitate Januæ , quam quo ad repartimentum . *Et quatenus negative* .

II. An sit locus sanationi . *Et quatenus negative* .

III. An , a quibus , & super quibus bonis debeantur fructus , & fructus fructuum multiplici neglecti ad favorem Collegiatæ erigendæ in casu &c.

Ad primum negative, & amplius . Ad secundum negative , & amplius . Ad tertium dilata , & scribatur Archiepiscopo juxta instructionem .

LARINEN. VISITATIONIS. *Sess.7. c.7. & 8. de ref.*

An liceat Episcopo Larinen. visitare Ecclesiam S.Agathæ Insulæ Tremitarum quo ad Sacramenta , & Sacramentalia , ita ut sit standum , vel recedendum a decisis die 20. *Decembris* 1653. *in casu &c.*

Affirmative, & amplius ,

VVORMATIEN. MATRIMONII. Implorante Joanne Petro Douren , Ministro Serenissimi Electoris Palatini , opem , & auctoritatem Sanctissimi D. N. pro dissolutione Matrimonii quatuordecim ab hinc annis initi cum ignobili fœmina acatholica , tamquam rati tantum , nec consummati , die 13. Junii superioris anni Sacra Congregatio censuit *non esse consulendum Sanctissimo pro petita dispensatione* . *Sess.24. c.1 de Ref.matr.*

Repulsam ægre ferens Joannes Petrus preces suas iterum perpendi obsequenter postulat . Non enim petitæ dispensationi obstare putat , quod ipse ex eadem fœmina sobolem illegitimam susceperit, antequam ei nuberet , nam adhuc posse Pontificem subsequens Matrimonium dumtaxat ratum dirimere docent *Bald. in l. Paulus ff. de stat. hom. Castrens. in l. penult. Cod. de Episc. & Cler. Card. de Luc. de Matrim. disc.* 16. *num.* 25. *Menoch. de præsumpt. lib.* 3. *præs.* 1. *num.* 45.

Post Matrimonii celebrationem nunquam conjuges cohabitasse , sed illico Joannem Petrum ab ea secessisse , & in alium demigrasse locum affirmarunt uxor ipsa , pluresque alii Testes , rite interrogati , ex quibus satis constare Matrimonium non fuisse consummatum , publica etiam consentiente fama , censuit Vicarius Generalis Episcopi .

Causas vero ad impertiendam Dispensationem idoneas non deesse idem Vicarius quoque existimat: Generis quippe , atque ætatis imparitas non mediocris inter conjuges: Major etiam circa religionis cultum discrepantia : Viri abalienatio ab ea fœmina irreconciliabilis ;

lis ; Haud incolumis circa honestatem fama ejusdem mulieris : Ejus itidem pertinacia in Calviniana hæresi : Spiritualis periculi timor non levis in homine .

Erit igitur deliberandum .

An sit standum , vel recedendum a decisis die 13. *Junii* 1733. *in casu &c.*

In Decisis , & amplius .

Sess. 25. *c.* 9. *de refor.*

COLONIEN. BENEFICII . Pius Vir Heymannus Heger fundavit anno 1408. approbante Ordinario , Beneficium Ecclesiasticum sub titulo S. Catharinæ in Parochiali Ecclesia Oppidi de Riclinghausen. pluresque adjecit leges circa illud servandas . In eligendis enim Beneficiariis has præscripsit conditiones : *Persona præsentanda actio sit Presbyter , aut saltem talis , quod poterit se , prout tenebitur , infra annum a tempore præsentationis , seu institutionis suæ facere in Presbyterum ordinari , illo tamen præviso , quod hujusmodi persona sit infra Parochiam dictæ Parochialis Ecclesiæ in Rechlinghausen nata , & de sanguine præfati D. Heymanni , si talis haberi poterit , alioquin alia persona in Districtu Rechlingausen nata , ut superius , & inferius qualificata , nullo tamen Beneficio Ecclesiastico beneficiata , sed scientia , & paupertate pollens.* Voluit etiam a Beneficiario quatuor Missas singulis hebdomadis celebrari in eadem Ecclesia per se quidem ipsum , si posset , sin autem per alium , necnon eum omnibus diebus Dominicis , aliisque festis, nisi aliquo probabili impedimento prohiberetur , Divinis Officiis in ipsa Parochiali Ecclesia interesse , hæc subjungens : *Si a personali residentia , quam apud Altare prædictum illi in Divinis fideliter serviendo facere tenebitur , & ultra duos menses , sine Pastoris aut sui Vicegerentis , vel Patroni petita , vel obtenta licentia abstinuerit , & absentaverit , mox hujusmodi duobus mensibus elapsis , novem tamen dierum canonica monitione præmissa , cadet a jure suo , quod in ipso Altari , sive ad illud sibi quomodolibet competebat , ex nunc vacet illud Altare :* Denique etiam cavit , ut omnes , qui ejusdem Beneficii possessionem essent adepturi , prius interposito jurejurando promitterent , se diligenter servaturos quascumque leges fundationis , nec suscepturos officium Cappellani in eadem Parochiali Ecclesia .

Pluribus ab hinc annis Beneficium hoc obtinuit Sacerdos Joannes Fridericus Vveber , qui etiam juramentum a Fundatore injunctum emisit . Nuper vero cum fuerit nominatus ad Parochialem Ecclesiam, quæ spatio sex milliarium distat ab Ecclesia , in qua fundatum est memoratum Beneficium S. Catharinæ, supplicationem porrexit ad impetrandam Pontificiam dispensationem , ut sibi liceret Beneficium ipsum cum Parochiali Ecclesia retinere . Sed contradicentibus petitæ dispensationi Patronis ejusdem Beneficii , Eminentissimus Pro-Datarius exquisivit hujus Sac. Congregationis suffragium , de quo hodie proferendo agitur .

Joannes Fridericus Vveber contendit Beneficium non habere annexam conditionem præcisæ residentiæ , nec eam consuevisse a Beneficiariis servari , proindeque non esse Beneficium ipsum incompatibile cum Ecclesia Parochiali .

Præ-

Præterea ex quo Fundator Beneficium illud conferendum jusserit Clerico nullum aliud Beneficium obtinenti, existimat tamen non per hoc vetitum censeri, quominus ille, qui jam ante hoc Beneficium fuerit assecutus, deinde alterum possit obtinere.

Sed si Pontificia dispensatione opus esset, eam sibi putat indulgendam, tum quia Patronatus prædicti Beneficii spectat ad Familiam ipsius Joannis Friderici Vveber, tum etiam quia, ut refert Vicarius Generalis Coloniensis, *fructus utriusque Beneficii sunt satis exigui, & unum ex iis ad necessariam substentationem vix sufficit*.

At Patroni, a quibus utriusque Beneficii retentio, & petita dispensatio impugnatur, duo ajunt obstare; alterum quod Fundator ea mente fuerit, ut Beneficio, de quo agitur, potiretur, qui nullum aliud obtineret, non solum ante assecutionem, sed nec etiam postea, cum vetuerit quoque, ne Cappellani Officium in eadem Parochiali Ecclesia is susciperet, qui jam esset possessor Beneficii S. Catharinæ. Alterum, quod onus residentiæ ex verbis fundationis superius exscriptis haud obscure deducatur, adeoque incompatibile reddat Beneficium ipsum cum Ecclesia Parochiali, cujus Rectorem residere oportebit alio in loco sex milliaribus Italicis distante.

Proferunt etiam testimonium Plebani, & Commissarii Archiepiscopalis in territorio Rechlinghausensi, in quo existit Beneficium, de quo agitur, itemque Parochialis Ecclesia, ad quam Joannes Fridericus Vveber nominatus fuit. Affirmat autem ille consuevisse possessores Beneficii S. Catharinæ per se ipsos obire munia a Fundatore injuncta, & annuos redditus ejusdem Beneficii satis esse ad commodam substentationem cujusque Sacerdotis, necnon idoneis proventibus instructam esse Ecclesiam Parochialem, quam Joannes Fridericus Vveber est assecuturus.

Concludunt itaque Patroni non esse derogandum legibus fundationis, quibus se pariturum juratus spopondit ipse Joannes Fridericus, nec concedendum Indultum pro retentione utriusque Beneficii incompatibilis, quemadmodum illud minime esse impertiendum censuit hæc Sac. Congregatio in *Casertana Indulti* 8. *Augusti* 1716. ut in *lib.66. Decret. pag.* 343. *& in Polignanen. Dispensationis* 19. *Junii* 1717. ut in *lib.* 67. *Decret. pag.*251.

Erit igitur ab EE. VV. declarandum.

I. An Beneficium S. Catharinæ sit incompatibile cum Ecclesia Parochiali, de qua agitur. *Et quatenus affirmative*.

II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad effectum retentionis utriusque in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

PERUSINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Laurentius de Laurentiis anno 1665. hæredem ex asse scripsit Sodalitium S. Benedicti ea lege, ut juxta vires annuorum proventuum suæ hæreditatis Missæ essent celebratæ a Religiosis viris pietate præstantibus, ac in iis Ecclesiis, quas declarassent Executores in Testamento designati. Itaque hi, discusso, perpensoque hæreditatis asse, determinarunt celebrandas esse quotannis Missas 6250. cum eleemosyna unius julii, juxta morem regionis præstanda pro unaquaque Missa. *Sess.24. c.13. de Ref.*

Missa. Plures quoque constituerunt Cappellanias pro Missarum celebratione in certis quindecim Ecclesiis peragenda; quas quidem Cappellanias Presbyteris secularibus assignarunt, reservata sibi ipsis facultate quandocunque eas transferendi, tum ad alias Ecclesias, tum ad alios Cappellanos.

Ex memoratis Cappellanis S. M. Clemens X. anno 1675. sex addixit Patribus Congregationis Missionis, qui Perusii Domicilium habent. Sed per Transactionem anno 1692. initam reductæ fuerunt ad tres cum dimidia.

Sub initium vero anni 1730. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ per literas Apostolicas san. mem. Benedicti XIII. obtinuit (salvis Cappellaniis, quibus potiebantur Patres Missionis) reliquum hæreditatis incorporari massæ communi ipsius Capituli, ut annui redditus in distributiones quotidianas converterentur, translato simul in Capitulum onere celebrandi Missas pro Testatore, sed tamen in eo tantum numero, qui proportionem haberet cum eleemosyna constituta in annuis scutis sexaginta pro annua quaque Missa quotidiana.

Reclamante deinde sodalitio S. Benedicti, impetrataque facultate impugnandi Pontificium Diploma, quod subreptionis, & obreptionis vitio laborare contendebatur, disceptatum hac de re fuit in Congregatione habita die 5. Maii 1731. Verum differenda visa fuit decisio, ut Sac. Congregatio uberius instructa de iis, quæ in utramque partem exponebantur, redderetur ab Episcopo.

Datæ itaque ad eum fuerunt literæ, quibus referre jubebatur, an, & quot annui proventus destinati essent quotidianis distributionibus, antequam Canonici Apostolicum illud Diploma impetraverint. Itemque quot essent annui fructus singularum Præbendarum, & num ex iis detrahi posset aliqua portio in distributiones convertenda.

Rescripsit Episcopus proventus Capituli varios ob casus magnum subiisse detrimentum, adeo quidem ut, explorato statu, quo res erant anno 1729. compertum fuerit superesse annua tantum scuta 63. inter omnes Canonicos dividenda titulo distributionum quotidianarum, necnon alia annua scuta 180. quibus potiri consueverant ii tantum Canonici, qui statis diebus solemni Missæ Sacrificio, & Vespertino Officio interessent. Subjungit Præbendas Canonicorum (paucis quidem uberioribus exceptis) adeo tenues esse, ut aliæ reddant in annuo fructu dumtaxat summam scutorum quadraginta, aliæ vero quinquaginta, nec proinde eas ferre posse detractionem ullam, per quam distributionibus quotidianis prospectum esse valeat.

Propositis itaque die 9. Augusti 1732. his Dubiis.

I. An sit concedenda aperitio oris. *Et quatenus affirmative*.

II. An sit locus ulteriori executioni Brevis.

Rescriptum fuit: *Ad I. negative*.

Resolutio hæc ad novum revocatur examen, ut librentur iterum momenta eorum, quæ potissimum objiciebantur a Sodalitio Sancti Benedicti.

Dicebatur enim ideo S. M. Benedictum XIII. applicasse massæ capitulari hæreditatem, de qua agitur, cum voluntatis commutatione, quia credidit per hunc modum supplendas fore nimium tenues distributiones quotidianas, quæ antea a Canonicis adstantibus Divinis Officiis in choro percipiebantur, proindeque applicationem illam esse

esse cessuram in Divini cultus applicationem. At vero huic consilio, & causæ finali eventum respondere non potuisse, propterea quod emolumentum inde obveniens massæ capitulari consistat in annuis scutis circiter duobus, & quinquaginta, quibus distributis inter omnes participantes, vix pertinent ad unumquemque annui julii septemdecim; quæ tamen adeo exigua lucri accessio nullum videtur præbere posse incitamentum ad servitium Ecclesiæ majori cum assiduitate, & diligentia obeundum.

Opponebatur etiam non omnino subsistere aliam Capituli expositionem in Apostolico Brevi relatam, videlicet quod Præbendæ adeo tenues sint, ut substinere nequeant ullam detractionem fructuum, qui in augmentum distributionum convertantur. Siquidem Tridentini Patres, qui in *Cap.* 3. *sess.* 21. *de ref.* statuerunt separandam esse tertiam partem fructuum, omniumque proventuum, & obventionum, eamque convertendam in qnotidianas distributiones, generatim legem hanc ediderunt, sive Præbendæ sint pingues, sive tenues, cum ceteroquin nihil re ipsa adimatur Canonicis inservientibus, si eosdem redditus, quos percipiebant, uti fructus Præbendæ, deinde percipiant nomine distributionum quotidianarum, multique sint etiam Canonicatus (ut præsertim contigit in Vaticana Basilica) quorum universi proventus consistunt in solis distributionibus quotidianis, quæ iis, qui Divinis Officiis intersunt, assignantur.

Denique addebatur, quod cum emolumentum afferendum Capitulo ex Pontificio illo Diplomate versaretur circa moderationem numeri Missarum, quas Testator celebrari jusserat, non videbatur congruum minui suffragia Testatori debita, & privari Missarum celebratione Ecclesias, quibus illæ jam fuerant addictæ, ac demum id commodi adimi pauperibus Sacerdotibus, quibus committi solebat celebratio.

Erit igitur deliberandum.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 9. *Augusti* 1732. *in casu &c.*

CONCHEN. FRUCTUUM, ET DISTRIBUTIONUM. Georgius Valero Beneficium, quod vocant mediam portionem, olim possidens in Ecclesia Cathedrali, ad hanc Urbem venit circa initium anni 1726. ut nomine Collegii Portionariorum, a quo procurationis mandatum acceperat, operam navaret suam causæ, quæ coram hac Sac. Congregatione agebatur de augmento distributionum. Preces deinde obtulit eidem Sac. Congregationi, ut absentiæ tempore non solum fructus sui Beneficii, sed etiam quotidianas distributiones consequi posset, & die 30. Martii 1726. Indultum obtinuit ad tres menses. *Sess.* 21. *c.* 3. *de ref. sess.* 22. *cap.* 3. *de ref.*

Prorogationem ejusdem Indulti postulante Georgio, & contradicente Capitulo, die 28. Septembris ejusdem anni Sac. Congregatio Indultum confirmavit ad alios tres menses tantum. His transactis novam postulavit prorogationem ad alios tres menses numerandos ab ultima die præcedentis Indulti, & die 11. Januarii 1727. petitam obtinuit prorogationem.

Simile itidem Indultum impertita eidem Georgio fuit Sac. Congregatio die 29. Martii 1727. pluries subinde etiam facta prorogatione usque in mensem Martium anni 1730. Cum vero memoratus Georgius

gius exposuisset repugnare Capitulum executioni hujusmodi Indultorum, die 30. Septembris 1730. rescriptum fuit: *Orator instet coram Ordinario, qui deveniat ad omnimodam executionem Indultorum Sac. Congregationis, & idem Orator redeat ad residentiam*.

Sub finem anni 1731. exposuit Georgius Indulta ... prius obtinuerat, Capitulum exequi renuisse, seque idcirco destitutum esse pecunia ad iter arripiendum necessaria, prætereaque ægra uti valetudine, nec longæ viæ incommoda substinere posse. Itaque die 1. Decembris 1731. facultatem iterum fuit assecutus, ut per alios quinque menses moram in hac Urbe facere posset, percipiendo fructus, & distributiones, absque tamen spe ulterioris prorogationis.

Episcopus die 23. Februarii ejusdem anni 1731. decrevit executioni mandanda esse omnia præmissa Indulta in gratiam Georgii; cæteras vero controversias ad hanc Sac. Congregationem esse deferendas. Eæ autem sunt, quæ hodiernam decisionem expectant. Contendit quippe Georgius sibi deberi fructus, & distributiones etiam per illud tempus, quod ab Hispania ad hanc Urbem veniens in itinere consumpsit, antequam primum Indultum obtineret. Inquit enim, quod quemadmodum Sac. Congregatio legitimam declaravit fuisse causam absentiæ ad distributiones percipiendas tempore suæ commorationis in hac Urbe, sic quoque eadem causa suffragari illi debeat ad assequendas distributiones tempore itineris, de quo idem esse faciendum judicium, quod de tempore commorationis, deducitur ex *Cap. cum non deceat de elect. in 6.* & respondit *Rot. decis.* 1015. *cor. Seraph.*

Per eos itidem menses, qui inter diem, quo Romam appulit Georgius, & primi Indulti impetrationem effluxere, quotidianas distributiones sibi deberi existimat, propterea quod operam dederit negotio Ecclesiæ, cujus causa huc venerat. Absentibus quippe ob evidentem Ecclesiæ utilitatem distributiones ipsas quotidianas esse tribuendas non secus ac iis, qui Divinis Officiis intersunt, rescripsit Bonifacius VIII. *in Cap. unic. de Cler. non resid. in 6.*

Sed cum ultimum Indultum, quod ex causa litis Georgius impetraverat die 24. Septembris 1729. ad sex menses duraturum, expiraverit die 24. Martii 1730., nihilominus idem Georgius contendit ab hac die usque ad diem 30. Septembris ejusdem anni 1730. quo prodiit Decretum supra relatum, distributiones quotidianas sibi deberi, quia necesse ei fuerit moram facere in hac Urbe ad obtinendam præcedentium Indultorum executionem, cui obluctabatur Capitulum. Petitioni autem huic favere credit similem resolutionem ab hac Sac. Congregatione editam in *Lauretana Distributionum*. In hac enim Causa cum Canonicus Marius Orpitellus die 28. Maii 1695. obtinuisset Rescriptum pro executione Indulti, quod pro absentia antea impetraverat, & a Capitulo fuerat impugnatum, deinde contendebat distributiones sibi competere etiam per aliud tempus, quo in hac Urbe subsederat, ut executionem præcedentis Indulti urgeret. Quamvis autem petitionem hanc Sac. Congregatio rejecisset die 11. itemque *die* 25. *Junii*, tamen *die* 16. *Julii prædicti anni* 1695. ita rescripsit: *Prævio recessu a decisis, deberi Oratori quotidianas distributiones a die* 11. *Decembris* 1694. *in qua rescriptum fuit Episcopo pro informatione, usque ad diem vigesimam octavam proxime præ-*

præteriti Maii, *in qua capta fuit resolutio pro executione Indulti*: ut in *lib*.45. *Decret. pag*.397.

Addit præterea Georgius imputandum sibi non esse, quod neglexerit citius impetrare Rescriptum pro executione Indultorum præcedentium, quia cum in annum 1730. inciderit vacatio Sedis Apostolicæ, intermissa fuit Congregatio usque ad diem 28. Julii.

Denique a die 30. Septembris 1730. usque ad diem 1. Decembris 1731. contendit Georgius distributiones ideo sibi deberi, tum quia interea fuerat incertus de Indultorum executione, tum etiam quia, & senio, & morbo impediebatur, ne iter in Hispaniam aggrederetur. Octavum quippe supra sexagesimum tunc agebat ætatis annum, & de incommoda valetudine testimonium dixere Medicus, & Chirurgus.

Quantum vero attinet ad extraordinaria quædam emolumenta, quæ Georgius sibi etiam per omne tempus absentiæ debita esse existimat, consistunt hæc in uberioribus quibusdam distributionibus, quæ residentibus dari solent tribus solemnibus diebus cujusque anni, nempe Nativitatis Domini, Circumcisionis, & Epiphaniæ. Inquit enim peculiares istas distributiones ex communi massa hauriri, non vero manare a peculiaribus fundationibus, proindeque non diversam a cæteris distributionibus habere naturam, cum solum de Anniversariis a pia Fidelium fundatione provenientibus, eorum emolumenta non comprehendi appellatione distributionum, dixerit *Rot. decis*. 732. *n*.12. *& decis*.863. *coram Molin*.

Ceterum Canonico habenti ob infirmam valetudinem Indultum vacandi a Choro, illud suffragari non solum ad lucrandas distributiones ordinarias, sed etiam ad percipienda quæcumque alia emolumenta, *exceptis tamen Anniversariis*, *aliisque obventionibus non fixis*, *in quibus diversimode fuerit a Testatoribus dispositum* decrevit Sac. Congregatio *in Romana Jurium Canonicalium* 5. *Maii* 1703. *l*.53. *Decret. pag*. 186. *&* 17. *Martii* 1708. *lib*. 58. *Decret. pag*. 98. ac etiam sine Indulto, deberi Canonico ægrotanti omnes distributiones, ac speciatim *mortuaria*, *& Anniversaria juxta consuetudinem Ecclesiæ*, rescriptum fuit in *Tranen. Jubilationis* 13. *Januarii* 1703. *lib*.53. *Decret. pag*.1. *& in Osnabrugen*. 20. *Septemb*.1727. *lib*.77. *Decret. pag*.577.

De habente vero Indultum ex causa defensionis jurium sui Beneficii, vel Ecclesiæ *deberi Massam grossam*, *emolumenta quarumcumque Missarum*, *& quascumque oblationes*, *dummodo omnia onera per substitutum adimpleta fuerint*: respondit Sac. Congregatio *in Pampilonen*. *Distributionum* 11. *Septemb*.1728. *lib*.78. *Decr. pag*.455.

Erit igitur nunc decidendum.

I. An Sacerdoti Georgio Valero debeantur fructus, & Distributiones quotidianæ pro tempore consumpto in ejus itinere usque ad diem accessus ad Urbem, & concessionis primi Indulti.

II. An eidem debeantur fructus, & distributiones a die 24. Septembris 1729. usque ad diem resolutionis editæ pro omnimoda exequutione Indultorum Georgio concessorum.

III. An item debeantur a die 30. Septembris 1730. usque ad diem primam Decembris 1731.

IV. An sub Indultis abessendi, & lucrandi fructus, & Distributiones comprehendantur dies intercedentes inter unum, & alterum ex Indultis præfatis.

V. An

V. An sub eisdem Indultis pro toto tempore absentiæ, de quo supra, comprehendantur distributiones extraordinariæ, quæ repartiri solent ex Massa communi in certis solemnioribus festis anni in casu &c.

Sess.25.c.13. de ref.

TOLENTINA FUNERUM. Folio Congregationis habitæ die 13. Junii superiori anni, in quo descripta fuit, sed non proposita hæc Causa, addi potest aliud Decretum *die* 17. *Aprilis* editum *in Massanen.* Proposito enim hoc Dubio: *An Cadavera in Ecclesiis Regularium sepelienda, antequam ad eas deferantur, asportari debeant ad Parochialem*, rescriptum fuit *Negative*, ut in *lib.*56. *Decret. pag.*122. Itaque dignentur nunc EE. VV. decidere.

An cadavera debeant directe deferri ad Ecclesiam, in qua fuerit electa sepultura, absque præcedenti delatione ad Parochialem in casu &c.

Sess.24.c.14. de ref.

VASIONEN. TAXARUM SYNODALIUM. Cum in hac Diœcesi nulla certa lege præscriberetur quantitas emolumentorum a Parochis percipiendorum in functionibus ad eorum officium spectantibus, Episcopus in Synodo habita anno 1729. Taxam constituit in ea Diœcesi servandam.

Circa Matrimonia statutum sic fuit: *Pro qualibet sponsalium publicatione una cum dispensationum descriptione in libro Matrimoniorum, octo esses, præter retributionem Missæ, dabuntur Parochis, etiamsi cujusdam trium dictarum publicationum fuerit obtenta dispensatio.*

Circa Baptismum sic habet Synodalis Constitutio: *Suppeditabunt Patrinus, aut Matrina pro Baptismi cæremoniis ad minus cereum unum, & linteum candidum, atque ducens, ni maluerint pro his omnibus simul, & pro relatione in acta publica Baptismatum dare quinque asses.*

De funeribus hoc modo cautum fuit: *Pro associatione funerum, & descriptione in libro mortuorum pro adultis dabuntur vigintiquatuor asses, pro vero parvulis, duodecim, præter cereos, qui circum cadaver deferri debent, ultra etiam cereos, quos Sacerdotibus pompam funebrem comitantibus tradere debent. In Urbibus autem, ubi adest Capitulum, aut magna aliqua Aggregatio, Hæredes defuncti tenebuntur solvere Capitulo nummum, si exequias cohonestet, si vero Capitulum non invitetur, triginta asses pro Parocho, & Mansionariis, & quadraginta asses illis magnis Aggregationibus, ultra prædictos vigintiquatuor asses Parocho. Vetamus omnem adultorum sepulturam, quin prius pro defuncto celebretur Missa Solemnis; quod si die sepulturæ adsit aliquod impedimentum, cantabitur prima die non impedita, suppeditando Capitulo, vel magnis Aggregationibus triginta asses, Parochis autem parvorum locorum 20. asses pro qualibet Missa Solemni. Ut plena omnibus fidelibus eligendi sepulturam relinquatur facultas, prohibemus Parochis amplius aliquid exigere pro portatione corporum, quæ apud Regulares sepeliuntur. Mandamus præterea omnibus Parochis, ut gratis celebrent exequias pauperum, & miserabilium personarum.*

Edita hujusmodi Taxa, Consules ejusdem Civitatis provocarunt ad Pro-Legatum Avenionensem, qui eam, uti æquam, & habuit ratam, & servari jussit. Iterum vero reclamantibus Consulibus, delata res est ad hanc Sac. Congregationem.

Con-

Consules nituntur Canonicis sanctionibus, quæ vetant, ne quid pro administratione Sacramentorum, aut cadaverum tumulatione exigatur, quamvis accipi permittant, si quod fuerit ultro, ac sponte oblatum, ut in *Can. Quicquid Can. Placuit Can. Emendari Can. dictum est*, *Can. Baptizandis* 1. *q.* 1. *Can. Quæsta est* 13. *q.* 2. *Cap. Cum in Ecclesia*, *Cap. Non satis*. *Cap. Suam*. *Cap. Audivimus*. *Cap. ad Apostolicam de Simon.* Ajunt itaque Consules non licuisse adversus has Canonicas Leges decerni, & statui in Synodo, nec mutari potuisse veterem morem, vertendo voluntariam oblationem alicujus rei, vel nummi pro cujusque arbitrio consuetam, in necessariam, & coactivam traditionem ex vi legis in tota Diœcesi servandæ. Potissimum vero etiam, quia Civitas Vasionensis annua scuta mille pro decimis solvere consuevit Capitulo Cathedrali, penes quod est abitualis cura Animarum totius Civitatis.

Contra vero ad sustinendam Taxam proponitur animadvertendum Synodalem Constitutionem non imposuisse novum, atque inusitatum onus, sed consuetudinem piæ largitionis, antea variæ circa quantitatem, transtulisse ad uniformem, & omnibus communem modum, ut par, & æqua omnium redderetur conditio. Piam vero consuetudinem hac in re non improbari, sed esse retinendam, habetur in *Cap. Ad Apostolicam* 42. *de Simon.* his verbis: *Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus*, *& pias consuetudines præcipimus observari*, *statuentes*, *ut libere conferantur Ecclesiastica Sacramenta*, *sed per Episcopum loci veritate cognita compescantur*, *qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare*.

Anno 1678. jussu Ven. Innocentii XI. edita fuit ab hac Sac. Congregatione Taxa in omnibus Ecclesiasticis Curiis servanda, quæ extat in *lib.* 30. *Decret. pag.* 139. habeturque impressa apud *Pignattell. consult.* 11. *Tom.* 8. At quamvis in ipso Decreto Sac. Congregationis statutum fuerit mittendum esse illius Taxæ exemplum per literas encyclicas ad quoscumque locorum Ordinarios; nihilominus Archiepiscopus Avenionensis, ac etiam Episcopi, Cavallicensis, Vasionensis, & Carpentoratensis testantur Taxam illam nunquam fuisse missam ad ejus Provinciæ Antistites, nec proinde ibi servari consuevisse.


Restat denique exponendum, quod in *Albanen. Funerum die* 20. *Februarii* 1723. examinatum fuit, an permitti deberet accipi a Parocho patinam, sive discum, quo utebatur in administranda Extrema Unctione, necnon sudariolum, quod in associatione cadaverum Cruci appendi consueverat. Proposito autem Dubio: *An sit permittenda receptio sudarioli*, *& disci*, rescriptum fuit: *Quo ad sudariolum dilata*, *& coadjuventur probationes*, *& quo ad discum*, *non esse permittendam ejus receptionem*, ut in *lib.* 73. *Decr. pag.*64.

Deliberandum itaque erit.

An Taxæ præscriptæ in Synodo Diœcesana Vasionis sint observandæ, *& exequendæ in casu &c.*

Die

Die Sabbathi 6. Februarii 1734.



Uinque ſequentes Cauſæ deſcriptæ jam fuerant in Folio Congregationis habitæ die 23. Januarii proxime præteriti.

Seſs.21. c.3. de Ref. & c.3. ſeſſ.22. de Ref.

CONCHEN. FRUCTUUM, ET DISTRIBUTIONUM.

I. An Sacerdoti Gregorio Valero debeantur fructus, & diſtributiones quotidianæ pro tempore conſumpto in ejus itinere uſque ad diem acceſſus ad Urbem, & conceſſionis primi Indulti.

II. An eidem debeantur fructus, & diſtributiones a die 24. Septembris 1729. uſque ad diem Reſolutionis editæ pro omnimoda executione Indultorum Georgio conceſſorum.

III. An item debeantur a die 30. Septembris 1730. uſque ad diem primam Decembris 1731.

IV. An ſub Indultis abeſſendi, & lucrandi fructus, & diſtributiones comprehendantur dies intercedentes inter unum, & alterum ex Indultis præfatis.

V. An ſub eiſdem Indultis pro toto tempore abſentiæ, de quo ſupra, comprehendantur diſtributiones extraordinariæ, quæ repartiri ſolent ex maſſa communi in certis ſolemnioribus feſtis anni in caſu &c.

Ad primum Affirmative. Ad ſecundum Negative quo ad diſtributiones poſt terminum Indulti. Ad tertium, & quartum Negative quo ad diſtributiones. Ad quintum Affirmative niſi obſtet mens Fundatorum.

Seſſ.24. c.3. & 4. de ref.

VASIONEN. TAXARUM SYNODALIUM. Non abs re, de qua agitur in hac Cauſa, viſum eſt exponere, præter ſcripta in alio Folio poſtremæ Congregationis, quod olim Capitulum Eccleſiæ Tarraconenſis conquerens immodicam eſſe Taxam illius Curiæ Archiepiſcopalis, Judicium inſtituit coram A. C. ut in eadem Curia ſervare compelleretur Taxam Innocentianam. Verum contendente Archiepiſcopo, eam uti editam italico idiomate in modum potius Edicti, quam Bullæ, aut Conſtitutionis Apoſtolicæ, non ea mente promulgatam fuiſſe, ut eſſet etiam ſervanda in Curiis Eccleſiaſticis extra Italiam, controverſia hæc delata fuit ad hanc Sacram Congregationem, in qua ſub titulo *Tarraconen. Taxæ Innocentianæ* propoſitum *die* 2. *Maii* 1699. fuit Dubium illud: *An Taxa Innocentiana ſervanda ſit in omnibus Curiis etiam extra Italiam*. Sed Reſcriptum nihil aliud præſefert, quam remiſſionem ipſius Cauſæ ad Secretarium Sac. Congregationis, nec aliud ea de re apparet, ut in *lib.*49. *Decr. pag.*165. Idque etiam memorat *Eminentiſs. Petra*

ad

ad Constitut. Apost. tom. 1. §. 3. *proem. num.* 32. *& ad Const.* 2. *Urbani VI. num.* 16. *& seq. tom.* 4. quibus in locis plura affert argumenta, quæ non parum momenti habent ad rem dubiam faciendam, num Taxa Innocentiana legem imponat etiam Ecclesiasticis Curiis extra Italiam existentibus.

Hodie itaque decidendum erit.

An Taxæ præscriptæ in Synodo Diœcesanæ Vasionis sint observandæ, & executioni mandandæ in casu &c.

Negative, & amplius.

COLONIEN. BENEFICII. — *Cap. 9. Sess. 25 de ref.*

I. An Beneficium S. Catharinæ sit incompatibile cum Ecclesia Parochiali, de qua agitur. *Et quatenus affirmative.*

II. An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad effectum retentionis utriusque in casu &c.

Ad primum Affirmative. Ad secundum Negative, & amplius in omnibus.

PERUSINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. — *Sess. 24. c. 13 de ref.*

An sit standum, vel recedendum a decisis die 9. *Augusti* 1732. *in casu &c.*

Dilata, & interim Episcopus mandet celebrari Missas ex pecuniis depositis ad rationem Eleemosynæ Manualis: Necnon de executione certiorem reddat Sac. Congregationem, & ad D. Secretarium juxta mentem.

TOLENTINA FUNERUM. — *Sess. 25. c. 13 de ref.*

An cadavera debeant directe deferri ad Ecclesiam, in qua fuerit electa sepultura, absque præcedenti delatione ad Parochialem in casu &c.

Affirmative, & amplius.

BOSANEN. VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM, Episcopus Sacra Apostolorum limina visitaturus ad præscriptum Constitutionis 15. Xisti V. exhibuit relationem status suæ Ecclesiæ, ac inter cetera exposuit, quæ sequuntur. *Quando pro re nata in mea Diœcesi, Palatio Episcopali, vel aliis Ecclesiis ejusdem Diœcesis Pontificalia exercere soleo, juxta Cœremoniale Episcoporum duos Canonicos mihi astituros adhibeo, sed multoties isti ad horam debitam, & tempus opportune assignatum non accedunt in illis diebus, in quibus in Cathedrali Ecclesia quædam Anniversaria legata celebrantur, quæ ad quotidianas distributiones non pertinent, & ex voluntate talium legatorum institutorum inter præsentes solum dividi consueverunt. Possem ex Pontificalibus ad habitum celebrandis in dies non impeditos aliqua transferre; ast non possum ea sic mutare, quæ suos dies certos habent, atque præfixos. Ne ab aliquibus Ponti-* — *Cap. 12. Sess. 24. de ref.*

tificalibus necessariis abstinere cogar, & quæ sunt celebranda, careant debita solemnitate, rogo enixe EE.VV. ut dignentur super intentione legatorum fundatorum dispensare, ut præfati duo Canonici pro præsentibus habeantur, sicuti pro præsentibus habentur Capituli Exactores, Procuratores, & etiam Canonicus Pœnitentiarius, ob quamdam saltem juris fictionem, cum hi majori privilegio gaudere non debeant, quam illi, qui ad Pontificalibus inserviendum a me assumuntur.

Ad ineundam deliberationem de eo, quod sit Episcopo rescribendum, operæ pretium erit nonnulla hic annotari. Porro certum est Canonicis, qui ab Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inservire debent, ut a Sacro Concilio statuitur *Cap.* 12. §. *Omnes vero. Sess.*24. *de ref.* distributiones quotidianas competere, dum id officii præstant erga Episcopum, sive in Templo Cathedrali, sive in aliis Civitatis locis, ejusve suburbiis, quemadmodum ab hac Sac. Congregatione declaratum fuisse testatur *Fagnan. in cap. Licet. n.*168. *de Præbend.* Quamquam si ex diverso assistere Canonici velint Episcopo rem sacram privatim facienti cum ad id minime teneantur seclusa consuetudine, distributiones quotidianas eo tempore amittant, juxta aliam Sacræ Congregationis resolutionem, quam citant *Fagnan. in cap. Exposuisti num.* 105. *de Præbend. Pignattell. consult.*83. *n.*4. *tom.*5. *& Barbos. de Canonic. cap.*33. *n.*12. *& seqq.* & recentius in *Arianen. Assistentiæ* 17. *Maii* 1704. ut in *lib.* 54. *Decr. pag.*187.

At non eadem videtur esse ratio, qua ad emolumenta assignata iis, qui celebrationi Anniversariorum intersint. Hæc enim non a Beneficii titulo proficiscuntur, nec juxta naturam Distributionum destinantur in mercedem servitii, quod præstetur Ecclesiæ; sed cum a peculiaribus Fundatorum legatis promanent, non alia mente censentur relicta, quam ut percipiantur ab iis, qui re ipsa intersint celebrationi Anniversariorum ad Divinam opem implorandam pro Defunctorum suffragio, ut advertunt *Monet. de distrib. par.* 1. *q.*3. *n.*10. *& seqq. Carol. Anton. de Luc. ad Ventrigl. prax. for. Eccles. annot.* 9. §.2. *n.* 4. *Panimol. decis.* 20. *annot.* 3. *num.* 72. *& seqq. Piton. discept. Eccles. tom.*1. *num.* 35. *& de controv. Patron. tom.* 2. *alleg.* 64. *n.* 2. *&* 3. *Eminentissimus Petra ad Const.* 12. *Innocentii III. sect.* 2. *num.*22., *&* 25. *tom.*2. *Rot. dec.* 59. *num.* 6. *&* 7. *par.* 7. *rec. & in Gerunden. Prioratus dec.* 732. *n.* 12. *& dec.* 863. *num.* 9. *& seq. cor. Molines.*

Augetur vero etiam difficultas, cum ipse Episcopus referat, ex voluntate eorum, a quibus Anniversaria sunt instituta, consuevisse inter præsentes tantum distribui eorum emolumenta. Id enim significare videtur Testatores expresse cavisse, ut nonnisi præsentes potiri ea mercede possent. Quamvis autem proposita simili quæstione de Canonico Pontificium Indultum habente, multa in utramque partem argumenta circa Anniversariorum lucra colligat *Pignattell. consult.* 16. *a n.*4. *ad* 17. *& a n.* 26. *ad* 37. *tom.* 3. Hæc autem Sacra Congregatio perstitit in ea sententia, ut si Fundatorum mens veram postulet præsentiam ad percipienda Anniversariorum emolumenta, minime competat eorum participatio Canonicis, qui justo etiam titulo absint, vel Pontificium Indultum ad percipienda canonicalia emolumenta impetraverint, etiamsi Divinis Officiis non intersint, ut

ut tradit *Eminentissimus Petra loco supra citato num.* 27. *& seqq.* & compertum redditur ex inferius recensendis exemplis.

Electoris Coloniensis precibus annuens Pontifex indulserat, ut aliquot Canonici in Ecclesiæ illius gubernatione occupati, proventus, distributiones, & emolumenta quæcumque percipere possent, quibus etiam soli præsentes, & Divinis Officiis interessentes frui consuevissent. Die autem 9. Maii 1671. disceptato hoc Dubio *An stante generalitate, & amplitudine verborum Indulti, veniant omnes distributiones quotidianæ, sive annexæ, sive separatæ a corpore Præbendæ, sive in Anniversariis, seu aliis piorum memoriis, & fundationibus consistant*, rescriptum fuit: *Affirmative, quando aliter non fuerit dispositum a Testatoribus*, ut in *lib.* 27. *Decret. pag.* 77. *& pag.* 116. *in fine*.

Similis quæstio fuit etiam agitata in *Leodien. Indulti*. Indultum præseferebat, ut Canonici, quorum opera uteretur Episcopus in Ecclesiæ, & Diœcesis regimine, lucrari possent omnes fructus, obventiones, & emolumenta quæcumque, ac distributiones etiam quotidianas, ordinarias, & extraordinarias, perinde ac si personaliter residerent, Divinisque Officiis assidue interessent. Ad Dubium vero ita conceptum: *An Indultum Pontificium concessum Episcopo, & Principi Leodiensi suffragetur Canonicis pro servitio illius Diœcesis, & Principatus assumptis, ad effectum consequendi distributiones quotidianas, Anniversaria, omniaque emolumenta, quæ debentur ratione personalis residentiæ, & interessentiæ in choro*, die 10. Julii 1717. rescriptum fuit: *Affirmative, dummodo aliter non fuerit dispositum a Testatoribus*, ut in *lib.* 67. *Decret. pag.* 278.

Agendo autem de Indulto, quod vocant Jubilationis, tribui per illud solet jus percipiendi fructus, & distributiones, *non secus ac si quis Choro, & Divinis Officiis personaliter interesset*. Itaque in *Novarien. Jubilationis* 2. *Octobris* 1677. cum ad Dubium istud: *An duo Canonici jubilati Collegiatæ S. Gaudentii frui debeant emolumentis Anniversariorum, quæ fiunt intra annum, licet non assistant*: responsum fuisset: *Affirmative*, Causa tamen iterum proposita *die* 29. *Novembris* 1681. rescriptum fuit: *In decisis quoad Anniversaria fixa, & in quibus cautum a Testatoribus, ut interessentes tantum participare debeant, ut in lib.* 22. *Decret. pag.* 44. Hujusmodi autem explicatio facta ideo fuit, quia post priorem illius Causæ propositionem aliter fuerat Decretum in *Bituntina Anniversariorum*, in qua discussis die 1. Julii 1679. his Dubiis I. *An Capitularibus jubilatis, quamvis non intersint, vigore Indulti emolumenta Anniversariorum debeantur*. Et quatenus negative. II. *An Indultum prædictum veniat ampliandum etiam ad emolumenta Anniversariorum*: responsum fuit: *Negative ad utrumque, ut in lib.* 30. *Decret. pag.* 359.

In Lunen. Sarzanen. Jubilationis discussa fuerunt die 30. Septembris 1684. hæc Dubia: I. *An vigore jubilationis præfatæ debeatur Canonico, licet non inservienti, portio emolumentorum provenientium ex Anniversariis fixis*: II. *An debeatur portio emolumentorum provenientium ex funeralibus, & Anniversariis incertis, & extraordinariis*: III. *An etiam in casu, quo a Testatore dispositum reperiatur, nihil lucrari debere eos, qui non sint præsentes*, & rescriptum fuit: *Ad* I. *affirmative*. *Ad* II. *&* III. *negative, ut in lib.* 34. *Decret. pag.* 346.

Sic

Sic in *Patavina Jubilationis die* 9. *Junii* 1714. examinato hoc Dubio: *An ultra distributiones quotidianas, admittendus sit Canonicus jubilatus ad participationem Anniversariorum fixorum, in quibus non adest conditio dividendi inter præsentes tantum*, responsum fuit: *Affirmative, ut in lib.*64. *Decret. pag.* 217. Et in *Aquipenden. Indulti* proposito hoc Dubio: *An Canonicus vigore Indulti Jubilationis participare debeat de emolumentis adventitiis Anniversariorum, & associationum cadaverum, si functionibus non intersit*, prodiit die 1. Aprilis 1719. Rescriptum: *Affirmative quoad primam partem, dummodo non obstet voluntas Testatoris, vel dantis. Quo vero ad secundam partem negative, ut in lib.* 69. *Decret. pag.*147.

In hypothesi autem alterius Indulti pro Canonico studiis operam dante, ut interea percipere posset *fructus, & emolumenta quæcumque, necnon distributiones etiam quotidianas, ordinarias, & extraordinarias quomodolibet nuncupatas, & undequaque provenientes, ac etiam solis præsentibus, & Divinis Officiis interessentibus dari solitas*, propositis in *Neapolitana Indulti die* 20. *Februarii* 1677.his Dubiis I. *An Canonico Ragno debeantur integræ distributiones quotidianæ, & omnia, quæ loco distributionum quotidianarum succedunt*: II. *An emolumenta interessentium Anniversariis*. III. *Funeralibus, &* IV. *Missis assignata*, rescriptum fuit: *Affirmative quoad primum tantum, ut in lib.* 29. *Decret. pag.*371.

Denique in specie alterius Indulti concessi Canonico valetudinario cum facultate percipiendi omnes fructus, & distributiones quotidianas *perinde ac si Choro, & Divinis Officiis personaliter interesset*, disceptatum fuit in *Romana Jurium Canonicalium*, sequens Dubium: *An Canonico Stradæ, cui ex causa infirmitatis fuit concessum Indultum vacandi a Choro, aliisque Officiis Divinis, illud etiam suffragari valeat pro laudemiis, quindenniis, Capitulis, actibusque Capitularibus, Anniversariis, Festivitatibus, Processionibus, ac pro quibusvis functionibus in Ecclesia peragendis, itaut lucrari debeat omnia emolumenta cujusvis generis, & speciei, communia nuncupata, ac etiam victualia, & candelas*: Et die 5. Maii 1703. responsum fuit: *Affirmative etiam quoad laudemia, exceptis Anniversariis, aliisque obventionibus non fixis, & in quibus diversimode fuerit a Testatoribus dispositum, ut in lib.* 53. *pag.* 186. Iterumque *die* 27. *Junii* 1705. *lib.*55. *Decret.pag.*233.

Neque vero hæc Sac. Congregationis Decreta repugnant Rescripto Bonifacii VIII. in *Cap. unic. de Cleric. non resid. in* 6., ubi postquam Pontifex edixerat distributiones quotidianas tradendas esse iis tantum, qui Divinis Officiis adfuerint, hæc subjunxit: *Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem, quæ contra hujusmodi nostram Constitutionem receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro defunctorum Anniversariis largiendis, idem decernimus observandum*. Aut enim dici potest, postrema verba, quæ sunt de emolumentis Anniversariorum, referri ad regulam supra constitutam de quotidianis distributionibus non percipiendis, nisi ab iis, qui Divinis intersint Officiis, & in hoc sensu exæquata

di-

distributionibus quotidianis in citato Textu fuisse emolumenta Anniversariorum, ut explicant *Gloss. in dict. Cap. unic. verb. Idem Geminian. ibidem num.*1. *Passerin. dict. Cap. unic. num.* 132. *Lara de Anniversf. lib.* 1. *cap.* 17. *n.*1. *& seqq. Azor. Inst. mor. Tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 7. *q.* 4. Vel si exæquatio emolumentorum Anniversariis assignatorum referri etiam debeat ad exceptionem in eodem Textu adjectam (videlicet quo ad eos, *quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret*) id locum sibi vindicare poterit, ubi non refragetur mens Testatorum, qui solum vere præsentibus emolumenta ab eis relicta assignari voluerint. Cæterum *Sanchez. cons. mor. lib.* 2. *cap.* 2. *Dub.*105. putat non per hoc solum, quod Testator dixerit eleemosynas dividendas esse inter eos dumtaxat, qui anniversario Officio interfuerint, exclusos a participatione censeri eos, quos Juris dispositio pro præsentibus, & interessentibus habeat.

His præmissis, videndum erit in casu proposito, quid possit ad Juris tramites declarari, quidve etiam deceat ex Apostolicæ Sedis benignitate indulgeri Episcopo supplicanti; habita potissimum ratione consuetudinis, quæ ibidem vigere dicitur, ut hujusmodi Anniversariorum emolumenta participent Canonicus Pœnitentiarius, aliique Canonici fungentes Officio Exactoris, & Procuratoris Capituli.

Quamobrem proponitur deliberandum.

I. An Canonici Ecclesiæ Cathedralis assistentibus Episcopo Pontificalia exercenti vel in suo Palatio, vel in aliis Ecclesiis suæ Diœcesis, debeantur Anniversariorum emolumenta, quæ ex voluntate Fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes. *Et quatenus negative.*

II. An sit consulendum Sanctissimo pro concessione Indulti ex gratia, in casu &c.

Ad utrumque negative.

FABRIANEN. FONTIS BAPTISMALIS. Cum jam Sac. Congregatio die 22. *Novembris* 1732. iterumque die 2. *Maii* 1733. approbaverit novam Fontis Baptismalis exstructionem in Parochiali Ecclesia S. Blasii, cui Camaldulensis Familia præest, superest nunc rursus examinandum aliud Dubium, quod propositum fuit in Congregatione habita die 21. *Junii* 1732. videlicet: *An liceat Parocho, & aliis de Capitulo Ecclesiæ Cathedralis S. Venantii in ea baptizare infantes natos in alienis Parochiis, etiam Fontem Baptismalem habentibus, seu potius spectet privative ad ununquemque Parochum habentem Fontem in sua Ecclesia Baptismum conferre propriis Parochianis*: Tunc enim rescriptum fuit: *Servetur solitum*: Sed postea die nimirum 14. *Novembris* 1733. prodiit responsum hoc: *prævio recessu a decisis, negative ad primam partem, & affirmative ad secundam*. Visum quippe fuit expedire, ut sublata etiam contraria consuetudine, quisque Parochus habens Fontem Baptismalem infantes in sua Parochia natos aqua salutis respergat, adeoque ut singuli Pastores suas cognoscant oves, quæ per primum Baptismi Sacramentum in Christi Domini gregem cooptentur, & in Ecclesiæ sinum excipiantur, quemadmodum advertit *Rot. in Romana Juris baptizandi* 12. *Januarii* 1733. *cor. Samminiato*. Id etiam suadente, *Sess.*13. *c.*14. *de ref.*

tum

tum ea ratione, quod Parochis propriis facilius compertum esse potest, quinam ex justis nuptiis procreati sint, & tanquam tales in Parochialem librum referri debeant: tum & alia, quod ab eis vigilantia adhiberi major valet, ne a Parentibus procrastinetur delatio infantium ad Ecclesiam, in qua spiritualem regenerationem sunt assecuturi.

Ut vero finem hæc quæstio habeat, non graventur Eminentiæ Vestræ declarare.

An sit standum in decisis die 21. *Junii* 1732, *vel potius in decisis die* 14. *Novembris* 1733. *in casu &c,*

Proponatur in secunda.

*Sess.*24.*c.*7. *de ref.*

DERTHONEN. JURIUM PAROCHIALIUM. Sunt in Oppido Novarum præter Ecclesiam Collegiatam tres Ecclesiæ Parochiales. Pluribus autem controversiis jamdudum exortis inter Archipresbyterum Collegiatæ, & Rectores ceterarum Ecclesiarum circa jura Parochialia, & aliquarum functionum exercitium, die 3. Decembris 1718. discussa, & decisa fuerunt sexdecim Dubia, quorum primum erat hoc: *An constet de matricitate Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ Novarum, seu potius de alio titulo, aut specie superioritatis*, rescriptumque fuit: *Negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam*: *lib.* 68. *Decret. pag.*487.

Duodecim vero Dubium erat his verbis conceptum: *Starium frumenti occasione funerum Patris, vel Matris familias, aliæque oblationes funebres, an, & pro qua rata dividi debeant inter Ecclesiam Collegiatam, & Parochos*: Suspensa autem tunc fuit resolutio, sed redintegrato ejusdem Causæ examine die 7. Decembris 1720. responsum fuit: *Servandam esse concordiam anni* 1555. ut in *lib.* 70. *Decret. pag.* 532. Illudque Rescriptum confirmationem obtinuit *die* 14. *Aprilis* 1725. ut in *lib.*75. *Decret. pag.*171.

Sed cum ex injuncta observatione memoratæ Transactionis aliæ pullulaverint quæstiones, oportet Decretum mox relatum ad trutinam revocari, simulque explicari normam in ejusdem Transactionis executione servandam.

Porro sic in ea conventum legitur: *Primo si contingat aliquem sepeliri in Ecclesia majori prædicta, etiamsi decessisset sub quavis Parochia, videlicet S. Andreæ, & S. Nicolai, quod in tali casu dantibus superstitibus cadaveris Ecclesiæ starium unum frumenti, prout stilatur, quod dividatur & dividi debeat pro dimidia in dicta Ecclesia majori, videlicet dimidium Rectori, sub cujus Parochia decesserit talis defunctus, seu cadaver, aliam dimidiam Capitulo prædicto, & si minus datum fuerit, dividatur ad ratam, videlicet hoc modo dividatur sal. Item si pro prædictis cadaveribus sepeliendis in dicta majori Ecclesia fiant oblationes in primis officiis, dictæ oblationes fiendæ dividantur, & dividi debeant hoc modo, videlicet, quod Capitulum prædictum de eis habeat, & habere debeat duas tertias partes, Rector vero, sub cujus Parochia decesserit talis defunctus, habeat aliam tertiam partem, & si fiant cætera officia dividantur pro dimidia, & hoc intelligitur, si fuerint capita domorum, sed de Familia, oblationes illius, & officia dividantur pro dimidia. Et si in sepeliendis ipsis cadaveribus relicta fuerint aliqua fanalia in d.*

Eccle-

Ecclesia majori, quod ipsa fanalia dividantur hoc modo, videlicet ex quatuor partibus Capitulum prædictum habeat, & habere debeat tres partes, & Rector sub cujus Parochia erit defunctus cadaver, habeat, & habere debeat aliam quartam partem. Si vero cadavera ipsa sepeliantur in propria Parochia, dummodo sint capita domorum tantum utriusque sexus, & fiant oblationes in primis Officiis, quod ipsæ oblationes dividantur hoc modo, videlicet Capitulum prædictum habeat, & habere debeat ex tribus partibus duas partes, tertiam vero partem habeat ille Rector; & si plura officia fiant in Ecclesiis Parochialibus prædictis, oblationes sint in totum Rectorum, & hoc existit firmatum, ac conventum per pactum expressum inter dictas partes &c. solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus.

Hujus concordiæ conditiones haud æquas esse contendunt Rectores Ecclesiarum Parochialium, ipsamque Transactionem, tum uti injustam, tum etiam uti invalidam, minime esse servandam. Itaque circa id prima versabitur inspectio. Quod si Sac. Congregatio censuerit iterum injungendam esse illius antiquæ Transactionis observationem, locus dabitur examinationi quæstionum, quæ ejus interpretationem, & executionem respiciunt, quæque in aliis subjectis Dubiis proponuntur.

I. Sextarium frumenti occasione funerum Patris, vel Matris familias, aliæque oblationes funebres, an, & pro qua rata dividi debeant inter Ecclesiam Collegiatam, & Parochos, itaut sit standum, vel recedendum a decisis die 7. Decembris 1720. & 14. Aprilis 1725. *Et quatenus in decisis*.

II. An appellatione oblationum, quæ juxta Concordiam anni 1555. dividendæ sunt inter Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochum Ecclesiæ, in qua tumuletur defunctus eidem Parochiæ subjectus, comprehendantur faculæ cereæ in Altaribus ardentes occasione funerum, necnon fanalia (*vernaculæ Torce*) circa cadaver posita.

III. An sicuti ex vi prædictæ Concordiæ dividitur inter Capitulum, & Parochos sextarium frumenti, ita etiam dividi debeant libræ decem monetæ Genuensis, quæ solvi solent obeuntibus advenis, & incolis, qui sint capita domorum.

IV. An Mulieres morientes viventibus Viris dicendę sint capita Domorum, adeo ut circa oblationes, & sextarium frumenti servari debeat divisio præscripta in eadem Concordia.

V. An quando cadavera non sepeliantur in Ecclesia Parochiali, sed in aliis Ecclesiis, sive Oratoriis intra fines Parochiæ existentibus, faciendi sit eadem divisio, non secus ac si tumulatio fieret in ipsa Ecclesia Parochiali in casu &c.

Non proposita.

SYPONTINA SERVITII ECCLESIÆ. In Cathedrali Ecclesia Sypontina omnes Canonici quotidie Divinis Officiis interesse teneantur. Positum tamen erat in more, ut qui unoquoque trimestre servitium per decem dies præstitisset, perciperet fructus, quos vocant *de massa grossa*, quique proveniunt a quodam tributo, quod solvitur ab Universitate Civitatis, amissis tamen distributionibus quotidianis, aliisque exiguis emolumentis, a quibus arcebantur ab- *Cap. 12. Sess. 24. de ref.*

absentes. Persæpe etiam oriebantur contentiones circa distributiones, quas sibi tradi postulabant absentes causa, vel curandæ, vel confirmandæ valetudinis. Itaque die 24. Augusti 1731. Capitulum decrevit in posterum omnibus Dignitatibus, & Canonicis permitti vacationem a choro per tres menses cujusque anni, certis tamen adjectis conditionibus; prima nimirum in hujusmodi vacatione nemo gaudere possit tempore Adventus, & Quadragesimæ, necnon in Solemnitate Nativitatis Domini, atque altera Resurrectionis. Secunda, ut cæteris diebus festis vacare a servitio Ecclesiæ nequeant, qui sint in Civitate. Tertia, ut absentia a Civitate ob causam curandæ, vel confirmandæ valetudinis, aliamve quamcumque causam comprehendi debeat sub indulta vacatione per tres menses. Quarta demum, ut qui morbo affecti in Civitate fuerint, percipere quidem possint distributiones perinde quasi præsentes; ubi tamen primum e domus limine pedem qualibet de causa extulerint, haberi jam nequeant pro ægrotantibus, sed si Divinis Officiis non interfuerint, vel mulctentur, vel absentia referri debeat in numerum trium mensium, quibus vacare permissum est.

Decretum istud plures e Canonicis impugnant dolentes veterem mutari consuetudinem, quæ Divino cultui uberius favebat per magis assiduum servitium a Canonicis præstandum.

Sexdecim sunt in Capitulo, quatuor nempe Dignitates, & duodecim Canonici. Tresdecim quidem subscripserunt Decreto. Sed nihilominus adversus illud objicitur, tum quod tres reliqui accersiti ad Congregationem Capitularem non fuerunt, & Decreto contradicunt; tum quod septem ex iis, qui aderant, deinde declararunt se ideo assenso fuisse Decreto, quia Archiepiscopo probari authumaverant hujusmodi mutationem priscæ consuetudinis, proindeque re aliter se habente, Decreti approbationem revocarunt. Itaque decem hodie sunt, qui veterem morem in præstando Ecclesiæ servitio retineri, & custodiri contendunt.

Id ipsum cupit, summoque studio commendat Archiepiscopus, qui præter alias rationes, quibus movetur, animadvertit etiam, si Decretum illud esset deinceps servandum, facile eventurum, ut omnes vacatione sibi permissa utantur autumnali tempore ad salubriorem aerem alibi excipiendum, proindeque vel nullos tunc Divinis Officiis interfuturos, vel suboriturum inter ipsos Canonicos dissidium, si eorum aliqui cogantur in Civitate residere, & Ecclesiæ inservire, aliis vero liceat sine ulla emolumenti jactura abesse.

Quod hac de re constituit Sacrum Concilium Tridentinum *Cap.* 12. *Sess.*24. *de ref.* est hoc: *Obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, Præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno ab esse; salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.*

Recte vero animadvertit *Fagnan. in Cap. Ad audientiam a n.*8. *ad* 16. *de Cleric. non residen. & in Cap. licet. n.* 48. *de Præbend.* non eam fuisse Tridentinorum Patrum mentem, ut Indultum vacationis per tres menses generatim impertiretur Canonicis omnium Ecclesiarum, sed ut prohiberent, ne ope Statuti, aut consuetudinis abesse ultra hoc temporis spatium liceret, ideoque si ex diverso alicujus Eccle-

fiæ mos sit, ut Canonici longius præstent servitium, talem consuetudinem esse servandam, utpote consentaneam sanctioni juris communis exigentis, ut Canonici quotidie Divinis Officiis intersint, juxta *Clement.* 1. *ibique gloss. de celebr. Miss. Clement.* 1. *in fin. de Reliq. & vener. SS. & Clement.* 2. *de æt. & qual. præf.* Quin etiam subjungit *n.* 51. *Canonicis majori servitio Ecclesiæ, quam novem mensium adstrictis, postulantibus ex gratia vacationem trium mensium, Sac. Congregatio meo tempore semper abnuit.*

Quid vero consequentibus temporibus Sac. Congregatio censuerit, mox exponetur. *In Farfen. die* 13. *Novembris* 1655. indulsit Canonicis Collegiatæ Ecclesiæ S. Victoriæ, ut per duos menses a servitio Ecclesiæ quotannis exempti esse possent arbitrio Cardinalis Abbatis: ita tamen, ut omnes interesse Divinis Officiis deberent diebus Dominicis, ac per omne tempus Adventus, Quadragesimæ, Octavæ Nativitatis Domini, ejusque Resurrectionis, necnon Pentecostes, & Corporis Christi; & numquam plures Canonici, quam in tertia parte eodem tempore frui vacatione possent, ut in *lib.* 19. *Decret. pag.*582. Quem sane modum in vacationibus adhibendum, ut Divino cultui prospectum esset, antea etiam præscripserat Sac. Congregatio in *Auximana* 12. *Julii* 1631. ut in *lib.* 14. *Decret. pag.* 467.

In *Cathacen. servitii Chori*, cum Capitulum Cathedrale inservire soleret Ecclesiæ, ut ajunt, *per tertiarias*, hoc est singuli una ex ternis hebdomadis per totum annum, Sac. Congregatio die 29. Novembris 1698. hanc servitii rationem improbavit. Verum die 5. Septembris 1699. ita rescripsit: *In decisis; sed attenta tenuitate redditum indulgendum esse ex gratia Capitularibus, ut toto anni tempore per mediarias, idest per dimidiam eorum partem alternis hebdomadis Missæ, Matutino, & omnibus horis interesse valeant. Ita tamen ut diebus Dominicis, & festis de præcepto, tempore Adventus, & Quadragesimæ, ac Octavarum Nativitatis Domini, Paschalis Resurrectionis D. N. Jesu Christi, ac Sanctissimi Corporis Christi, ultra medietatem Capitularium, qui in eorum currenti hebdomada integre inservire debent, alia etiam medietas Capitularium, qui non erunt de servitio, Missæ, & Vesperis inservire teneantur, ut in lib.* 49. *Decret. pag.*312.

In Asculana 28. *Januarii* 1696. *&* 15. *Januarii* 1707. vacationi, qua Canonici Ecclesiæ Cathedralis frui solebant per duos menses, additus fuit tertius ob gravitatem servitii, & tenuitatem proventuum, ut in *lib.*49 *Decret. pag.*39. *& lib.*57. *pag.*1. Sed ne vacare possent a Choro in Adventu, & Quadragesima, necnon Dominicis, aliisque festis diebus, ac in Octavis privilegiatis, provisum fuerat *die* 5. *Junii* 1726. *ut in lib.*56. *Decret. pag.*170.

In Ilerden. Servitii Chori 20. *Septemb. &* 15. *Novemb.* 1698. *&* 28. *Novemb.* 1699. Canonici cujusdam Collegiatæ Ecclesiæ postulantes Indultum vacationis per tres menses repulsam passi fuerunt, ut in *lib.* 49. *Decret. pag.*411.

In Lyrien. 20. *Septemb.* 1704. proposito hoc Dubio: *An sit concedendum Indultum vacationis centum dierum a servitio Ecclesiæ*, responsum fuit *negative, & servandam esse dispositionem Sacri Concilii, ut in lib.*54. *Decret. pag.*381. Die vero 24. Januarii 1705. in eadem Causa hoc prodiit rescriptum: *Episcopo, qui sublatis quibuscun-*

que aliis vacationibus, Capitulo Oratori gratis indulgeat, ut ex gratia vacatione trium dumtaxat Mensium quolibet anno frui, & gaudere possit, & valeat, ut in lib. 55. Decret. pag. 23.

In Firmana Distributionum, cum Canonici consuevissent uno tantum mense quotannis vacare, & aliqui novum morem induci optarent vacandi per tres menses, proposito hoc Dubio: *An Præbendato Alexandro Fabritio, & cæteris Præbendatis Ecclesiæ Metropolitanæ Firmi licuerit, & liceat abesse a servitio Ecclesiæ absque licentia Capituli per tres menses quolibet anno a Sac. Concilio permissos, non obstantibus assertis Constitutionibus Capitularibus*: Die 2. Decembris 1713. responsum fuit: *Licere per mensem tantum, neque requiri licentiam Capituli, ut in lib. 63. Decr. pag.* 504.

In Atrien. cum Canonici Ecclesiæ Cathedralis assiduum singulis diebus servitium præstare solerent, & Indultum vacationis per tres menses postularent *die* 19. *Decembris* 1722. rescriptum fuit: *Pro gratia ad duos menses, & ad normam Decreti editi in Farfen.* 13. *Novemb.* 1655. (quod scilicet supra relatum fuit) *ut in lib.* 72. *Decret. pag.* 591.

Denique ad rem, de qua agitur, videtur notandum, quod tempore vacationis a Sac. Concilio permissæ, Canonici possunt quidem suos facere fructus Præbendæ, sed tamen amittere debent distributiones quotidianas, ut pluries declaravit hæc Sac. Congregatio in Decretis relatis apud *Fagnan. in cap. Licet num.* 92. *de præben. Paris. de resignat. lib.* 1. *qu.* 19. *n.* 66. *Pignattell. consult.* 130. *n.* 2. *& seqq. tom.* 1. *Panimoll. dec.* 20. *annot.* 3. *n.* 23. *Eminentissimus Petra ad Constit.* 9. *Bonifacii VIII. num.* 23. *& seqq. tom.* 3. ac præsertim *in Asculana* 15. *Januarii* 1707. *lib.* 57. *Decr. pag.* 1. *& in Suessana* 18. *Aug.* 1708. *lib.* 58. *Decr. pag.* 388.

Partes igitur Eminentiarum VV. erunt determinare.

An Decretum Capituli concedens Dignitatibus, & Canonicis vacationem per tres menses cum conditionibus in eo præscriptis substineatur in casu &c.

Negative, & amplius.

Die Sabbathi 27. Februarii 1734.



Sess. 24. c. 1. de ref.

PAPIEN. MATRIMONII. In Congregatione habita die 12. Decembris superioris anni actum fuit de Causa, proposito Dubio: *An Theresiæ Canettæ permitti possit alterum Matrimonium contrahere*: Rescriptum vero fuit: *Ex hactenus deductis negative*: Visum quippe fuit, non satis, ut par esset, constare de obitu Francisci Smith, cui Theresia jam fuerat in Matrimonium collocata.

At novum hodie documentum profert Mulier. Fuit enim apud Acta Curiæ Episcopalis Laudensis rite interrogatus Antonius Tribaldus, ori-

origine Hiſpanus, qui jam inde ab anno 1690. in militaribus copiis ſtipendia fecit. Is juratus affirmavit ſe olim meruiſſe in Hungaria, ibique noviſſe Franciſcum Smith, Chirurgum ejuſdem legionis, cui ipſe erat adſcriptus. Narrat etiam, ſe eumdem Franciſcum audiviſſe pluries dolentem, quod Uxorem reliquiſſet in ditione Mediolanenſi. Denique aſſeverat, ſe menſe Septembri anni 1717. eum vidiſſe prius ægrotantem, deindeque mortuum in Noſocomio Albæ græcæ. Interrogatus enim in hæc verba: *Quomodo ſciat dictum Franciſcum Smith ex hac vita migraſſe*, ita reſpondit: „ Lo sò molto
„ bene, perche queſto in quel tempo, che io ero Curato dal medeſi-
„ mo nel ſopradetto Oſpedale, ſi ammalò anch' eſſo, e per cer i do-
„ lori, e febbre, che credo foſſe mal di punta, in due, o tre giorni
„ ſe ne morì in un letto per ſcontro al mio, e ſe non sbaglio, morì
„ verſo la mezza mattina; onde beniſſimo lo viddi morto, ed a tirarlo
„ giù dal letto, e come eſſendo Chirurgo, correva nel rango delli
„ Uffiziali, con diſtinzione fu portato a ſeppellire in una Moſchea
„ altre volte de' Turchi, ed allora convertita da' noſtri Cappellani
„ Cattolici in Chieſa, ed il Cappellano, che l'accompagnò alla
„ Sepoltura, ſi addimandava D. Antonio dela Vega Prete Spagnolo.

Tam multa quidem, ac tam minutatim explicata non parum valent ad fidem teſti conciliandam. Sed & ex eodem teſtimonio confirmatur Antonium La Vega fuiſſe Cappellanum legionis, indeque amplior additur vigor teſtificationi editæ ab eodem Presbytero de obitu Franciſci Smith circa finem Septembris 1717. ut in alio Folio narratum fuit.

Ad extremum eſt illud quoque animadvertendum, quod Præpoſitus Parochialis Eccleſiæ S. Mariæ Magdalenæ in eadem Civitate Laudenſi teſtatus fuit prædictum Antonium Tribaldum, habentem domicilium in ejus Parochia, recta conſcientia, boniſque moribus præditum eſſe.

Quæſtionem, an ad probandam conjugis mortem ſufficiat unus oculatus Teſtis, proponit *Sanchez. de Matrim. lib.2. diſp. 46. n.10. & ſeqq.* Sententiam, quæ negat, amplectitur quidem ipſe, uti veriorem, ſed tamen hæc ſubjicit: *Primam tamen admitterem caſu, quo conjux obierit in loco ita diſtanti, ut facile nequeant aliæ probationes haberi: tunc enim ſatis erit nuncius, & ita unus teſtis, conſiderata qualitate perſonæ, & ut veriſimilia dicat; quod Judicis arbitrio committitur, nam quando probatio integra, & plena haberi nequit, ſatis eſt per conjecturas. Extra hunc tamen caſum integra, & plena probatio deſideratur.*

Moraliter quoque certam effici mortem conjugis, ubi ad unius fide digni hominis teſtimonium accedant conjecturæ, veriſimilem reddentes obitum, docent *Engel. ad tit. de Sponſ. duor. n. 5. Anaclet. ad tit. de ſecund. nupt. num.51. Smalzgrub. ibid. num. 14. Gobat. tract. 9. n.320. Guttier. de Matrim. cap. 51. n. 2.*

His igitur perpenſis ſimul cum aliis, quæ jam in altera Congregatione fuerunt propoſita, placeat EE. VV. deliberare.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis die 12. Decembris 1733. in caſu &c.

Arbitrio Epiſcopi.

Sess.24.c.1. de ref. Matr.

PRAGEN. MATRIMONII. Initum juxta Tridentinas leges fuit anno 1717. conjugium inter Comitissam Mariam Joannam de Vvlassin, & Comitem Joannem Josephum de Kaunitz, e primariis Bohemici Regni familiis prognatos. Domesticus convictus, in quo conjuges versati sunt, totos decem occupavit annos. At sub annum 1727. in id covenerunt, ut thoro disjungerentur, ut a viro pensitarentur deinceps communibus precibus imploraretur Pontificis Maximi potestas ad Matrimonii, tamquam rati, & non consummati, dissolutionem. De hac itaque postulatione S. M. Benedictus XIII. agi jussit in hac Sac. Congregatione, bisque jam actum fuit, die videlicet 7. *Julii* 1731. & 26. *Januarii* 1732. Sed cum dilata primum fuerit deliberatio, deinde tamen ad Dubium sic conceptum: *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione*: prodiit rescriptum: *negative*.

Cum igitur difficultatis cardo verteretur potissimum in probanda Matrimonii non consummatione post cohabitationem adeo diuturnam, ambo Conjuges die 11. Maii superioris anni coram Delegato ab Archiepiscopo, Deum Optimum Maximum testantes, asseverarunt Matrimonium numquam fuisse consummatum. Deinde non solum Pater Mariæ Joannæ, qui etiamnum vivit, sed & alii septem prænobiles Viri, testes ab ipsa Maria Joanna producti, & quorum duo eam cognatione attingunt, jurejurando itidem interposito, affirmarunt sese jamdiu fama nuntiante audiisse matrimonium non fuisse consummatum, atque ita etiam certo credere.

Hæc recenter allata sunt, eaque conjungi oportet cum ceteris documentis, quibus in anteacta Causæ propositione utebantur Oratores, ut non solum probarent Matrimonium numquam fuisse consummatum, sed etiam ab initio initum fuisse repugnante vehementer invicem genio, & potius urgente Parentum imperio, injectoque etiam metu ademptionis bonorum hæreditario jure deferendorum. Frustra præterea impensam fuisse operam ad conjugum animos conciliandos, testatus jam fuit Archiepiscopus, illud etiam addens, non levia timeri posse dissidia inter Familias, aut cognatione, aut necessitudine conjunctas, nisi Pontificiæ Dispensationis ope infelices nuptiæ rescindantur.

Varia aliquando impertitæ, quandoque autem negatæ hujusmodi Dispensationis exempla pro variis casuum circumstantiis relata fuere in Folio Congregationis habitæ die 7. Julii 1731. Addi eis quoque alia recentiora possunt. Locum quippe esse Dispensationi, censuit Sac. Congregatio in *Mediolanen. Matrimonii* 24. *Maii* 1732. itemque eodem anno Apostolica auctoritate rescissum fuit Matrimonium, quod per vim, & metum fuerat contractum inter Principem Moncadam, & Ducissam Joppolo Panormitanos, juxta suffragium Congregationis particularis, ex aliquot Eminentissimis PP. huic Sac. Congregationi adscriptis compositæ. Denique mense Decembri superioris anni, præmissa coram simili Congregatione accurata discussione, dissolvit quoque Sanctissimus D. N. justis de causis Matrimonium initum inter Annam Mariam Balbam, & Jo: Jacobum Brignole, nobiles Januenses. Quibus tamen in casibus omnino certum erat Matrimonium non fuisse consummatum.

Contra vero non esse consulendum Sanctissimo pro Dispensationis concessione, rescripsit Sac. Congregatio in *Tarraconen. seu Nisana* *Ma*-

Matrimonii 14. *Novembris* 1733. *& in Vvormatien. Matrimonii* 13. *Junii* 1733. *&* 23. *Januarii proxime præteriti*.

Ceterum quod attinet ad omnino necessariam conditionem non consummationis, credendum haud esse conjugibus id affirmantibus, & communi voto in Matrimonii dissolutionem adnitentibus, habemus in *Cap. super eo. De eo, qui cognov.* Quod tamen videtur intelligendum, si huic tantum confessioni conjugum nitatur probatio: nam ceteroquin confessio ipsorum conjugum, jurejurando confirmata, ac etiam septima propinquorum, vel, si iis desint, vicinorum manu munita, approbatur in *Cap. Laudabilem*, *& in Cap. Literæ vestræ de frigid. & malef.*

At est adhuc observandum, quod in casu proposito non agitur de Matrimonii nullitate declaranda ob impotentiam, prout erat in Decretalibus Epistolis proxime citatis; sed de probanda (citra ullum naturæ vitium) non consummatione matrimonii, ad effectum dissolvendi nuptiale vinculum, quod ex vi Divinæ legis esset insolubile, si consummatum fuisset. Præterea & aliud animadverti oportet, quod scilicet ad conjugum confessionem accessit quidem septima manus propinquorum, vel vicinorum, quos Uxor produxit: sed deest similis juramenti præstatio ex parte propinquorum viri; cum tamen, juxta laudatos Textus, utrinque debeant septem propinqui, aut vicini jurati affirmare sese credere veram conjugum confessionem, adeoque quatuordecim eos omnino esse necesse sit, ut explicant sanctionum earum interpretes, quos colligit *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disp.* 108. *n.* 10.

Denique, si Sac. Congregatio necessarium id judicaverit, non repugnat Comitissa supplendæ probationi ea ratione, quæ traditur in *d. Cap. Literæ vestræ de frigid. & malef.* & in *Cap. Proposuisti de probat.* Id quod servatum quoque est jussu Sac. Congregationis in *Januen. Dispensationis*, in qua deinde rescriptum fuit *die* 20. *Maii* 1719. *&* 27. *Januarii* 1720. *consulendum Sanctissimo pro dissolutione Matrimonii, tamquam rati, & non consummati*.

Definire igitur dignentur EE. VV.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 26. *Januarii* 1732. *in casu &c.*

In decisis, & amplius.

FAVENTINA ONERIS MISSARUM. Claudia de Scottis anno 1675. hæredem fecit Sodalitium S. Mariæ Angelorum, quod institutum erat in Ecclesia Monachorum Cisterciensium, jussitque vendi prædium, quod habebat, ac ex ejus pretio constitui capitale, cujus annuos redditus impendi voluit ad celebrandas perpetuo in eorumdem Monachorum Ecclesia tot Missas, quot ex iis proventibus possent celebrari, nulla facta detractione. Itaque Sodalitatis Officiales anno 1680. vendito prædio, ejus pretium collocarunt in emendis duabus ex tribus partibus alterius prædii, quas eodem tempore transtulerunt in Monachos, qui reliquam tertiam partem jam proprio jure possidebant. Monachi autem promiserunt, se celebraturos quotannis trecentas Missas juxta mentem Testatricis, id quod servatum ab eis fuit in annum usque 1724.

Sess. 22. *Decr. de obser. & evit. in celebrat. Miss.*

At cum ex Indulto S. M. Benedicti XIII. facta tunc fuisset Præsidi ejus-

ejusdem Ordinis potestas moderandi perpetua Missarum onera ad normam eleemosynæ constitutæ in annuis scutis sexaginta monetæ Romanæ pro quotidiana Missa, cumque ex libris accepti, & expensi compertum fuisset annua solum scuta viginti percipi ex dote Cappellaniæ, de qua agitur, idcirco onus, quod ab initio præscriptum fuerat in Missis trecentis, reductum fuit anno 1727. ad centum, & sexdecim.

Verum cum in contractu inito, ut dictum est, anno 1680. inter Monachos, & Officiales Sodalitii conventum fuisset, ut si ipsi Monachi suscepto oneri trecentarum Missarum aliquando non satisfacerent, jus esset Sodalitio repetendi duas illas prædii partes, quæ Monasterio fuerunt transcriptæ, propterea Judicium hac de re fuit institutum in Episcopali Curia, quæ pronunciavit competere Officialibus Sodalitii jus vindicandi eas duas prædii partes ob non servatum a Monachis pactum de celebrandis unoquoque anno trecentis Missis. Num vero Sententia hæc æqua fuerit, videndum ab hac Sac. Congregatione est.

Monachi putant rite factam oneris moderationem, quia facultatem a Pontifice traditam de moderandis generatim oneribus Missarum æquè contendunt referri ad onera a legatis proficiscentia, ac ad onera per contractum suscepta. Potestati vero Sodalibus reservatæ vindicandi prædium Monasterio attributum tunc solum dari locum posse ajunt, ubi ipsorum culpæ imputanda esset neglecta Missarum celebratio in numero per contractum præscripto, secus autem ubi moderatio oneris legitime facta fuerit, accepta ad id potestate a Summo Pontifice.

Sodales autem negant Indultum suffragari pro oneribus Missarum, quorum susceptio per contractum facta fuerit, juxta resolutiones ab hac Sac. Congregatione editas, quarum mentio facta fuit in Folio Congregationis habitæ die 18. Aprilis superioris anni, ubi proposita simili Causa *Romana Reductionis oneris Missarum*, definitum fuit non substineri reductionem ex vi ejusdem Indulti factam ab Abbate Generali Camaldulensium circa onus Missarum, quod a Monasterio S. Gregorii susceptum fuerat per contractum initum cum Archiconfraternitate S. Joannis Decollati.

Ad hæc accedit animadvertendum, quod si Sodales non transtulissent in Monachos fundum, cujus redditus addicti sunt celebrationi Missarum, simulque onus eas celebrandi, utique Testatrix assecutura esset suffragium tot Missarum, quot juxta quantitatem eleemosynæ, ut dicitur manualis, possent adimpleri; ubi enim a Testatore nullus certus numerus Missarum fuerit præfinitus, quantitas eleemosynæ non solet determinari ad normam oneris perpetui.

Quamobrem Sodales, utpote custodes piæ voluntatis memoratæ Claudiæ, concludunt rescindi potius debere contractum, cujus legem violare videtur reductio a Monachis facta: recuperato enim fundo, Sodales ipsi curabunt celebrari Missas in eo numero, quem singulis annis fere poterunt fructus ex eo percipiendi, servata norma eleemosynæ manualis.

Pertinet igitur ad EE. VV. decidere.

I. *An reductio Missarum sustineatur*. Et quatenus negative.

II. *An sit exequendum Decretum Curiæ Episcopalis in casu &c.*

Ad primum Negative; Ad secundum provisum in primo, & amplius.

THEA-

THEATINA. Erecta a S. M. Innocentio XIII. in Collegiatam insignem Ecclesia S. Mariæ Majoris in Civitate Vastensi, hæc Sac. Congregatio negotium dedit Eminentissimo Præfecto, ut pro sua prudentia proponeret normam deinceps servandam in Ecclesiasticis functionibus ad dirimendas controversias, quæ inter illius Ecclesiæ Clerum, & Clerum alterius Ecclesiæ S. Petro sacræ tunc subortæ fuerant. Quidquid vero in suffragio Eminentissimi Præfecti expositum fuit, Sac. Congregatio die 15. Martii 1727. laudavit, probavitque, necnon Pontificia auctoritate confirmatum fuit a S. M. Benedicto XIII., ut fusius refert Folium Congregationis habitæ die 1. Decembris 1731.

At cum Clerus Ecclesiæ S. Petri iterum se audiri peteret, quamvis obstarent Literæ Apostolicæ memorati Pontificis, propterea *die* 1. *Decembris* 1731. propositum fuit hoc Dubium: *An prævia oris apertitione, sit standum, vel recedendum a decisis die* 15. *Martii* 1727. prodiitque Rescriptum: *In decisis, & ad mentem*. Quæ tamen mens versata fuit circa rem alienam ab iis, quæ in disputationem venerant.

Hodie autem Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris, ut diuturnæ liti finis tandem imponatur, non solum confirmari rogat decisionem jam editam, sed etiam addi opportunam declarationem, tum circa Processionem die S. Marci, atque aliam die ultima Rogationum habendam, tum circa alias Processiones extraordinarias, quas ob publicam aliquam causam indicendas censuerit Archiepiscopus. Quo enim ad Processionem, quæ haberi solet festo die S. Marci, & alteram assignatam ultimæ diei Rogationum, declarari petitur, quod post decantatam Missam in Ecclesia S. Petri omnis Clerus, tam Secularis, quam Regularis, exceptis tantum Presbyteris ejusdem Ecclesiæ S. Petri, debeat cum Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris redire ad hanc ipsam Ecclesiam, a qua primum discesserat cum eodem Capitulo. Circa vero alias Processiones incertas, & extraordinarias declarari postulatur, quod in iis eadem servetur norma, quæ in Processionibus ordinariis, & fixis servanda præscribitur in suffragio Eminentissimi Præfecti, a Sac. Congregatione, ut dictum est, approbato: quæ quidem declaratio consonat Ceremoniali Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 32. *sub finem* his verbis: *Ad similitudinem harum Processionum regulari poterunt, & aliæ Processiones extraordinariæ, quas fieri quandoque contigerit ad placandam iram Dei*.

Resumpto igitur Folio Congregationis habitæ *die* 1. *Decembris* 1731. placeat EE. VV. rescribere.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 15. *Martii* 1727. *&* 1. *Decembris* 1731. *in casu &c.*

In decisis cum declarationibus dandis ab Eminentissimo Præfecto.

ROMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Hipolytus Collot Burgundus, qui anno 1671. obiit in hac Urbe, hæredem scripsit Congregationem Urbanam Aulicorum, institutam in Ecclesia SS. Laurentii, & Hipolyti in Fonte. Hæreditatem vero suam jussit augeri, donec annui redditus attingerent summam scutorum 706. 50, Id ubi evenisset, voluit fundari in eadem Ecclesia sex *Sess. 24. c. 6. de Ref.*

Cap-

Cappellanias, conferendas *amovibiliter* Sacerdotibus, qui certis conditionibus præditi essent, ab eisque canonicas horas cum Missa conventuali decantari, & alternatim alias tres Missas quotidie celebrari, adeo ut singuli Missas 244. quotannis celebrare deberent.

Eisdem sex Cappellanis assignavit annua scuta sexcenta; ita tamen, ut summa scutorum 396. inter eos distribuatur, (accipientibus scilicet singulis annua scuta sex, & sexaginta), alia vero scuta 180. tribui debeant Congregationi, subituræ tamen onus parandi, instruendique ædes, quas Cappellani inhabitare possint, ac demum reliqua scuta 24. erogari debeant in stipendium Clericorum, aliosque sumptus Sacrarii.

Præterea cum ex summa annuorum scutorum 706. 50. detractis prædictis scutis 600. superessent scuta 106. 50. mandavit ex iis confici multiplicum cum aliorum bonorum emptione, donec novi redditus ad annuam summam scutorum centum pervenirent, adjecta lege instituendi tunc aliam Cappellaniam; idemque deinceps servari præcepit, quousque novem fundarentur Cappellaniæ.

Postea itidem voluit multiplicum longius produci, ejusque ope construi in eadem Ecclesia novum Sacellum, impensis in id scutis mille. Ac denique per multiplici prosecutionem non solum fundari sex alias Cappellanias, sed etiam deinde vel Seminarium erigi, vel fundum constitui ad tradenda pauperibus puellis dotalia subsidia, vel aliud quodpiam pium opus institui arbitrio ipsius Congregationis Urbanæ. Suam vero hanc voluntatem adeo optavit diligenter servari, & custodiri, ut enixas adjecerit preces, ne Summi Pontifices eam ulla ex parte mutarent.

Adita jam sub annum 1671. fuit hæreditas, cumque hodie annui proventus attingant summam scutorum 713. factus esset locus fundationi sex Cappellaniarum juxta votum Testatoris. Verum Congregationis Administratores plura censent obstare, ne Testatoris voluntas ea ipsa ratione, quam ille præscripsit, perduci ad effectum possit. Sex quippe Cappellani non satis esse videntur ad Divina Officia in Choro decenter persolvenda, & Missas solemni ritu celebrandas. Quamquam vero Testator id animo secum reputans jusserit alias deinceps novem addi Cappellanias, necesse tamen erit, antequam id fieri possit, per tria, vel quatuor secula confici multiplicum ex ea fructuum quantitate, quam eidem multiplico assignavit Testator.

Ad hæc accedit, tum Ecclesiam ipsius Congregationis adeo angustam esse, ut capax non sit chori ad Canonicas horas decantandas necessarii, tum etiam deesse ædes, quæ Cappellanorum domicilio destinari possint, quæque si extruerentur, insumenda in hoc foret summa scutorum circiter sex millium. Quamobrem Congregatio preces porrexit Sanctissimo D. N. ut dignaretur voluntatem memorati Testatoris commutare cum in modum, qui congruentior sit, exitumque habere commodius possit.

Eminentissimus Caraffa illius Congregationis Protector sententiam suam pandere rogatus existimat, sic annuendum, ut scilicet octo nunc instituantur Cappellaniæ, quarum Rectores sint amovibiles. Cappellani immunitatem habeant ab onere psallendi sacra in choro, sed singuli annuas Missas 244. celebrare teneantur in suffragium Testatoris, ipsamque etiam Missam canere singulis diebus festis per vices.

vices. Duo insuper ex eisdem Cappellanis confessiones excipiant in Ecclesia Congregationis; unus quidem eorum alternatim diebus ferialibus, uterque autem diebus festis. Stipendium Cappellanis assignetur in annuis scutis sexaginta, atque insuper alia scuta duodecim iis duobus Cappellanis, qui aures præbebunt confitentibus. Præterea annua summa scutorum 103. applicetur Congregationi, ut sumptus Ecclesiæ, & Sacrarii, ac etiam stipendium Clericis tribuendum sustinere possit. Reliqua vero summa annuorum scutorum 106. 50. addicta esse debeat multiplico prosequendo, ut quotiescumque novum capitale inde comparandum reddere in annuo fructu potuerit scuta sexaginta, toties altera instituatur Cappellania, assignatis scutis sexaginta novo Cappellano, reliquis vero scutis decem Congregationi. Denique salva maneat voluntas Testatoris, tum de præferendis in assecutione Cappellaniarum iis, qui cognatione eumdem Testatorem attingerent, tum etiam de construendo Sacello, & constituendo alio fundo, vel pro subsidiis dotalibus, vel pro convictu adolescentium, vel pro aliis piis operibus arbitrio Congregationis.

Istud est compendio collectum suffragium Eminentissimi Protectoris, quod fusius videre poterunt EE. VV. cum supplici libello. Quoniam vero Testator, si Congregatio Urbana Aulicorum hæreditatem cum præscriptis oneribus adire intra unius anni spatium noluisset, eamdem hæreditatem universam transferri voluit ad hospitalem domum Peregrinorum, ejusque Ecclesiam Sanctissimæ Trinitati sacram, in subsidium pii instituti, quod ibidem servatur, necnon cum onere annuæ celebrationis centum Missarum, propterea moniti etiam fuerunt Administratores illius Archiconfraternitatis, ut proponere, si quid objiciendum habeant, in hodierna istius rei discussione possint.

Commutationes ultimarum voluntatum nonnisi ex justa, & necessaria causa fieri debere admonet Tridentina Synodus *Cap. 6. Sess. 22. de Ref.* Itaque juxta hanc regulam Sac. Congregatio, quæ consuli solet, quandoque impertiendam, quandoque negandam censuit petitam voluntatis commutationem, prout singulorum casuum circumstantiæ postulare visæ sunt circa usum summæ, & amplissimæ illius potestatis, quæ penes Romanum Pontificem est de mutandis dispositionibus in pias causas factis, ut habetur in Concilio Generali Viennensi, de quo in Clementina: *Quia contingit de Religios. Dom.* Quare Card. Pallavicinus in *Histor. Sac. Concil. Trident.* cum de hac potestate egregie disseruisset *lib.* 17. *cap.* 9. *num.* 11. *& sequen: & lib.* 18. *cap.* 10. *num.* 10. sic concludit: *L'uso poi di tal podestà in Roma e tanto parco, e considerato, quanto può sperimentare chiunque tenta quivi somiglianti commutationi.*

Difficilius autem derogatio, aut commutatio solet indulgeri, quando Testator tantam solicitudinem patefecit de suæ voluntatis executione in modum a semetipso præscriptum, ut precatus Pontificem Maximum fuerit, ne eidem voluntati derogaret. Quamobrem si circumstantia hæc exposita non fuerit in precibus Pontifici oblatis, gratiam commutationis reddi obnoxiam vitio subreptionis, adeoque irritam, tradunt *Felin. in Cap. Constitutus num.* 14. *de Rescript. Card. de Luc. de fideic. disc.* 265. *n.* 5. *Rot. dec.* 88. *n.* 11. *cor. Reverendissi-*

mo Crispo, & *in Reàtina Salviani* 16. *Junii* 1704. §. *Subreptio*, & *seqq. cor. Omanna*.

Ceterum quando Testatoris dispositio nequeat effectum sortiri eo, quem ipse præfinivit, modo tunc verius adjuvari, quam abrogari censetur voluntas Testatoris, si alter adhibeatur modus, qui sit aptior ad assequendum pii operis finem, & effectum, ut probavit *Rot. in dec.* 14. *Tit.* 22. *de legat. & fideicom. particul. cor. Card. Falconerio.*

Pertinet igitur ad Eminentias VV. deliberare.

An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis Hypoliti Collot, & quomodo, in casu &c.

Affirmative in hoc tantum, ut singulis Cappellanis tribuantur annua scuta 96. atque habitatione, aliisque commodis in Testamento expressis, & amplius.

Cap. 12. *Sess.* 24. *de ref.*

PLACENTINA JURIS SEDENDI IN CHORO. Translatum anno 1544. fuit Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Joannis Evangelistæ ad alteram Ecclesiam S. Michaelis. Tam Canonici, quam Præbendarii, inter quos nullum est discrimen circa formam vestis choralis, uno, eodemque subselliorum ordine, qui ibi erat, in Divinis obeundis Officiis uti consueverunt, donec in eodem choro extructi fuerunt duo subselliorum ordines, alter superior pro duodecim Canonicis, alter vero inferior pro octo Præbendariis. Inde vero haud leves ortæ contentiones. Præbendarii enim arbitrabantur sibi licere superiora subsellia occupare, si quę vacua ob Canonicorum absentiam essent. Hoc autem impugnabatur a Canonicis.

Ad rem transigendam Capitulum duos delegit Canonicos, qui consenserunt, ut Præbendariis daretur aditus ad vacua subsellia ordinis superioris juxta pristinum morem. Sed mox Capitulum revocavit mandatum, quod in eos binos Canonicos contulerat, & executioni conventionis ab eis initæ contradixit.

Episcopus ad tollendum dissidiorum fomitem expedire censet, ut Sac. Congregatio decernat Præbendarios ascendere numquam posse ad subsellia superioris ordinis.

Non parum affinitatis cum hac Causa habet alia *Pisana*, de qua actum fuit *die* 18. *Augusti* 1731. & 12. *Januarii* 1732.

Decidendum igitur erit.

An liceat Præbendariis Collegiatæ Ecclesiæ S. Michaelis sedere in superioribus subselliis chori, quoties vacant ob absentiam Canonicorum, sive potius sedere semper debeant in subselliis inferioribus in casu &c.

Negative ad primam partem, & Affirmative ad secundam.

Sess. 25. *c.* 5. *de refor.*

COMEN. BENEFICII. Petrus Antonius Gattus, ortus Tilii in Valle Tellina, anno 1696. ut ad Sacros Ordines promoveri posset, Beneficium Ecclesiasticum, sive Canonicatum fundavit, idonea constituta dote, cujus annui proventus constant summam scutorum circiter 52. monetæ Romanæ. Juspatronatus vero sibi ipsi, quamdiu viveret, reservavit, ac deinde spectare voluit ad Antonium Fratrem, ejusque descendentes, ac postmodum ad alios, quos substituit, Ipsis quoque descendentibus ab ejus Fratre conferri voluit

luit Beneficium, cujus possessori, quoties è tali genere esset, imposuit solum onus celebrandi, vel celebrari faciendi quotannis duodecim Missas in Collegiata Ecclesia Tilii. Mox hæc subjunxit:
,, Venendo poi il caso, che fosse eletto al detto Beneficio qualcheduno extra famigliare, non descendente dalla linea masculina, o feminina di detto Sig. Dottor Antonio mio Fratello, voglio, che il Canonico Benefiziato sia obbligato celebrare tutte le Messe festive, ed ogni Sabbato in suffragio, come sopra, in detto Oratorio di S. Pietro Martire, e non essendovi questo, in detta Collegiata, con l'obligazione della residenza, conforme gl'altri Canonici nella Collegiata di Teglio, e di coadjuvare nella cura d'anime al Signor Prevosto di Teglio.

Episcopus hujusmodi fundationem cum adjectis conditionibus tunc approbavit, & confirmavit, addita etiam hac clausula: *Sibi, & Successoribus suis reservato jure augendi, minuendi, commutandi, vel aliter interpretandi, prout occasio temporum, & rerum vicissitudo requisierit.*

Fundator ipse etiam num superstes, animo secum reputans contingere posse, quod inter Descendentes ab ejus Fratre nullus aliquando sit Beneficio obtinendo idoneus, postulat sibi impertiri facultatem mutandi fundationis leges ab initio constitutas circa id, ut si durante Fratris descendentia nemo ex ea reperiatur aptus ad Beneficium assequendum, quando ejus vacatio contigerit, tunc minime debeat nominari extraneus, sed suspensa collatione Beneficii, possint descendentes adscribere sibi ipsis, suosque facere proventus omnes Beneficii, subeundo tamen onus duodecim Missarum quotannis ab aliquo Sacerdote celebrandarum usque dum aliquis de Familia fiat idoneus obtinendo Beneficio.

Episcopus hac de re auditus, Sac. Congregationi ita respondit: *Significandum occurrit, prædicti Oratoris familiam inter nobiles Tilii recenseri, ac divitiis non affluere, & propterea statum suæ ingenitæ nobilitatis certo diminuendum fore, si his redditibus ascendentibus ad summam scutorum quinquaginta duorum circiter monetæ Romanæ orbata remaneret, & quidem in conspectu Acatholicorum promiscue in dicto loco Tilii commorantium, quorum Dogmata Oratoris Antecessores ejurarunt, relictaque secta Calvini, Fidem Orthodoxam magno animi robore amplexi sunt. Quocirca, quantum fieri potest, exaudiendum censeo Oratorem, ita tamen ut Beneficii natura substantialiter non immutetur; quod assequi posset ex gratia, & pietate istius Eminentissimi Cœtus, si permittere dignati fuerint, ut descendentes Antonii ex linea masculina, eaque deficiente, ex fœminina teneantur in casu prædicto extraneum juxta Canonicas Sanctiones nominare, & præsentare cum onere duntaxat Missarum duodecim singulis annis celebrandarum, assignatis libris quinque monetæ Mediolani pro eleemosyna cujuslibet Sacrificii, neque exinde diminuetur cultus Divini observantia, cum ultra Præpositum, plures sint Canonici ad residentiam adstricti.*

Quicquid profecto indulgeatur, nonnisi ad gratiam referri potest, nam quamvis in ipso fundationis actu permittatur Fundatori Beneficii adjicere leges, etiam a jure communi discrepantes; post perfectam tamen fundationem nihil tale ei licet. Itaque ad rem præsentem non pertinent Decreta ab hac Sac. Congregatione edita in *Angelopolitana*

na Cappellaniarum 5. *Aprilis* 1732. Ideo enim declaratum ibi fuit, fructus, qui excederent eleemosynam solvendam pro Missis celebrandis a Cappellano, nuncupato *interino*, percipi posse ab iis de Familia Fundatoris, qui vocati erant ad ipsas Cappellanias in titulum assequendas, quia sic fuerat cautum in ipsa fundatione ab Episcopo confirmata.

In ipso itidem fundationis limine hæc Sac. Congregatio approbavit eam conditionem, quam hodie addi cupit Petrus Antonius Gattus. Siquidem in *Derthonen.* 19. *Augusti* 1730. ita rescriptum fuit: *Sac. Congregatio commisit Episcopo, ut ad erectionem præfati Beneficii deveniat, omnesque supradictas conditiones approbet, atque confirmet, modificata tamen ea conditione, in qua dicitur, quod Primogenitus frui possit Beneficio, etiam in statu laicali, & conjugali, in hunc modum, videlicet, quod Primogenitus frui possit fructibus Beneficii vacantis, quousque superveniat alius capax de familia, satisfactis interim oneribus Missarum per Cappellanum ab eo eligendum, ut in lib.*80. *Decret. pag.*224.

Unum tamen potest in medium proferri exemplum de simili gratia, etiam post fundationem concessam. Etenim in *Segobien. Cappellaniæ die* 17. *Novembris* 1731. ad Dubium his verbis conceptum: *An consulendum sit Sanctissimo pro gratia, ut Franciscus Alphonsus possit Cappellaniam retinere, non ex eodem priori titulo Beneficii, sed ex novo titulo administrationis laicalis, cum facultate percipiendi fructus, & adimplendi onera Missarum per alium, donec aliquis ex ejus filiis possit eam obtinere in titulum*, responsum fuit: *Affirmative in casu, de quo agitur, ut in lib.* 81. *Decr. pag.* 553. At vero non agebatur de gratia perpetua, & omnibus descendentibus suffragatura, sed de indulgentia peculiariter tributa Nepoti Fundatoris, qui in codicillis jusserat suo nomine id postulari a Summo Pontifice. Præterea Beneficium illud jam fuerat assecutus Nepos, & ob contractam surditatem, quæ impedimento illi fuerat, ne studiis daret operam, evehi ad Sacros Ordines non poterat. Peculiares itaque hæ rationes quemadmodum Fundatorem impulerant, ut gratiam illam postularet ita effecerunt, ut impetraretur.

Denique in casu præsenti animadvertendum est, quod si lex fundationis jam perfectæ mutetur, vel juxta preces Fundatoris, vel juxta mitiorem modum, quem proponit Episcopus detrimentum afferetur Divino cultui, Animarum purgatorio igni addictarum suffragio, & spirituali Parochianorum commodo. Ut enim ante dictum est, quoties nullus è familia reperiretur idoneus Beneficio assequendo, exterus quisque Beneficium illud adepturus Sacrificium offerre deberet omnibus diebus festis, atque etiam Sabbatho cujusque hebdomadæ, necnon Collegiatæ Ecclesiæ inservire, sicut ceteri Canonici, ac denique auxiliariam operam navare Parocho in Animarum cura.

Placeat igitur Eminentiis VV. declarare.

An, & quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu &c.

Pro nunc Negative, sed habebitur ratio in futuris vocationibus, & amplius.

FIR-

FIRMANA TRANSLATIONIS PAROCHIALITATIS. In Oppido Montis Ulmi, ejusque agro quatuor erant Parochiæ, quarum una Titulum habens SS. Laurentii, & Hilarii quinque tantum Familias complectebatur. In altera vero, quæ appellatur Plebania S. Donati, numerabantur tria millia, & amplius capita. Huic Plebaniæ suberat etiam Villa *Colbuccaro*, in qua tres, ac sexaginta Familiæ, videlicet trecenti, ac triginta incolæ consi dere solent. Cum autem Archiepiscopus in lustranda Diœcesi comperiisset non satis esse consultum spirituali curæ eorum, qui in hac Villa domicilium habent, propterea quod Villa distat quatuor saltem milliaribus ab Ecclesia Parochiali, quæ est prædicta Plebania S. Donati, interjacetque etiam Humen Flastra, idcirco sub annum 1725. Pastoralis officii partes sic duxit interponendas. Sess.11.c.4. de ref.

Primo. cum Parochia SS. Laurentii, & Hilari vacans esset ob abdicationem factam a Rectore, jus Parochiale, quod in ea Ecclesia inerat, transtulit ad aliam Ecclesiam SS. Philippi, & Jacobi in Villa *Colbuccaro* existentem. Secundo huic novæ Parochiali Ecclesiæ addixit incolas ejusdem Villæ, quos divulsit a Plebania S. Donati, assentiente etiam ejus Rectore. Tertio attribuit Plebaniæ S. Donati quinque illas familias, quæ antea subjectæ erant Parochiæ Sanctorum Laurentii, & Hilarii. Quarto eamdem Ecclesiam Sanctorum Laurentii, & Hilarii Parochiali titulo tunc orbatam concessit Sodalitio SS. Sacramenti cum aliqua sacræ supellectilis parte. Quinto demum jussit amplificari Ecclesiam SS. Philippi, & Jacobi, quam diximus novo Parochiali titulo auctam, necnon extrui domum, quam Parochus posset inhabitare.

Omnia hæc jam ad effectum perducta fuere. Sed tamen ea, quasi non rite gesta, impugnant Antonius Clemens Ugolinus, paucique alii, qui suberant veteri Parochiæ SS. Laurentii, & Hilarii, quique omnia in pristinum statum restitui postulant. Contendunt enim debuisse Archiepiscopum alia ratione consulere necessitati, si qua erat, incolarum Villæ *Colbuccaro*, nimirum vel cogendo Plebanum S. Donati ad subministrandum stipendium Sacerdoti, qui in ea Villa resideret, & Sacramenta administraret, vel etiam ibidem instituendo novam Parochiam, assignata ejus Rectori congrua portione ex fructibus ad Plebaniam S. Donati spectantibus, juxta Decretum Sacri Concilii Tridentini *cap*.4. *Sess*.21. *de ref.* At negant Archiepiscopum potuisse Parochialem titulum tollere ex Ecclesia SS. Laurentii, & Hilarii, eumque transferre cum omnibus ejus bonis, & proventibus, ac Missarum oneribus ad aliam Ecclesiam SS. Philippi, & Jacobi in Villa *Colbuccaro*; nam Parochialem titulum transferendi ab una ad alteram Ecclesiam potestas tributa Episcopis a Tridentina Synodo videtur solum, ubi vetus Parochialis Ecclesia post ruinam refici nequat ob inopiam eorum, qui ad id tenerentur, ut in *cap*.7. *ead. Sess* 21.

Itaque præter hunc casum non posse Episcopum jure suo transferre Parochiam, sed a Summo Pontifice facultatem esse postulandam, tradit *Pignattel. consult.* 230. *num*.17. *tom*.4., ubi etiam testatur ita fuisse ab hac Sac. Congr. declaratum. Potest quippe considerari in hujusmodi translatione, tum mutatio status quo ad illam Ecclesiam, in qua supprimitur Parochialitas; tum etiam commutatio voluntatis Fundatorum; tum denique alienatio jurium, & bonorum, quam continet eorum translatio ad alteram Ecclesiam: quæ quidem omnia

egere

egere videntur potestate, & assensu Sedis Apostolicæ. In summa contradictores impugnant validitatem translationis, & ex defectu potestatis, & ex defectu legitimæ causæ, quam videlicet nullam extitisse ajunt, habito respectu Parochiæ SS. Laurentii, & Hilarii, cujus tantum rationem habendam esse existimant in faciendo judicio de ademptione Parochialis juris, quam Ecclesia hæc passa fuit.

Ad sustinendum vero id, quod Archiepiscopus fecit, proponitur primum necessitas remedii adhibendi in Villa *Colbuccaro*, cum pluries ibi contigisset ægrotos extremis Sacramentis muniri non potuisse, ob longinquitatem vitæ, & difficultatem transmittendi flumen, hyberno præsertim tempore, ut adiretur Parochialis Ecclesia S. Donati. Secundo facultas, quam Tridentini Patres impertiti fuerunt Episcopo; tum constituendi novas Parochias per sectionem veterum, ut in *cap*.4. *Sess*.21. *de ref.* tum etiam uniendi Ecclesias Parochiales, ubi necessitas id postulaverit, ut in *cap*.5. *ejusd. sess.* Tertio congruentia totius rei gestæ: nam ad regendas quinque tantum familias, quæ conflabant priscam Parochiam SS. Laurentii, & Hilarii, nimium redundabat opera unius Parochi: ex diverso autem redditus ad Plebaniam S. Donati spectantes, cum non excedant (ut testatur Archiepiscopus) annua scuta centum octoginta, ferre non poterant novum onus stipendii solvendi Sacerdoti, curæ Animarum præficiendo in Villa *Colbuccaro*, præter alia onera, quæ jam subit Plebanus. Postremo animadvertendum, quod Archiepiscopi Decretum jam per plures annos executionem obtinuit. Itaque si nihil obstaret aliud, quam quod idonea potestate caruerit Archiepiscopus; facile posset vitium hoc sanari auctoritate Sedis Apostolicæ, ne alioquin res, quæ bene gesta sit, evertatur.

Post hæc in utramque partem exposita, indicari nonnulla exempla possunt. *In Amerina Transitationis Parochiarum, die* 17. *Augusti* 1697. disceptatum fuit, an sustineretur similis translatio juris Parochialis ab Episcopo facta ad aliam Ecclesiam, ut commodius populo prospectum esset. Sed Sac. Congr. eam non sustineri respondit, propterea forsan quod de justa causa non satis constaret, ut in *lib*47. *Decret. pag*.376., & hanc resolutionem refert etiam Eminentissimus Petra *tom*.3. *ad Const*.1. *Urbani IV*. *num*.27.

Eadem quoque fuit Sac. Congr. sententia in *Parmen, Translationis Parochiæ*. Cum enim Episcopus, tum ob majorem gregis commoditatem, tum etiam ob auctos ab unius Villæ incolis tenues redditus, quibus antea potiebatur Rector, transtulisset jus Parochiæ ad alteram Ecclesiam intra ejusdem Parochiæ fines, reclamantibus incolis alterius Villæ, *die* 2. *Decembris* 1719. propositum fuit Dubium -- *An translatio Parochialis sustineatur, sive potius sit revocanda*, & rescriptum *Negative quoad primam*, & *affirmative quoad secundam partem*, *ac injungendum Episcopo Parmensi*, *ut curet executioni mandari oblationem augumenti annuorum scutorum decem factam ab omnibus Villæ superioris*, ut in *lib*.69. *Decr pag*.564.

At in *Æsina Translationis Ecclesiæ Parochialis* 7. *Decembris* 1709., cum quadraginta circiter ante annis, annuente Episcopo (quid in causa fuerit non plane constat) translatum fuisset jus Parochiale ad alteram Ecclesiam, discusso Dubio -- *An Episcopus teneatur removere Parochiam ab Ecclesia* S. *Sebastiani Patronali Communitatis*, & *illam*

illam reportare ad antiquam Parochialem Ecclesiam S. Jacobi, responsum fuit. *Negative*, ut in *lib.59. Decr.pag.* 394.

Jam vero partes EE. VV. erunt definire.

I. An translatio Tituli Parochialis facta ab Ecclesia SS. Laurentii, & Hilarii ad Ecclesiam SS. Philippi, & Jacobi Villæ Colbuccari, & dismembratio Familiarum trans Flumen Flastram existentium facta a Plebania Sancti Donati, & eorum aggregatio ad dictam novam Parochiam Colbuccari, cum omnibus juribus Parochialibus, substineatur.

II. An aggregatio aliquot Familiarum, quæ olim spectabant ad dictam suppressam Parochiam Sanctorum Laurentii, & Hilarii, facta ad prædictam Plebaniam S. Donati, cum jure decimandi, & omni alio jure Parochiali, substineatur.

III. An prædicta Ecclesia Sanctorum Laurentii, & Hilarii cum membris, & pertinentiis, & portione sacræ supellectilis potuerit concedi Confraternitati Sanctissimi Sacramenti in Oppido Montis Ulmi, in locum prioris angustæ Ecclesiæ ad d. Confraternitatem spectantis in casu &c.

ad primum Negative, sed esse locum Sanationi facto verbo cum Sanctissimo, & amplius. Ad secundum Negative, sed esse aggregandos ad Parochiam Sancti Petri, & amplius. Ad tertiam dilata, & scribatur Archiepiscopo pro meliori informatione juxta mentem.

CIVITATEN. CAPPELANIÆ. Anno 1721. Petrus Nava Ramos, & Joannes Franciscus ejus filius, necnon Maria Martin Amita, communiter, simulque fundarunt cum congruenti dote Cappellaniam perpetuam in Cathedrali Ecclesia ad aram Divo Gregorio dedicatam, collatis scilicet a memorato filio in Cappellaniæ dotem bonis, quæ ad eum spectare poterant ex hæreditate jam demortuæ Matris. Cautum quoque fuit in eodem fundationis Instrumento, Cappellaniam primo loco esse deferendam ipsi Joanni Francisco filio, ut ad ejus titulum posset Sacris Ordinibus initiari; post ejus vero obitum eligendum esse in Cappellanum Sacerdotem idoneum ad publice docendam Grammaticam prope Ecclesiam Cathedralem; id enim oneris fuit ei impositum, præter illud celebrandi aliquot Missas. Declararunt præterea Fundatores præferendos in Cappellaniæ assecutione esse eos, qui sanguine conjuncti essent per quacumque lineam cum prædicto Joanne Francisco, modo possent satisfacere legi de Grammatica docenda. Ac denique postquam vivere desiissent ipsi Pater, & Filius, Patronatum Cappellaniæ transferri in perpetuum voluerunt ad Capitulum Cathedrale, servatis tamen conditionibus superius expositis. *Sess.5. c.1. de ref.*

Post hæc Petrus Pater ad alteras transiit nuptias, cumque alios binos susceperit filios, his quoque cuperet prospicere, tribuendo nimirum eis jus obtinendi eamdem Cappellaniam, cujus etiam dotem spondet se esse aucturum. Itaque rogat hujusmodi facultatem sibi indulgeri.

Paternis votis assentitur Joannes Franciscus Filius, qui Cappellaniam possidet. Maria vero Martin, quæ concors fundationis fuit, jam e vivis excessit. Sed Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, quod jussu Sac. Congr. monitum hac de re fuit ab Episcopo, novæ conditioni, quam inducere cupit Petrus, reluctatur. Inquit enim nullum alium in to-

in tota Diœcesi esse, qui latine loquendi artem publice adolescentibus tradere ex officio teneatur, magnaque inde oriri incommoda. Quamobrem putat non esse permittendum, quod vocando etiam filios ex secundo Matrimonio procreatos ad fruitionem Cappellaniæ, diutius suspendatur publicum bonum, quod est allatura collatio Cappellaniæ facienda Sacerdoti, qui grammaticæ institutis pueros debeat erudire. Addit præterea Petrum jam ad amplas divitias pervenisse, adeoque commode, largeque posse consulere sine Cappellania, de qua agitur, & cujus annui proventus non excedunt summam duorum, & viginti ducatorum auri de Camera.

Fundatorem haud quaquam posse novas arbitrio suo leges adjicere, postquam Beneficii Ecclesiastici fundatio cum Ordinarii auctoritate perfecta fuit, tradunt *Tondut. quæst. benef. part.* 1. *cap.*91.*n.*1. *Piton. de contr. Patron. tom.*2. *alleg.*82.*num.*7. *Vivian. de jurepatr. part.* 3. *lib.*14. *c.*3.*n.*3. *Rot. in Bononien. Jurispatronatus* 14. *Martii* 1731. *cor. R. P. D. Corio.* Fuitque ab hac Sac. Congr. resolutum in *Aquen. Celebrationis Missarum* 12. *Januar.* 1732. in qua Causa agebatur de Fundatore Cappellaniæ, adhuc superstite, qui mutare optabat Ecclesiam, in qua Missæ essent celebrandæ.

In eo autem, de quo nunc deliberatur, casu, est etiam considerandum, Petrum non unicum fuisse Fundatorem Cappellaniæ, sed tres. Quamvis autem filius ex priori Matrimonio susceptus obsecundet voluntati Patris in gratiam suorum fratrum; assensus tamen Mariæ Martin, quæ ex tertia circiter parte dotem Cappellaniæ largita fuit. haberi nequit, cum jam objerit.

Pertinet itaque ad EE. VV. rescribere.

An precibus Petri Nava de Ramos sit annuendum ad effectum, de quo agitur.

Non proposita.

Die Sabbathi 20. Martii 1734.

Sess. 25. c. 5. de ref.



IVITATEN. CAPPELLANIÆ. Iis, quæ circa hanc Causam exposita fuere in Folio superioris Congregationis, addi oportet, quod Petrus Nava Ramos ex Apostolicæ Sedis indulgentia extendi postulans ad ceteros suos filios jus assequendi Cappellaniam, qua hodie fruitur filius primogenitus, offert se primitivæ doti ejusdem Cappellaniæ alia additurum bona, quæ in annuo fructu adæquent ipsius veteris dotis proventus. Sic scilicet, quamvis, ubi Petrus voti compos fiat in gratiam suorum filiorum, aliquanto diutius differri oporttebit Cappellaniæ collationem Presbytero subituro onus publice docendi grammaticam, deinceps tamen, & perpetuo in publicum bonum est redundaturum, quod ob auctos in duplo redditus Cappellaniæ doctior Magister, & ad juventutem erudiendam aptior eligi possit.

Dignen-

Dignentur igitur Eminentiæ VV. deliberare.
An precibus Petri Nava de Ramos sit annuendum ad effectum, de quo agitur.

Affirmative quo ad Filios tantum Oratoris, facto tamen prius legitime, & cum approbatione Ordinarii perpetuo Augumento per ipsum Oratorem oblato Dotis Beneficii in valore æquali antiquæ Doti.

BAREN. MATRIMONII. Disceptatum die 29. Augusti 1733. fuit, an constaret de Matrimonio rite inito, vel saltem de Sponsalibus inter Juliam della Corte, & Josephum Calvanum, juxta facti speciem tunc enarratam. Verum Sac. Congregatio quæstionis propositæ decisionem suspendit, injungens nova afferri documenta, quę rem magis planam facere in alterutram partem possent. Nimis quippe visum fuit ambiguum, num contrahentes ea mente fuerint, ut sponsalia dumtaxat futuro tempore implenda inirent, an vero potius statim, per verba utrinque prolata, editumque mutuum assensum, nuptiali vinculo sese obstringerent. Non parum itidem dubium visum est, an Sacerdos Josephus Manca, coram quo Julia, & Calvanus interrogati ab Archipresbytero Trevisano fuerunt, nuptias conciliare Parochiali jure posset in Civitatis regione diversa ab ea, in qua ille fungebatur munere Parochi a Cathedrali Capitulo substituti. Quam ob rem ad hoc certius cognoscendum, mandatum fuit in medium proferri literas ipsas, quibus a Cathedrali Capitulo committi solet exercitium curæ animarum diversis Presbyteris pro diversis Urbis regionibus. Doceri præterea jussit Sac. Congregatio, quid circa rem hanc usitatum antea esset, investigando scilicet ex ipsis Parochialibus libris, an Sacerdos, cui assignata esset animarum cura in certa Civitatis pace peculiari nomine distincta, consuevisset indiscriminatim assistere Matrimoniis, etiam initis in alia Civitatis parte: talem enim quidem morem asseverabat Capitulum, sed negabant tres Canonici, qui alias perfuncti fuerant hujusmodi officio Parochi substituti, affirmantes consuevisse singulos interesse Matrimoniis initis intra fines regionis cuique assignatæ. *Sess. 24. c. 5. de ref.*

Ignotum hactenus est quid novi documenti circa hæc sit afferendum.
Dubia vero alias proposita hæc sunt.

I. An constet de contracto Matrimonio. *Et quatenus affirmative.*
II. An constet de illius validitate. *Et quatenus negative ad primum, & affirmative ad secundum.*
III. An constet de sponsalibus, ita ut Calvanus sit cogendus ad illorum executionem in casu &c.

Proponatur omnino in prima post Agnos.

FABRIANEN. FONTIS BAPTISMALIS. Resolutionis hujus Causæ, quæ iterum fuerat discutienda in Congregatione habita die 6. Februarii proxime præteriti, moram injecit Communitas, se audiri postulans ad tuendam facultatem hactenus servatam deferendi ad Cathedralem Ecclesiam infantes, in quacunque Parochia ortos, pro sacro Baptismate ibidem suscipiendo. *Sess. 14. c. 16. de Ref.*

Perpensis itaque iis, quæ ejusdem Communitatis nomine proponentur, deliberandum erit.

An sit standum in decisis die 21. *Junii* 1732. *vel potius in decisis die* 14. *Novembris* 1733. *in casu &c.*

In secundo loco decisis, & amplius.

Sess.24. c.5. de Ref.Matr.

PIENTINA MATRIMONII. Inita anno 1732. in Pago *Turrita* fuerunt Sponsalia inter Franciscum Gianninum Fabrum lignarium, & Lucretiam Cantellam. Paulo post Virginia ipsius Lucretiæ Mater, quæ prius fuit uxor Bartholomæi Cantelli agricultoris, & post ejus mortem nupsit Angelo Carotio nunc etiam viventi, apud Acta Episcopalis Curiæ, jurejurando interposito, denunciavit se filiam illam procreasse non ex Bartholomæo priori Marito, sed ex Joanne Carozio, avunculo memorati Angeli Carozi, cum quo Lucretia contraxit Sponsalia, proindeque Matrimonio inter eos ineundo obstare Canonicum impedimentum. Itaque num satis de hujusmodi impedimento liqueat, judicandum ab hac Sac. Congregatione est, ad quam Lucretia anno superiore confugit, postulans rejici malevolam, turpemque Matris objectionem.

Quæ ex documentis ab Episcopo transmissis ad Sac. Congregationem deducuntur, hæc sunt. Lucretia edita in lucem a Virginia fuit die 25. Septembris 1714. Bartholomæus vero Cantellus, cujus tunc uxor erat Virginia, occubuit tribus post mensibus, quam Lucretia orta fuerat. In Parochiali libro, in quem nomina baptizatorum referuntur, Lucretia scripta fuit, uti *filia Bartholomæi Cantelli, & Virginiæ ejus Uxoris*. Anno itidem 1725. cum Confirmationis Sacramentum Lucretia susceperit, descripta fuit tamquam *filia quondam Bartholomæi Cantelli, & Virginiæ ejus uxoris*.

At Virginia Lucretiæ Mater, rite interrogata apud Acta Curiæ Episcopalis, inquit se mense Septembri 1713. expulsam a Bartholomæo Cantello viro suo fuisse, ad eumque rediisse circa postremos dies Baccanalium sequentium. Interea vero prægnantem se redditam fuisse a Joanne Carozio, qui tunc connubiali vinculo junctus erat Magdalenæ de Benedictis, quique jam vivere desiit.

Inhonestam consuetudinem Virginiæ cum dicto Joanne Carozio confirmarunt quatuor Testes rite itidem auditi, asserentes quoque famam ejus rei in omnem pagum fuisse vagatam.

Ajunt præterea Virginiam aliquo temporis spatio, dum ea prava consuetudo vigeret, moram fecisse extra domum Bartholomæi Cantelli mariti, sed peculiarem annum, quo id contigerit, ex eorum memoria excidisse. Duo quoque eorumdem Testium addunt Lucretiam ipsius Virginiæ filiam passim consuevisse in eo loco appellari illegitimam.

Accedit denique, quod anno 1718. cum Virginia post obitum Bartholomæi Cantelli matrimonium iterare voluisset cum Angelo Carozio consobrino memorati Joannis Carozi, prius impetravit Apostolicam dispensationem super impedimento affinitatis ex adulterio contractæ.

Examini etiam subjecta fuit Aurelia, Virginiæ Mater, apud quam se recepit Lucretia ejus neptis. Ea autem negat Virginiam filiam absentem a Bartholomæo marito fuisse tempore conceptionis Lucretiæ, eamque proinde affirmat censendam esse filiam ejusdem Bartholomæi. Cæterum declarat se non parum animo commotam in eamdem

Vir-

Virginiam filiam ſuam, propterea quod eam maculam violatæ conjugalis fidei ſibi ipſi inurere non ſit verita, & matrimonium a Lucretia contrahendum cum Franciſco Giannino interrumpere ſtuduerit.

Porro Lucretiam eſſe in poſſeſſionem legitimæ filiationis, tum ſequitur ex matrimonio rite initio inter Bartholomæum, & Virginiam, tum etiam confirmatur ex deſcriptione, ut dictum eſt, facta in ſuſcipiendo Sacramento Baptiſmi, atque altero Confirmationis. Qua poſita poſſeſſione, infert Lucretia haud quaquam ſibi officere contrariam aſſeverationem Matris, cui fidem in hoc non eſſe habendam, notant Canonici Juris Interpretes ad *Cap. Transmiſſæ*, *& Cap. per tuas. Qui fil. ſint legit. & cap. per tuas. De probat. ac præſertim Abb. in d. cap. Transmiſſæ num.4. & in d. cap. per tuas num. 4. de probat. Piring. ad lib.4. tit.17. num. 50. Pont. de Matrim. lib. 11. cap.9. num.3. Card. Paleot. de noth. cap.24. Pignattell. conſult. 40. T. 7. & conſ. 153. T. 9.* cum aliis fusè relatis a *Sperell. dec.174. n. 23. & dec. 175. n. 65. & ſeqq.*

Fortius, quia anno 1725. quo Lucretiæ Sacramentum Confirmationis miniſtratum fuit, Bartholomæus non erat in vivis, & ipſa Lucretia educabatur penes Virginiam Matrem. Quod igitur tunc Lucretia deſcripta fuerit, tamquam filia legitima Bartholomæi, & Virginiæ, non alium habuiſſe videtur auctorem, quam Matrem ipſam, cui proinde credendum non eſſe, ſi deinde etiam jurata aliter affirmet, deducitur ex *d. Cap. per tuas de probat.*

Nec eſt omittendum, quod Virginia retinet omnia bona a Bartholomæo Cantello relicta, quorum æſtimatio attingere dicitur ſummam ſcutorum trecentorum. Jus vero in hæc bona ſibi, ſuoque ſecundo Marito eſſe contendit, tum ex titulo dotis ſibi reſtituendæ in ſumma ſcutorum 35. tum ex alimentis ſubminiſtratis Lucretiæ, atque etiam ex eorumdem bonorum melioratione: tum denique ex hæreditate alterius filii, qui in pupillari ætate poſt Bartholomæum Patrem occubuit. Declaravit tamen ipſa Virginia Mater ſe libenter daturam filiæ, quicquid ad eam pertineat, ſalvis ſuis, ſuique viri juribus.

Ceterum quod ſpectat ad turpem conſuetudinem Virginiæ cum Joanne Carozio, reſpondetur nihil impedimenti inde manare ad Lucretiam, nam per hoc potuit quidem Lucretia reddi affinis Joanni Carozio; haud quaquam tamen affinitas hæc Lucretiæ protenderetur ad conſanguineos ejuſdem Joannis, qui eſt avunculus Franciſci Giannini, cum quo matrimonium initura eſt Lucretia: Sic enim aperte cavetur in *Cap. Quod ſuper his. De conſang. & affin.*

Impedimentum igitur in hoc ſolum verſari poſſet, quod Lucretia ſuſcepta fuerit, non ex Bartholomæo Marito, ſed ex Joanne Carozio. At ad hoc probandum non ſatis eſt doceri de conſuetudine Virginiæ cum ipſo Joanne, nam ex conſtanti Juris præſumptione ſoboles non ex adulterio, ſed ex conjugio ſuſcepta præſumitur, quamvis minime dubitetur de conſuetudine mulieris etiam cum alio homine, ut reſpondit Papinianus in *lib. Miles §. Quæ propter ff. ad leg. Jul. de adult.* Niſi tamen ob abſentiam Mariti, vel aliam certam cauſam id fieri non potuiſſe, manifeſtis argumentis evincatur, juxta alterum Ulpiani reſponſum *in lib. Filium 6. ff. De his, qui ſui, vel alien.* Quos Textus fusè explicat *Sperell. dec. 173. cum duobus ſeqq. Rot. in Romana Fideicommiſſi* 20. *Junii* 1712. *cor. Anſald.*

At vero cum Virginia ipsa, quæ impedimentum opponit, fateatur, se ad Maritum fuisse reversam sub finem Baccanalium (adeoque sub initium Februarii, quia anno 1714. dies Cinerum incidit in diem 14. ejus mensis) plane conficitur Virginiam vixisse cum Bartholomæo viro septem totis, atque amplius mensibus, antequam Lucretia in lucem ederetur, id quod accidit die 25. Septembris ejusdem anni 1714. Prolem autem editam septimo mense post conjugum cohabitationem censeri legitimam, expresse habetur in *lib. Septimo* 12. *ff. de stat. hom. & in lib. Intestato* §. *De eo ff. de suis, & legit. hæred.* ubi etiam additur justo tempore natum videri eum, qui centesimo octogesimo secundo die, videlicet ineunte septimo mense, lucis usuram adeptus fuit; & ad propositum præsentis quæstionis tradunt *Engel. ad lib.* 4. *Decr. Tit.* 17. *qui fil. sint legit. num.*6. *Anaclet. ibid. num.* 19. *Smalzgrub. ibid. num.* 41. *Menoch. de arbitr. cas.* 89. *n.*34. *& seqq. Sperell. dec.* 174. *n.* 11.

Est tamen denique perpendendum, an ea, quæ proponuntur, tantum momenti saltem habeant, ut sponsi jubendi sint abstinere a tali matrimonio contrahendo. Ipsam enim impedimenti famam satis esse ad impediendum Matrimonium nondum initum, habetur in *Cap. super eo de consanguin. & affin.* Ut etiam sufficere unius Testis asseverationem de certa scientia, cautum extat in *Cap. super eo, il secondo de test. & attest. Cap. Præterea, il secondo de Sponsalib.* Hanc vero quæstionem copiosè tractant *Sanch. de Matrim. lib.*1. *disp.* 71. *aliique citati a De Justis de Dispens. lib.*1. *cap.* 6. *a n.*412. *ad* 438.

Dignentur igitur Eminentiæ VV. declarare.

An Francisco, & Lucretiæ permitti possit contrahere Matrimonium in casu &c.

Affirmative, & amplius.

*Sess.*24. *c.* 6. *de ref.*

NEAPOLITANA, SEU CONSENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Laurentius Belmonte è Patria Consentina translato Neapolim domicilio, anno 1728. ibidem extinctus hæredem scripsit Neapolitanam domum Congregationis Missionis, onere plurium legatorum imposito. Hæreditas æquabat summam circiter ducatorum vigintisex millium; sed hodie non excedere dicitur ducatos duodecim mille. Fructus bonorum hæreditariorum, qui solutis legatis, superessent, tres in partes dividi jussit Testator, earumque unam assignavit Domui ipsius Congregationis hæredis, alteram Mario Belmonte Fratri, & Lallæ Belmonte Sorori; tertiam Hippolytæ Belmonte de Rubeis, suæ itidem Sorori, cum octo ejus filiabus. Has octo neptes commendavit etiam Avunculus Testator Mario fratri suo his verbis: ,, Indi l'esorto a ricordarsi dell'altra So-
,, rella vedova, e sue figliuole, e specialmente delle Zitelle, e Mo-
,, nache, e Vedove, e se bene esso Signor D. Mario avesse avuto
,, intenzione di escluderle dalla successione de' beni sottoposti al
,, fidecommisso, con la ragione, che detta Sorella maritata ne
,, avesse avuto tanti, che avessero già assorbito quello, che potea
,, spettarle su i beni fideicommissarj: ad ogni modo io non ci hò
,, voluto concorrere, ed escluderle affatto, e lo esorto ad accomo-
,, dar con le buone questa materia, in modo, che quelle figliuole
,, restino accommodate con un onesto vitalizio per poter vivere,
,, come

,, come Dio le fece nascere non dovendo quelle riportare la pena ,, della colpa degl'altri.

Octo memoratæ Neptes ex nobili stirpe progenitæ, cum ob inopiam, in Urbe Consentina, ubi lucem hauserunt, decenter vivere non possent, in pagum quemdam illius Diœcesеos sese receperunt. Parentibus jam orbatæ, septem sunt innuptæ, alia autem est Vidua, Fratrem habent unicum, Sacerdotali Ordine insignitum, sed qui earum calamitatem potius auget, quam sublevare possit, ægra enim semper, & infirma utitur valetudine.

In tanta rerum omnium penuria versantes octo illæ Sorores misericordiam implorarunt Summi Pontificis, ut eis subvenire dignaretur, commutando in harum gratiam aliqua ex parte Testamentum Avunculi: de qua re Sanctitas Sua hanc Sac. Congregationem consulit.

Primo, cum Testator tertiam partem fructuum dictis Neptibus reliquerit, quandiu tamen viverent Marius Testatoris Frater, & Lalla ejus Soror (quorum alter jam obiit, altera autem octogesimum quintum ætatis annum numerat) postulant, ut hoc annuo legato post mortem etiam Lallæ sibi liceat frui, quoad ipsæ neptes supplicantes spiritum duxerint. Hæc autem ususfructus portio annuos ducatos quadraginta non solet excedere, & obeunte Lalla converti deberet juxta legem testamenti, partim in Missarum Sacrificia, partim in subsidium dotale tribuendum pauperi Puellæ Religiosam vitam amplexuræ in alieno Cœnobio Neapolitano.

Secundo petunt sibi applicari, quamdiu itidem inter viros agent, annuos ducatos 116. quos Testator legaverat Joannæ Uxori, adjecta viduitatis servandæ conditione. Jam vero legatum istud amisit Joanna, quippe quæ ad alteras transiit nuptias: eaque summa deinceps secundum Testatoris voluntatem impendenda esset ad celebrationem Missarum.

Hoc tantum leguntur exposita in precibus Sanctissimo Domino Nostro porrectis, & ad Sac. Congregationem remissis. Sed in alio supplici libello, quem memoratæ Sorores deinde obtulerunt Sac. Congregationi, commutari postularunt plura etiam alia pia legata, quæ juncta cum iis, quorum mentio supra facta est, constarent annuam summam ducatorum 495.

Eminentissimus Archiep. Neapolitanus, atque Reverendissimus Archiep. Consentinus, ad quos datæ fuerunt litteræ, censent nobiles illas, atque inopes fœminas miseratione, & subsidio dignas, singulas vero ad victum, & vestitum indigere saltem annuis ducatis sexaginta, nec eas sperare posse opem ab alio Avunculo. Mario Belmonte, quia hic nuper mortem oppetiit, ne uno quidem nummo eis relicto.

Porro non est hodie agendum de titulo justitiæ. Quamvis enim Patruus dives teneatur alere filium fratris inopem, ut probat *Surd. de alim. quæst.*28. *Rot. dec.*449. *cor. Dunoz. Jun.* De Avunculo tamen non hoc traditum a Doctoribus reperitur. Sed & longe difficilius protendi hujusmodi obligatio posset ad extraneos hæredes post mortem Patrui, vel Avunculi; ipsi enim personæ ob sanguinis rationem cohæret obligatio. Modo itaque agitur de gratia, quæ nititur ratione pietatis, & cui (quemadmodum advertit Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus in suis litteris) adstipulari quoque vide-

videtur conjectura aliqua voluntatis Testatoris, manans a verbis superius exscriptis.

Erit igitur deliberandum.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in subsidium Sororum supplicantium in casu &c.

Dilata, & proponatur Causa citato Collegio Hærede Marii Belmonte, nec non scribatur Archiepiscopo Consentino juxta Instructionem: Interim vero per modum promissionis subministrentur a PP. Missionis Ducata biscentum salvo jure reintegrandi, aut imputandi juxta declarationem faciendam a Sac. Congregatione.

Seß. 14. c. 7. de reform.

ROSSANEN. IRREGULARITATIS. Accidit die 11. Aprilis 1726. quod cum Dominicus Pisarra comites habens plures Satellites curasset comprehendi, & in vincula conjici Demetrium Pisarra, hic catapulta explosa prædictum Dominicum interfecerit. Cædis hujus culpa a nonnullis collata fuit in Clericum Antonium Marchiano, qui Clericis Italogræcis annumeratur. Quæstione adversus cum instituta, plures in Episcopali Curia testes rite interrogati fuere, e quorum testimonio eruitur causam, ob quam detrudendus in carcerem erat Demetrius Pisarra, non aliam extitisse, quam quod spreta Judicis inhibitione excolere cœpisset agrum quemdam, de quo lis erat cum Maria Pisarra, necnon prædictum Clericum Antonium Marchiano, ut eidem Mariæ faveret, adscivisse Satellites, eosque vehementer stimulasse ad Demetrium vinculis, & custodia coercendum, ostensa etiam schedula, quæ asserebatur scripta a Patre ejusdem Clerici Antonii Marchiano fungente Judicis munere, & per quam præcipiebatur comprehensio Demetrii, pœna sex ducatorum indicta iis, qui parere neglexissent.

At Clericus ad removendam a se quamcumque culpam, tres produxit Testes. Primus, videlicet Magister (ut vocant) actorum, affirmavit sibi missam a Patre dicti Clerici Antonii Marchiano schedulam, qua jubebat Demetrium Pisarra vinculis addici, cumque ipse cartulam non intelligeret, rogasse Clericum Antonium Marchiano, ut legeret, quidnam ea significaret: illa vero perlecta, auditoque mandato, quod continebat, ipsum Clericum subjunxisse, nolle se tali negotio interponere, sed ageret ipse quicquid sibi agendum videretur. Alter se adfuisse ait, cum sermo ille haberetur inter Clericum, & Magistrum Actorum Tertius inquit se audivisse unum ex memoratis Testibus a Fisco inductis dicentem falsa esse, quæ in Clericum Antonium Marchiano exposuerat. Omnes autem testimonium, quod dixerant, jurejurando apud acta confirmarunt.

Episcopus, quamvis non laudandam putet tam solicitam curam, quam de conjiciendo in carcerem Demetrio Testes Fiscales adscribunt Clerico Antonio Marchiano, nihilominus ubi etiam pro vera habeatur, cum ab irregularitate credit immunem, nam mancipatio ob litem civilem, sive etiam ob crimen non capitale, haud qnaquam erat per se causa homicidii patrandi, nec ad id ordinata, nec ex qua prævideri posset necem illam esse consecuturam.

Regulæ, quæ ex Sacrorum Canonum præscripto servari solent in judicio ferendo circa irregularitatem, hæ sunt. Si quis dabat operam rei licitæ, simulque adhibuit diligentiam, & cautelam, quam potuit,

tuit, ac debuit, homicidium, quod fortuito, & citra ejus culpam accidit, non eum reddit irregularem, juxta *Text. in cap. Continebatur*, & *cap. Ad audientiam*, & *cap. Ex litteris de homicid.* Rursus si causa remota sit, & nullo modo ordinata ad homicidium, tametsi quis omnino per accidens daret operam rei illicitæ, adhuc non efficitur irregularis, juxta alterum Textum in *Cap. Exhibita eod. tit.* & *in Cap. Quæsitum de pœnit.* & *remission.* Fusius etiam hæc explicant *Fagnan. in Cap. Si consliterit*, *num.* 40. *de accusat.* & *in Cap. Ad audientiam num.* 33. & 61. *in fin.* & *in Cap. De cetero num.* 12 *de homicid. Gonzal. eodem Cap. De ceteron.* 1. & 8.

Potest tamen adversus Clericum considerari, quod actus convocandi, & urgendi Satellites, ut Demetrium caperent, dicendus videtur illicitus, quippe qui non decebat Ecclesiasticum pro alieno, præsertim negotio. Poterat etiam idem Clericus cogitare, quod non raro evenit, eos, qui vinculis addicendi sunt, pro viribus obniti, ut prehendantur, & contra Satellites summa vi, ac impetu contendere, ferroque tandem subortam rixam decerni. Eoque magis cum in ea regione facile venire ad arma soleat, nec Demetrius rescire a Satellitibus posset, quanam de causa esset in carcerem compingendus. Quamobrem ad inducendam irregularitatem objici Clerico Antonio Marchiano possent Pontificia Rescripta in *Cap. Continebatur*, & *in Cap. Suscepimus*, *de homicid.* & *in Cap. Is*, *qui eod. tit. in 6.* necnon ea, quæ tradit *Fagn. in Cap. Quidam de homicid.*

Affinitatem quoque aliquam cum casu præsenti habere videtur, tum ille, quem examinat *Navarr. cons.* 11. *lib.*5. *de homicid.* tum alter geminus coram hac Sac. Congregatione olim discussus.

In Assisien. 9. *Februarii* 1697. agebatur species facti his verbis exposita: *Cum de mandato Curiæ Episcopalis Assisien. transmissi fuissent Birruarii ad Terram Cannariæ pro habenda captura Sacerdotis Petri Desiderii*, *iste de adventu Birruariorum certioratus*, *ut se in tuto poneret*, *circa secundam noctis horam exiit de domo*, *sclopo venatorio armatus*, *injungens cuidam villico*, *qui secum morabatur*, *nec domo discederet*. *Perventus ad plateam animadvertit*, *se continuo fuisse a dicto Villico associatum*, *eumque obvios ibidem etiam habuisset Birruarios*, *Orator*, *ne carceraretur*, *sclopum explosit adversus eos*, *absque tamen alicujus offensa*; *unus tamen illorum e converso sclopo exonerato infelicem Villicum interfecit*: Sac. Congregatio censuit *tribuendam Presbytero dispensationem super irregularitate ad cautelam*, ut in *lib.*41. *Dec. pag.* 61.

In Albinganen. 23. *Martii* 1697. proponebatur casus iste: *Cum Joannes Baptista Asherius*, *damnatus in contumaciam ad Triremes per quadriennium*, *varia inferret damna Territorio cum magno incolarum terrore*. *Magistratus ejus loci solicitus de illius captura*, *usus est opera*, & *machinatione Sacerdotis Alberti Gastaldi illius amici*, *qui emendicato quodam prætextu*, *cum ad aliud Oppidum traduxit*, *perventisque ambobus ad quemdam pontem*, *cum ad signum studiose datum per Albertum accurrissent satellites ibidem latitantes*, *Joannes Baptista*, *ut illorum manus evaderet*, *se præcipitem dedit in vicinum flumen*, *in quo nemine opem ferente infeliciter periit*: Sacra Congregatio rescripsit *dispensandum super irregularitate ad cautelam*, ut in *lib.*47. *Decret. pag.*112.

Placeat itaque Eminentiis VV. declarare.

I. An

I. An Clericus Antonius Marchiano ex causa præmissa irregularitatem contraxerit: *Et quatenus affirmative*.

II. An sit cum eo dispensandum in casu &c.

Pro Dispensatione ad cautelam, & amplius.

Sess. 25. c. 6. de refor.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Ascanius Rivaldus in Testamento, quod fecit anno 1655. hæredem scripsit Congregationem, quæ præerat Cœnobio S. Mariæ Magdalenæ, ea tamen lege, ut una ex tribus partibus annuorum redditüum traderetur Conservatorio Puellarum Mendicantium ad Templum Pacis, ut inde dos posset constitui Puellis nupturis juxta conditiones ab eodem Testatore præscriptas: altera tertia pars destinaretur dotandis Mulieribus, quæ ad bonam frugem redeuntes, in eo Monasterio S. Mariæ Magdalenæ, aut in alio S. Jacobi sese Deo devoverent: Tertia denique pars dividi deberet ex æquis portionibus inter duo Romana Monasteria Mulierum a turpi vita abductarum, & memoratum Conservatorium Puellarum Mendicantium, dummodo illius Institutum deinceps servaretur.

In codicillis vero ita cavit: *Item facultatem, quam concesseram Illustrissimis Dominis Prælato, & Deputatis Convertitarum, revoco pariter, irrito, nullumque jus, aut administrationem de meis bonis quocumque casu, vel tempore habere volo, & mando, quod sit solum penes Congregationem pauperum Puellarum Mendicantium devotarum Sanctissimi Sacramenti, sicuti etiam omnia legata, & alia quæcumque, quæ etiam titulo hæreditario relinquebam Monialibus convertitis, tam ad Cursum, quam ad Longariam, penitus revoco, & irrito, firmis tamen remanentibus legatis, quæ pro una vice eisdem Monasteriis relinquebam persolvenda, quæ de manu hæredum meorum recipere debeant solvenda ex fructibus hæreditariis bonorum meorum, & non alias, & ea, quæ titulo hæreditario relinquebam dd. Monasteriis, eodem titulo volo omnia accrescere dictis pauperibus Puellis Mendicantibus, dummodo tamen ipsarum servetur Institutum &c. quæ bona dictis Puellis Mendicantibus deferantur cum eisdem conditionibus, & oneribus, quibus dictæ Moniales tenebantur*.

Conservatorium Puellarum Mendicantium hæreditatem illam fuit assecutum anno 1668. sublata ex bono, & æquo controversia, de qua agit *Card. de Luc. discurs.* 20. *de Testam.* Deindeque singulis annis tribuit usitatam dotem in summa scutorum centum Puellis, quibus nubendi occasio oblata fuerat. At sæpius accidit, non tot Puellas in eodem Conservatorio degentes quotannis Matrimonium contrahere, quot dote illa instrui potuissent, habita ratione proventuum hæreditariorum. Quamobrem quicquid eorum supererat, erogari consuevit in alimenta subministrata aliis Puellis ibidem educatis.

Sed anno 1723. Ministri Rev. Fabricæ S. Petri actionem instituerunt adversus Conservatorium, contendentes debuisse ex tertia parte fructuum hæreditariorum tradi subsidia dotalia Puellis, Regularis vitæ disciplinam amplexuris; quasi scilicet translata per codicillos hæreditate a Monasteriis Mulierum pœnitentium ad memoratum Conservatorium, censeri debeat etiam tacite impositum Conservatorio, tamquam subrogato prædictis Monasteriis illud ipsum onus, quod

eis

eis injunctum a Teſtatore fuerat. Itaque Rectores Conſervatorii Puellarum Mendicantium ſupplicarunt ſan. mem. Innocentio XIII. ut per Apoſtolicas litteras declarare dignaretur, licere eiſdem Rectoribus convertere in alendas Puellas proventus hæreditatis Aſcanii Rivalci, qui ſupereſſent poſt conſtitutam dotem iis Puellis, quas vel Matrimonium inire, vel ad Religioſam aliquam Familiam aggregari contigerit. Cum vero tunc iſtud prodiiſſet Reſcriptum: *Quoad ſu..u.n Sanctitas Sua remiſit inſtantiam ad Sac. Congregationem Concilii pro voto*; idcirco poſt decem annorum intervallum modo ſuffragium ea de re expoſcitur ab hac Sacra Congregatione.

Difficultatem facere poteſt ea civilis juris regula, qua traditur, legatum uni ademptum, & alteri datum, cenſeri translatum cum eodem onere, niſi alia mente Teſtatorem fuiſſe appareat. Ita reſpondit Scævola in *L. Cajo Sejo ff. de aliment. vel cibar. legat.* ibi: *Cajo Sejo trecentos aureos legavit, ut ex uſuris ejus ſummæ libertis cibaria, & vetuit dari Cajo Sejo, ſed dari Publio Mævio voluit. Quæro, an libertis fideicommiſſum debeat Mævius. Reſpondi, Mævium, niſi aliud, de quo non deliberaretur, doceat ſibi a Teſtatore injunctum, videri ſecundum voluntatem Teſtatoris recepiſſe ea onera, quæ adſcripta erant ei ſummæ, quæ in eum codicillis transferebatur*: Conſonat quoque alter Textus in *L. Legatum ſub conditione relictum, & ad alium translatum, ſi non conditio perſonæ cohereat, ſub eadem conditione translatum videtur*.

Hanc Juris præſumptionem confirmare etiam videtur clauſula in codicillis appoſita verbis illis, *quæ bona dictis Puellis Mendicantibus deferantur cum eiſdem conditionibus, & oneribus, quibus dd. Moniales tenebantur*.

Conſervatorii tamen Adminiſtratores reſpondent clauſulam iſtam referri poſſe ad onera aliorum legatorum, quæ ſtatim poſt obitum Teſtatoris erant præſtanda. Addunt quoque onus tradendi ſubſidia dotalia Fœminis a laxiori vitæ ratione revocatis potuiſſe quidem convenire Monaſteriis hujuſmodi Inſtituto deſtinatis, & quibus Teſtator tertiam partem reddituum ſuæ hæreditatis cum hoc onere in prioribus tabulis aſſignaverat; At vero id minime eſſe conſentaneum Conſervatorio Puellarum Mendicantium, in quo translato per codicillos omni hæreditatis commodo, nihil aliud ſpectaſſe, & in votis habuiſſe videtur pius Teſtator, quam quod ejus Inſtitutum ſervaretur. Legibus vero, & moribus illius Conſervatorii eſt conſtitutum, ut inopes Puellæ in eo alantur, & pie educentur: iis vero, quæ aut nubant, aut in Monaſterium aliquod cooptentur dotalis ſubſidii nomine ſcuta centum tribuantur.

Determinandum itaque erit.

An quicquid ex fructibus hæreditatis Aſcanii Rivaldi ſupereſt, præter ſubſidia dotalia, quæ quotannis tradantur Puellis, aut nubentibus, aut Religioſum inſtitutum amplectentibus, libere converti poſſit in alimenta aliarum Puellarum in Conſervatorio degentium in caſu &c.

Affirmative, & amplius.

Sess. 21. c. 2. de ref.

ASTEN. RESIGNATIONIS BENEFICII. Joannes Malabaila anno 1693. assecutus fuit Beneficium simplex, ad cujus titulum fuit etiam deinde Sacris Ordinibus initiatus. Parochialem postea Ecclesiam fuit assecutus; cumque memorato Beneficio inhæreret onus quotidianæ Missæ, satius duxit eo se abdicare, proindeque Beneficium ipsum per Procuratorem libere coram Ordinario dimisit anno 1730.

Ex nominatione a Patrono facta, rite ejusdem Beneficii possessionem adiit Clericus Carolus Antonius Bonojoannes. Mox tamen Judicium adversus eum instituit prædictus Joannes Malabaila, contendens abdicationem Beneficii invalidam esse, tum quia dolo malo ad eam faciendam fuerit adductus, tum etiam quia in resignatione non fuerit expressum, ipsum Joannem factum fuisse Præsbyterum ad titulum illius Beneficii. Tridentina enim Synodus *Cap. 2. Sess. 21. de ref.* ita statuit: *Id vero Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit, & aliter facta resignatio nulla sit*: Itaque expressionem illam censeri præscriptam, ut ajunt, pro forma, tradunt *Navar. consil. 4. lib. 1. tit. de renunc. in fin. Paris. de resignat. lib. 2. q. 6. num. 29. Antonell. de Regim. Eccles. lib. 2. cap. 3. num. 35. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. glos. 5. §. 10. num. 35. Eminentissimus Petra ad Constit. 1. Clementis IV. num. 22. tom. 3. Garz. de Benefic. par. 2. cap. 5. n. 193* ubi refertur resolutio hujus Sac. Congregationis edita anno 1588. his verbis: *Fuit dubitatum, an pro forma traditum esset, ut resignans teneatur facere mentionem, se ad titulum illius fuisse promotum, adeo quod per æquipollens adimpleri non possit; & fuit resolutum pro forma traditum esse a Concilio, stante clausula annullativa, & quod Concilium negative loquitur, & n. 214. & seqq.* ubi refertur alia ejusdem Sac. Congregationis resolutio, decernens irritam esse resignationem Beneficii factam cum pensione, etiam ad sustentationem resignantis congrua, si fuerit omissa expressio de promotione ad Sacros Ordines ad ejus Beneficii titulum: Hujus etiam resolutionis meminit *Navarr. d. Consil. 4. de renunciat. in fin. Rot. dec. 146. num. 12. & seqq. cor. Mellino, & dec. 85. n. 14. & seqq. par. 10. rec.*

Episcopus tamen pronunciavit resignationem recte, ac legitime factam fuisse, & sententiam hanc confirmavit Metropolitanus.

Non acquiescente Joanne, controversia hæc juxta Decretum Eminentissimi Pro-Auditoris decidenda erit ab hac Sac. Congregatione.

Priorem exceptionem satis repelli putat Clericus Carolus Antonius ex ipso mandato ad Beneficium resignandum confecto, in quo tribuitur Procuratori facultas affirmandi, jurejurando etiam adhibito, *quod circa eam resignationem non intervenit quomodolibet dolus, fraus, simoniæ labes, aut alia quævis illicita pactio.*

Ad alteram vero exceptionem submovendam utitur eodem Procurationis mandato, ubi diserte asseruit Joannes Malabaila, *se aliunde commodum habere vivendi modum*; id quod aliis etiam documentis manifestum facere curavit. Infert itaque nihil referre, quod in resignatione Beneficii enunciatum non fuerit illud fuisse titulum promotionis ad Ordines: non enim alio consilio id videtur imperasse Sacrum Concilium, quam ut Episcopus caveret a resignatione approbanda,

banda, nisi resignans doceret se aliis proventibus substentationi suæ idoneis esse instructum, nec proinde eum forte adigendum ad victum emendicandum cum sacri Ordinis dedecore. Cum vero Episcopus probe novisset Joannem Malabailam possidere aliud Beneficium Parochiale, adeoque certo sciret satisfactum esse menti Tridentinæ legis, parum momenti habet prætermissa mentio ordinationis ad titulum Beneficii, quod resignabatur, & cujus proinde resignationem nullitatis vitio obnoxiam esse tradunt *Card. de Luc. de Benef. disc.* 41. *num.* 6. *Barbos. ad Concil. d. cap.* 2. *sess.* 21. *de ref. num.* 29. *Lotter. de re Benef. lib.* 3. *q.* 14. *num.* 78. *Campanil. diverf. Jur. rub.* 8. *cap.* 6. *num.* 6.

Sic quoque substineri permutationem Beneficii, etiam non facta mentione, quod ad ejus titulum fuerit quis ordinatus, si tamen aliud Beneficium ex permutatione acceptum parem fructum reddat, ejusque possessionem vere fuerit adeptus permutans, censuit hæc Sac. Congregatio, ut testatur *Garz. de Benef. d. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 218. *Rot. dec.* 441. *num.* 3. *cor. Ludovis.* & *dec.* 123. *num.* 1. & *seqq. cor. Vbald.* & *dec.* 830. *num.* 13. & *seq. cor. Burat*, & *dec.* 317. *in fin. cor. Coccin.*

Ad ornatum materiæ, de qua agitur, addi potest, disceptata in *Lancianen.* 9. *Februarii* 1726. fuisse hæc Dubia.

I. An ordinatus ad titulum Beneficii teneatur in illius resignatione individualiter exprimere, se fuisse ad ejus titulum ordinatum.

II. An hæc individua expressio suppleatur per assertivam, forsan ordinatus.

III. An constare debeat per probationes concludentes resignantem habere, quo commode vivere possit.

IV. An hæc probatio censeatur adimpleta per solam confessionem juratam resignantis.

V. An resignans teneatur aliud Beneficium habitum, vel alia bona subrogare Beneficio resignato.

VI. An hæc subrogatio facienda sit per Episcopi declaratoriam.

Responsum vero fuit: *Ad* I. *affirmative*. *Ad* II. *negative*, & *ad mentem*, & *mens est*, *quod hujusmodi resolutio locum habeat in futuris resignationibus*: *Ad* III. *affirmative*: *Ad* IV. *Negative*. *Ad* V. & VI. *Affirmative*, *ut in lib.* 76. *Decr. pag.* 64.

Deliberandum igitur erit.

An constet de nullitate resignationis in casu &c.

Dilata ad sequentem etiam unica.

GERUNDEN. CELEBRATIONIS MISSARUM. Petrus Fabrega Presbyter Beneficiatus Collegiatæ Ecclesiæ S. Felicis in Instrumento piæ donationis, quam fecit anno 1710. constituto idoneo fundo, jussit unum Missæ Sacrificium quotidie fieri a Dignitatibus, Canonicis, ac Beneficiatis ejusdem Ecclesiæ ad Altare ibidem dedicatum B. Virgini Mariæ de *De los desemperaos*, certa hora ab ipso Testatore præscripta. Facultatem tamen sibi ipsi reservavit nominandi aliquem ex addictis eidem Collegiatæ Ecclesiæ ad hujusmodi Cappellaniam obtinendam. Hæc autem fundatio cum conditionibus insertis approbata etiam fuit a Capitulo, quod ejus executionem in se recepit. *Sess.* 25. *c.* 4. *de ref.*

In teſtamento, quod idem Petrus Fabrega poſtmodum condidit, utens facultate ſibi reſervata nominavit ad peragendam dictæ quotidianæ Miſſæ celebrationem Franciſcum Fabrega Pro Nepotem ſuum, ejuſdemque Collegiatæ Eccleſiæ Canonicum, his verbis: *Item attendendo, quod in Instrumento &c. instituì, & fundavi in dicta insigni Seculari, & Collegiata Ecclesia S. Felicis Missam eleemosynæ octo solidorum Barchin. reservando mihi facultatem eligendi, & nominandi aliquam personam ex Residentibus in eadem Ecclesia pro celebratione, ideo utendo dicta facultate cum præsenti eligo, & nomino d. Rev. Franciscum Fabrega Canonicum d. Ecclesiæ Pro-Nepotem ad hoc, ut obitu meo secuto celebret durante vita sua d. Missam quotidianam*. Vita autem jam functo Teſtatore, Capitulares ii, qui appellantur Protectores Anniverſariorum, arbitrati ſunt debere dictum Canonicum Franciſcum Fabrega per ſe ipſum ſatisfacere injunctæ celebrationi quotidianæ Miſſæ. Canonicus vero putat ſibi fas eſſe id implere, etiam per alium; & in eadem ſententia quoque eſt Epiſcopus.

Favere enim ſibi ait Canonicus fundationem ipſam, quia cum non ſit in ea cautum, ut qui ad quotidianæ Miſſæ celebrationem delectus a Fundatore fuerit, huic oneri per ſe ipſum deberet ſatisfacere itemque hujuſmodi lex non fuerit expreſſe appoſita in electione ipſius Canonici, permiſſum cenſetur ſatisfacere etiam per alium, ut docent *Fagnan. in Cap. ut Abbates num.* 84. *de ætat. & qualit. Rot. decis.* 825. *cor. Merlin.*, & ſæpius fuit ab hac Sac. Congregatione definitum.

Fundatorem ea mente fuiſſe clarius etiam conjici putat Canonicus Fabrega, ex quo in eodem teſtamento explicante nominationem ipſius Canonici ad memoratam Cappellaniam Fundator aliam adjecit fundationem pro Miſſæ Sacrificio quotannis faciendo die ſacra BB. Apoſtolis Petro, & Paulo, & ſeptem conſequentibus diebus. Eas vero Miſſas juſſit celebrandas primum a Seſtabiano Falgons, & poſt ejus obitum (qui jam contigit) ab ipſo Canonico Fabrega, quem Fundator nominaverat ad quotidianam Cappellaniam obtinendam. Si autem eo animo fuiſſet Fundator, ut ex vi Cappellaniæ prius inſtitutæ Canonicus Fabrega quotidie per ſe ipſum ſatisfacere deberet oneri celebrationis Miſſæ, non potuiſſet eidem homini committere celebrationem alterius Miſſæ per octo illos dies ex vi ſecundæ fundationis.

At Adminiſtratores reſpondent, quod cum fundatio celebrationis Miſſæ quotidianæ ſit potiſſimum directa in Dignitates, Canonicos, alioſque Beneficiatos Eccleſiæ Collegiatæ, cenſetur eis injuncta celebratio per ſe ipſos, ac proinde ſicuti poſt obitum Canonici Fabrega Capitulares huic oneri ſatisfacere per ſe ipſos debebunt, ita etiam per ſimilem modum intelligatur commiſſa Canonico Fabrega celebratio dictæ Miſſæ quotidianæ, & ſolum ille poſſit per alium Sacerdotem ſatisfacere alteri oneri Miſſæ celebrandæ in ſolemnitate SS. Petri, & Pauli, ſeptemque ſequentibus diebus.

Sed & alia occurrit difficultas, judicio Sac. Congregationis dirimenda, videlicet an Canonicus Fabrega, ſive alter pro eo celebraturus dictam quotidianam Miſſam, teneatur eam celebrare in Altari dedicato B. Maiæ *De los desemperaos*, certaque hora a Fundatore præſtituta. Exiſtimat quippe Canonicus Fabrega, (cui etiam adſtipu-

latur

latur suffragium Episcopi) eum non affici istiusmodi conditionibus, sed eas tunc solum fore servandas, quando post obitum ejusdem Canonici onus quotidianæ celebrationis transferetur ad Dignitates, Canonicos, aliosque Beneficiatos, id scilicet deducendo ex verbis Instrumenti Fundationis ibi: *Morte vero illius* (nempe qui electus ab ipso Fundatore fuerit) *secuta præsens institutio, & fundatio habeat, & teneat suum debitum sortiri effectum*, & inferius ibi: *Vita mea, & dicti Rev. Residentis (casu quo illi relinquam, ac dimittam celebrationem Missæ quotidianæ) finita, & extincta cessent, ac cessare debeant dictæ respective annuæ pensiones, ac præstationes, & tunc dicta institutio dictæ Missæ quotidianæ incontinenti incipiat suum debitum modo, & forma prædictis sortiri effectum*.

Verum perpendi oportet, an conditiones respicientes locum, & tempus celebrationis Missarum adeo inhæreant juxta fundationis legem ipsi oneri celebrationis, ut eas servari necesse sit a quocumque, cui illud onus sit demandatum. Tum & illud, an non quidem suspensa fundatio dictæ celebrationis, dum vixerit Canonicus Fabrega, fuisse videatur, sed solum illi tributa per electionem Fundatoris prælatio in Missarum celebratione, & in assignati emolumenti assecutione, sed tamen firmis, servatisque ceteris conditionibus circa locum, & horam peragandæ celebrationis.

Denique est etiam considerandum, an ad interprætandam Fundatoris mentem conferre quidquam possit declaratio ab eo facta circa alias octo Missas quotannis celebrandas, de quibus supra habitus est sermo. Inquit enim: *dictæ Missæ celebrentur hora illis celebrantibus bene visa*.

Definiendum itaque erit.

I. An Canonicus Fabrega teneatur per se ipsum celebrare Missam quotidianam, de qua agitur.

II. An onus celebrandi dictam Missam quotidianam certis horis, ac in Ecclesia, & in Altari a Fundatore designatis, afficiat dictum Canonicum Fabrega in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Die Sabbáthi 3. Aprilis 1734.



Ilata ad hodiernam Congregationem fuit discussio binarum, quæ sequuntur, Causarum, & de quibus actum fuerat in Folio alterius Congregationis habitæ die 20. Februarii proxime præteriti.

ASTEN.

Sess. 21. c. 2. de ref.

ASTEN. RESIGNATIONIS BENEFICII.

An constet de nullitate resignationis in casu &c.

Negative.

Sess 25. c. 4. de ref.

GERUNDEN. CELEBRATIONIS MISSARUM.

I. An Canonicus Fabrega teneatur per se ipsum celebrare Missam quotidianam, de qua agitur.

II. An onus celebrandi dictam Missam quotidianam certis horis, ac in Ecclesia, & in Altari a Fundatore designatis, afficiat dictum Canonicum Fabrega in casu &c.

Ad primum Negative. Ad secundum Affirmative.

Sess. 25. c. 13. de ref.

VELITERNA QUARTÆ FUNERALIS. Ad dirimendam controversiam inter Parochos, & Ecclesias Regulares, in quibus cadavera tumulari contingat, subortam circa modum, & quantitatem Quartæ Funerariæ, expectata hactenus fuit certior consuetudinis probatio eruenda a Testibus examinandis. Itaque resumptis Foliis Congregationum habitarum die 26. Januarii, & 30. Augusti 1732. ac 2. Maii 1733. decidendum erit.

An Quarta Funeralis debeatur in sola quarta parte, seu potius in medietate in casu &c.

Ad primum Affirmative. Ad secundum Negative.

Sess. 24. c. 5. de ref. Matr.

CONIMBRICEN. MATRIMONII. Antonius Joannes, ut Matrimonium iniret cum Francisca Dias, Pontificiam impetravit Dispensationem super impedimentum primi gradus affinitatis jam ante contractæ ob illicitam consuetudinem cum Sorore ejusdem Franciscæ. In ipsis autem Literis Apostolicis ad summovendam deinceps periculi occasionem, adjectum de more fuit hoc Decretum: *Injuncto eisdem Oratoribus sub gravissimis pœnis, ne in Civitate, Oppido, seu loco, in qua seu quo prædictæ Oratricis Sororem pro tempore commorari contigerit, habitent; Et si mandato hujusmodi non paruerint, præsentes literæ eis quoad forum conscientiæ nullatenus suffragentur.*

Paritum huic præcepto non fuit, nam post initum Matrimonium conjuges in eodem loco Domicilium habuere pluribus annis, suscepta etiam interea sobole. Itaque Curia Episcopalis quæstionem instituit in memoratos conjuges, censuitque Matrimonium esse invalidum ex vi illius clausulæ in Literis Apostolicæ dispensationis appositæ.

Pronunciavit etiam Ordinarius Antonium esse multandum pœna carceris per annum, deindeque exilio per quinquennium. Cum sex jam anni præterlapsi fuerint, in quorum intervallo Antonius, & Francisca seorsum vixerunt, jamque etiam è vivis excesserit ejusdem Franciscæ Soror, ob quam clausula illa in Pontificia dispensatione fuerat adjecta, supplex hodie postulat prædictus Antonius, ut declaretur, an Matrimonium fuerit nullum: si autem validum esse visum fuerit, rogat absolvi a pœnis, quas ab eo subeundas decrevit Curia Episcopalis, ut conjuges libere simul in posterum vivere possint.

Quod

Quod igitur ſpectat ad Matrimonii validitatem, perpendi oportet, quænam eſſe poſſit ſignificatio, & virtus clauſulæ ſuperius exſcriptæ. Duo enim in ſimilibus diſpenſationibus præſcribi ſolent: alterum ſcilicet, quod prius omnis occaſio recidivæ converſationis cum fœmina conſanguinea futuræ Uxoris tollatur: alterum vero, quod iis, qui Matrimonium contracturi ſunt, denuncietur præceptum non habitandi in eodem loco, in quo commorari contigerit eamdem fœminam conſanguineam Uxoris, ut videre eſt apud *Corrad. de diſpenſ. lib.7. cap. 3. n.25.* At vero prima pars ejus legis, ſub qua diſpenſationis impertiendæ facultas tribuitur, reſpicit tempus præcedens celebrationem Matrimonii, ideoque cavere debet Executor diſpenſationis, ut prius relabendi occaſio removeatur, cujus remotionis modum explicat *Leo prax. Pœnit. par.2. cap. 5. num.* 4. Ita quidem, ut ſi Executor Literarum Apoſtolicarum proceſſerit ad earum executionem, omiſſa occaſionis remotione, Matrimonium videri poſſit nullum, ob non ſervatam formam commiſſionis, & mandati de diſpenſando, ut notat de *Juſt. diſpenſat. lib. 1. cap.* 8. *num.*202. *cum duobus ſeqq.*

Sed major difficultas verſatur in altera parte impoſitæ legis. Præceptum quippe, ne conjuges habitent in eo loco, in quo pro tempore degere contigerit Sororem Uxoris, debet quidem præcedere executionem diſpenſationis, & celebrationem Matrimonii quo ad denunciationem illius præcepti faciendam ab Executore, ſed paritio, & præcepti obſervatio, quæ ad conjuges pertinet, reſpicit tempus ſubſequens Matrimonium. Si ergo deinde hujuſmodi præcepto non paruerint, non videtur per hoc inferri poſſe nullitas Matrimonii jam ante valide contracti, quia in Matrimonio, tametſi dari poſſit conditio ſuſpenſiva ejus validitatis, non tamen ei convenit conditio reſolutiva ob indiſſolubilitatem Matrimonii Divino jure conſtitutam, quæ non patitur quod Matrimonium ab initio validum, ex futuro eventu reddatur diſſolutioni obnoxium, ut habetur in *Cap. Cum ſis de converſ. conjugat. & in Cap. Quicumque de condit. appoſit. Fagnan. in Cap. Cum in Eccleſiis de majorit. & obed.* Et ſane, ſi aliter diceretur, ſequeretur etiam dicendum, quod in arbitrio conjugum eſſet poſitum Matrimonii vinculum dirimere, irritumque facere, cum ab earum voluntate, & arbitrio pendeat habitare, vel non habitare eo in loco, in quo ſedem habeat alia perſona, cum qua converſandi occaſio arceri debuit.

Quamvis itaque verba illa: *Literæ quoad forum conſcientiæ nullatenus ſuffragentur*: vim habeant irritandi actum ipſo jure; ut advertit de *Juſt. loc. cit. n.*200. nihilominus conſiderari oportet, an in ſubjecta materia hæc verba poſſint habere ſenſum tollendi omnino de medio diſpenſationem, perinde quaſi Matrimonium ea non impetrata fuiſſet contractum, adeoque invalide: an vero potius ſic eam clauſulam explicari oporteat, ut ſalva validitate Matrimonii, conjuges non obtemperantes injuncto præcepto, ſubjecti reddantur peccato, cujus ſecluſa diſpenſatione eſſent obnoxii, proindeque Matrimonium dumtaxat reddatur illicitum, ut hanc interpretationem fovere videntur voces illæ: *in foro conſcientiæ*.

Erit igitur ab EE. VV. definiendum.

I. An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu de quo agitur.

An

II. An ſit concedenda Antonio abſolutio a pœna carceris, & exilii ob non ſervatum præceptum impoſita in caſu &c.

Ad primum Negative. Ad ſecundum Affirmative.

Seſs.7. de Sacr. Confirm. Can.3.

AMERICANA VISITATIONIS SACRORUM LIMINUM. In Congregatione habita die 24. Januarii ſuperioris anni examinatum fuit, an eſſet annuendum precibus Epiſcopi Civitatis, quæ nomen habet a Conceptione, in Cilenſi Regno. Petebat enim Pontificium Indultum, per quod ſibi liceret committere P. Rectori Collegii Societatis Jeſu exiſtentis in Civitate de Caſtro, ut adhibito oleo per Epiſcopum conſecrato, Sacramentum confirmationis miniſtrare poſſet Catholicis degentibus in tota Provincia de Chiole, & in propinqua Arce Valdiviv. At Sac. Congregatio, ut de toto rei ſtatu, ac potiſſimum de neceſſitate, cui alio modo proſpectum eſſe non poſſet, uberius edoceretur, ſuſpendit reſponſum, cenſuitque ea de re dandas literas ad Apoſtolicum Nuntium.

Is vero nuper reſcripſit vera eſſe, quæ Epiſcopus expoſuit, quæque relata fuerunt in Folio Congregationis alias habitæ: Epiſcopum in eam remotiſſimam ſuæ Diœceſeos partem ſe conferre non poſſe ſine ingenti periculo, ac diſcrimine vitæ; Auxiliarium Epiſcopum nec etiam poſſe ibi conſiſtere, cum proventus Menſæ Epiſcopalis adeo tenues ſint, ut vix ſufficiant ad ipſius Antiſtitis ſubſtentationem. Quamobrem providendum exiſtimat, ne Chriſtianæ legis cultores, qui ibi vivunt, hujus Sacramenti præſidio careant. Subjungit tamen, in Primaria ejus Provinciæ Urbe, quam vocant Caſtrum, exiſtere præter Parochum, non ſolum Collegium Societatis Jeſu, ſed etiam Cœnobium Franciſcanæ Familiæ.

Perpenſis igitur etiam iis, quæ in priori Folio expoſita fuerunt, Eminentiæ VV. dignentur declarari.

An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro conceſſione petiti Indulti in caſu &c.

Ad Eminentiſſimum Præfectum juxta mentem.

Seſs 24. c.1. de ref. Matr.

SENOGAGLIEN. SEU MACERATEN. MATRIMONII. Felix Dolci, ortus in Oppido S. Elpidii Firmanæ Diœceſeos, puer Maceratam venit, ubi domicilium habuit uſque ad Menſem Junium anni 1729. Senogalliam vero cum deinde ſe contuliſſet, ſponſalia inivit cum puella Victoria de Luca. Ut Matrimonii contrahendi facultatem a Curia Epiſcopali obtineret, protulit Felix teſtificationem Epiſcopalis Curiæ Maceratenſis de libero ejus ſtatu. At Vicarius Capitularis Senogallienſis oportere putat, quod præterea doceatur de factis publicis denunciationibus in ea Parochia Civitatis Maceratenſis, in qua per annos circiter viginti Felix domicilium habuerat, antequam Senogalliam commigraret, propterea quod quamvis alias nuptias non iniverit juxta aſſeverationem teſtium, quos Curia Epiſcopalis Maceratenſis interrogavit ad docendum de ſtatu libero, nihilominus potuerit ille fortaſſe in ea Civitate de Matrimonio contrahendo fidem alteri feminæ dediſſe, id quod minime excluditur per teſtimonium illud; ſed in lucem, ſi ita eſſet, prodiret, ubi in Parochia, cui olim ſuberat Felix inter Miſſarum ſolemnia ter fuerit palam denunciatum ejus conſilium de Matrimonio contrahendo cum Victoria de Luca Senogallienſi.

Tri-

Tridentina Synodus *Cap.* 1. *Seſſ. de ref. Matrim.* ſic ſtatuitur -- *Antequam Matrimonium contrahatur, terra proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum* -- His autem verbis videri poteſt dumtaxat præceptum eſſe, quod proclamationes in iis fiant Parochialibus Eccleſiis, quibus ſubſint Sponſi ſub ipſum tempus ineundi Matrimonium, non vero in aliis Parochiis, in quibus antea ſedem habuerint. Verum, ſi quis ex Sponſis recenter venerit ad eam Parochiam, in qua Matrimonium eſt contracturus, plures Doctores exiſtimant proclamationes fieri etiam oportere in alia Eccleſia, in cujus Parochia diuturnius domicilium antea habuerat, nimirum quia ex præſcripto Sacri Concilii, itemque etiam ante Concilium Tridentinum ex lege lata ab Innocentio III. in *Cap. Inhibitio de Cland. Deſponſ.* Ideo publicæ denunciationes ſunt præmittenda ut impedimenta, ſi quæ ſint, detegantur; id autem ibi melius reſciri poteſt, ubi longior fuit commoratio. Sic præter antiquiores docent *Sanchez de Matrim. lib.* 3. *Diſp.* 6. *num.* 6., *& ſequen. Guttier. eod. tract. cap.* 56. *num.* 6. *Barboſ. de Epiſc. par.* 2. *Alleg.* 32. *num.* 11. *Engel. ad lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 5. *de cland. Deſponſ. Dian. par.* 3. *reſol.* 235. In contraria tamen ſententia videntur eſſe *Pont. de Matrim. lib.* 5. *cap.* 38. *num.* 5. *Clericat. de Sacram. Matr. deciſ.* 33. *num.* 6.

Sed alii ſic diſſentientes opiniones cenſent concilliandas, ut quando brevis fuerit commoratio in nova Parochia, adeo ut veriſimilis ibi non ſit impedimentorum notitia, tunc denunciationes fieri debeant etiam in priori Parochia, ſecus vero ſi per aliquot annos habitaverint in Parochia, in qua matrimonium ſit ineundum, ut videre eſt apud *Anaclet. ad lib.* 4. *Decretal. tit.* 3. *a num.* 11. *ad* 15. *Smalzagrub. ad eund. lib.* 4. *tit.* 3. *a n.* 15. *ad* 22.

Tres hac de re extant hujus Sac. Congr. reſolutiones. In antiquo *lib.* 2. *Decret.* ante annum 1580. confecto ad *p.* 183. ita habetur -- *Theodorus Bertoncellus de Terra Guaſtallæ, & Mecidiano Paganella Romana invicem Matrimonium contrahere cupientes, in Eccleſia terra proprio Paroco Matrimonium hujuſmodi denunciari curarunt. Factis autem denunciationibus, cum ad Matrimonii celebrationem in facie Eccleſiæ procedere vellent, Vices-Gerens Archipreſbyteri Loci eos proibbuit, quia non erat denunciatum id Romæ in Parochia, ubi nata fuerat Meridiana. Verum, cum agatur de interpretatione* Concilii *Tridentini., & revera non ſit vagans illa Mulier, quæ per octo annos, vel circiter in una, & eadem Terra habitavit, propterea humiliter ſupplicatur, quatenus eidem Vice-Gerenti committere, & mandare dignemini ut ſi per ſeptem, vel octo annos in dicto loco Guaſtaldæ prædicta Meridiana habitavit, Matrimonium hujuſmodi juxta Ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ celebrari permittat.* Reſcriptum vero fuit. *Nihil obſtare quominus Oratores poſſint Matrimonium contrahere.*

In *Senogallien die* 29. *Januarii* 1634. hæc ſpecies facti expoſita fuit. *Bartholomæus Joannis Titta, origine Senogallienſis, Matrimonium contrahere deſiderans extra locum originis ſupplicat declarari, an ultra fides ſtatus liberi, neceſſario faciendæ ſint denunciationes Matrimoniales etiam in loco originis, prout prætendit Parochus, coram quo Matrimonium contrarii debet:* Reſponſum vero fuit. *Denunciationes etiam in loco originis eſſe neceſſarias*, ut in *lib.* 34. *Decret. p.* 28.

Denique in *Vercellen.* 6. *Maii* 1719. agebatur de Muliere, quæ extra locum originis decem totis annis permanserat in alio loco, ubi Matrimonium contraxit, & ubi solum factæ fuerant proclamationes, Proposito autem Dubio -- *An necessariæ essent denunciationes in loco originis*, responsum fuit. *Negative*, ut in *lib.*69. *Decret. pag.*222.
Declarare itaque dignentur EE. VV.
An antequam Felici Dolci permittatur celebrare Matrimonium, faciendæ sint denunciationes etiam in Parochia Maceratensi in casu &c.

Negative.

Sess. 21. c. 4. *de ref.*

MEDIOLANEN. TRANSLATIONIS PAROCHIALITATIS. In Plebania Canobii sita est Parochia S. Bartholomæi, cui sex subsunt Pagi, quorum omnium familiæ sunt circiter sexaginta. Antiqua Parochialis Ecclesia collocata fuerat in alti Montis fastigio, silvis etiam obsito. Sub initium præteriti seculi incolæ trium e dictis sex Pagis, nempe *Giazzo*, *Loro*, & *Spasu*, ad radices Montis ædificarunt publicum Oratorium, cui titulum fecit Annunciatio Beatissimæ Virginis Mariæ. Triginta autem circiter ab hinc annis Rector Parochialis Ecclesiæ e re illius gregis esse cognoscens transferri jus, & titulum Parochialem ad hoc Oratorium, non solum illud amplificavit, sed etiam prope hanc novam Ecclesiam construxit Domum, quam Parochus posset inhabitare. Absoluto ædificio, Parochus ipse anno 1711., preces obtulit Cardinali Archinto tunc Mediolanensi Antistiti, ut annueret translationi tituli Parochialis a veteri ad novam Ecclesiam. Consilium laudavit, probavitque Cardinalis, sed ne purificeretur translatio, obstitit ejus mors. Supplex deinde eamdem facultatem postulavit Parochus ab Eminentissimo Odescalco Archiepiscopo, qui re diligenter perpensa, auditaque etiam relatione, tum Visitatoris, tum etiam Vicarii foranei, anno 1717. petitam facultatem transferendi titulum Parochialem ad novam Ecclesiam Annunciationi Beatissimæ Virgini dedicatam fuit impertitus, & translatio fuit etiam ad effectum perducta.
Vehementer statim reclamarunt incolæ aliorum trium Pagorum, scilicet *Marchille*, *Rondonio*, & *Formeno*, a quibus aliquanto longius distabat nova Ecclesia Parochialis, quam antiqua. Eminentissimus Archiepiscopus anno 1720. cum plebem Canobii lustraret, loci illius Parochiæ conditiones per se ipsum sedulo consideravit. Id quomodo se habuerit, narrat nomine Eminentissimi Archiepiscopi Vicarius Generalis, his verbis ,, Non andò sua Eminenza a visitare personal-
,, mente la sudetta Parochia per l' asprezza del Paese; ma stando in
,, Barca nel Lago, volle riconoscerne minutamente la situazione:
,, Vidde per tanto, che la Chiesa Parocchiale antica era in sito al-
,, pestre, scoscesa, e tra li boschi lontana dalla Casa Parochiale
,, antica, esistente anch'essa, in luogo solitario, quasi mezzo miglio,
,, altrettanto da Formeno, e per strada difficile: Vidde, che ella
,, era lontana da Marchille, e Rondonico più di mezzo miglio di
,, strada tortuosa, e scoscesa; Vidde, che era lontana più di un
,, miglio in circa di Giazzo, Spasù, e Loro, di strada ripida,
,, & incommoda: Vidde che Rondonico, e Marchille erano bensì
,, lontani quasi un miglio dalla Chiesa Parocchiale nova, ma che la
,, strada era facile, costeggiando in piano dietro la Montagna, e
vidde

„ vidde finalmente, che Formeno era poco più lontano dalla nova „ Parochiale di quello, che sia dalla vecchia, benchè la strada per „ venire alla nova sia più aspra. Considerando poi, che Formeno „ conteneva solo dieci famiglie in Rondonico, Marchille ve ne abi- „ tavono solo altre sedici tra tutti due questi luoghi, e che in Giazzo, „ Spasù, e Loro ve ne habitavono trentatre „ che fanno la magior „ parte del Popolo, alla quale si deve haver riguardo più che alla „ minore, confermò la traslazione già fatta, ed ordinò, che si „ osservasse „. Eodem itaque anno 1720. Eminentissimus Archiepiscopus translationem juris, & exercitii Parochialis ad novam Ecclesiam alio Decreto confirmavit. Sed ut querimonias habitantium in Villis *Marchille Rondonico*, & *Formeno* condescereт, indulsit, ut Parochus a die 1. Maii usque ad diem 15. Septembris cujusque anni (quo scilicet tempore pastores armentorum degere in superiore parte Montis solent) diebus festis per alternas vices se conferret ad Sacrificium Missæ faciendum in veteri Parochiali Ecclesia S. Bartholomæi, atque ita per decem annos servatum fuit. Cum vero Parocus anno 1732. e vivis excesserit, vehementius urgere cœperunt incolæ trium illorum pagorum, ut Parochialitas omnino restitueretur Ecclesiæ S. Bartholomæi. Vicarius Generalis operam quidem dedit conciliandis Parochianis inter se diffidentibus, pluribus quoque ad rem transigendam propositis temperamentis; sed inanis fuit susceptus labor obfirmatis utrinque animis; & vacans adhuc est Parochia. Cœterum incolæ inopes adeo sunt, ut alimenta nequeant subministrare Cappellano, qui tanquam Coadjutor curæ animarum Sacramenta administret in antiqua Ecclesia S. Bartholomæi.

Discutiendum itaque proponitur.

An translatio Parochialitatis ab Ecclesia S. Bartholomæi ad Ecclesiam Sanctissimæ Annunciationis sustineatur, vel quomodo aliter sit providendum in casu &c.

Sacra Congregatio censuit translationem sustineri, & servandam esse provisionem per Archiepiscopum de mandato.

CAMERINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Cum quinque Filiæ Petri Jacobi Ursini contenderent assignandam sibi esse dotem ex bonis hæreditariis Petri Jacobi Baldini, die 8. Augusti superioris anni proposita fuerunt tria hæc Dubia. *Sess. 22. c. 6. de refor.*

I. An Mariæ Jacobæ, & aliis filiabus Petri Jacobi Ursini competant subsidia dotalia relicta a Jacobo Baldino. *Et quatenus negative.*

II. An sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis dicti Testatoris ad prædictum effectum. *Et quatenus affirmative.*

III. In quanam summa assignari debeant subsidia dotalia singulis dictis Puellis.

At Sac. Congr. abstinendum censuit a decisione primi Dubii, cum magnam haberet difficultatem quæstio, an memoratæ fœminæ nullo sanguinis gradu attingentes Joannem Jacobum Baldinum Testatorem, sed solum affines Fratri ejusdem Testatoris, comprehendi possent appellatione attinentium ad Domum Baldinam, quibus ille jusserat tradi dotem ipsis congruentem. Sed rescriptum fuit -- *Consulendum Sanctissimo pro assignatione scutorum bis centum pro qualibet.*

Huic Decreto non acquiescente Capitulo Cathedrali, cui obvenit hæreditas dicti Petri Jacobi, deliberari oportet.
An sit standum, vel recedendum a decisis 8. Augusti 1733. in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 22. Decr. de observ. & evit. in celeb. Miss.

SENOGALLIEN. MANSIONARIÆ. Circa Cappellaniam fundatam a Marco Antonio de Janfranchis, & Elisabetha ejus Uxore, disceptata die 16. Maii superioris anni fuerunt hæc Dubia.

I. An Cappellania, de qua agitur, sit Sacerdotalis quo ad Cappellanos Consanguineos.

II. An eadem Cappellania sit Sacerdotalis, quo ad Cappellanos extraneos. *Et quatenus affirmative*.

III. An Cappellani tam Consanguinei, quam extranei teneantur celebrare per se ipsos Missas a Testatoribus demandatas.

IV. Quænam servitia iidem omnes Cappellani præstare debeant Collegiatæ Ecclesiæ, & quibus in casibus excusentur.

Rescripsit vero Sacra Congregatio. *Ad* I. *esse Sacerdotalem habitu ad formam Testamenti Ad* II. *esse Sacerdotalem actu. Ad* III. *negative*. *Ad* IV. *esse hortandos, sed non cogendos, ut divinis Officiis intersit Solemnioribus diebus*.

At deliberari hodie oportet.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Iterum proponatur.

Die Sabbathi 17. Aprilis 1734.



Sess. 22. Decr. de observ. & evit. in celeb. Miss.

SENOGALLIEN. MANSIONARIÆ. Propositis die 16. superioris anni sequentibus Dubiis.

I. An Cappellania, de qua agitur, sit Sacerdotalis, quoad Cappellanos Consanguineos.

II. An eadem Cappellania sit Sacerdotalis quoad Cappellanos extraneos: *& quatenus affirmative*.

III. An Cappellani, tam Consanguinei quam extranei teneantur celebrare per se ipsos Missas a Testatoribus demandatas.

IV. Quænam servitia iidem omnes Cappellani præstare debeant Collegiatæ Ecclesiæ, & quibus in casibus excusentur.

Sacra Congregatio rescripsit ad I. esse Sacerdotalem habitu ad formam Testamenti. Ad II. Negative. Ad IV. Esse hortandos, sed non cogendos, ut Divinis Officiis intersint solemnioribus diebus.

Reproposita vero causa die 3. Aprilis proxime præteriti sub Dubio inferius describendo, efflagitantibus dilationem Terentio Speranzini, & Joanne Baptista Passerini Cappellanis Consanguineis placuit EE. VV. benigne annuere cum Rescripto. *Dilata ad sequentem*.

Hodie

Hodie igitur tum ex adductis in veteribus scriptis, tum ex novis juribus utrinque circumferendis, decernere oportet.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

ARIMINEN. TRANSLATIONIS CAPPELLANIÆ. Causa hæc proposita prima vice fuit inter summaria precum die 19. Julii 1732., & sequens prodiit resolutio -- *Lectum quoad translationem oneris Missarum, & servetur dispositio Testatoris; Quatenus vero necessitas postulet celebrari Missam diebus Festis in Castro, Episcopus alio modo provideat*. Prævia deinde ejusdem Causæ descriptione in Folio, eaque discussa die 9. Augusti præfati anni 1732. Rescriptum fuit -- *Prævio recessu a Decisis pro gratia translationis, cum onere tamen quod Cappellanus teneatur docere Doctrinam Christianam omnibus diebus festis*. At vero causa iterum relata die 20. Decembris ejusdem anni, propositoque Dubio, *An esset standum, vel recedendum a decisis*, emanavit rescriptum, *in primo loco decisis*. In conflictu ejusmodi resolutionum ad maturius decernendum, quænam ex illis mereretur approbari, causa iterum descripta fuit in Folio distributo pro Congregatione diei 8. Augusti proxime præteriti, sed quia ob temporis angustiam non potuit tunc definiri, ideo rogantur in præsentiarium EE. VV. reassumptis benigne Foliis mox enunciatis judicium proferre. Sess.22. c.6. de Ref.

An sit standum in primo, & tertio, vel potius in secundo loco decisis, in casu &c.

In ultimo loco decisis, & amplius.

BRACHAREN. DISPENSATIONIS. Beneficiorum pluralitas, quæ per Canones bene multos improbata reperitur a variis veteribus Conciliis per diversas ætates habitis, quorum seriem late recenset *Thomasin. de veter., & nov. Eccles. discipl. pag.*2.*cap.*1.*ad* 10. sequiori pariter ævo prohibita fuit ab Innocentio III. in celebri ejus Constitutione relata *inter Decretal. cap. de multa de præbend.*, & recentius *a Sac. Tridentina Synodo Sess.*7. *cap.*4. *de reform.*, ubi innovata fuere jampridem sancita per Sacros Canones, & præsertim a laudata Constitutione Innocentii III. Quia vero præfatus Pontifex sapienter animadvertit, nullam pœne legem esse probe adeo constitutam, cujus aliquando dispensationem impartiri non deceat, ideo in postrema ejusdem Constitutionis parte ita se declaravit -- *Circa sublimes tamen, & literatass Personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dispensari*. Sess. 7. c. 4. de Ref.

Hæc igitur Sanctissimæ alioquin legis limitatione fretus Rodericus a Moura Telles, qui post assecutum Canonicatuum in Metropolitana Bracharensi Ecclesia novissime obtinuit approbari ab Examinatoribus Synodalibus pro Ecclesia Parochiali, & Abbatiali S. Petri de Maximinos sita in suburbiis ejusdem Civitatis Bracharensis supplicationem Sanctitati Suæ porrexit, qua petit secum dispensari, ut Canonicatum una simul cum Parochia retinere possit.

Ejus itaque precibus ad hanc Sacram Congregationem pro voto remissis con-

contendit Rodericus, recensendum se fore inter sublimes, & literatas Personas, circa quas laudatus Pontifex Innocentius Tertius super retentione Beneficiorum etiam incompatibilium per Sedem Apostolicam dispensari posse declaravit. Siquidem ad comprobandum sublimem natalium suorum conditionem docet se genitum ex Comite de Santiago in Aula Regis Lusitani munus maximi hospitatoris exercente, atque in supremo, intimoque Regio Consilio Judice, consanguinei vinculo adstrictum clar. me: Cardinali de Sousa necnon Archiepiscopo Bracharensis Ecclesiasticæ Jurisdictionis accerimo vindici nuper defuncto. Gloriaturque Patruum habere D. Marchionem de Frontejera, qui maritimæ expeditioni a Serenissimo Lusitaniæ Rege in Turcas Corcyræ insultantes transmissæ feliciter præfuit.

Ad suadendum vero, quod inter literatas Personas mereatur accenseri, exponit per undecim totos annos incubuisse studiis Juris Canonici in Conimbricensi Universitate, Lauream Doctoralem in ea fuisse consecutum, & tandem Doctrinæ suæ non vulgare specimen præbuisse in rigido Synodali examine ad Parochialem Ecclesiam de qua agitur, indicto.

Binas præterea exprimitur circumstantias, ob quas confidit gratiam petitæ dispensationis facilius sibi fore indulgendam. Prima nimirum est tenuitas fructuum Canonicatus ab ipso possessi: Altera commoditas deserviendi utrique Ecclesiæ absque Divini cultus, & animarum detrimento.

Contra vero, ne gratia petitæ dispensationis indulgeatur, obsistunt Clerici Diœcesis Bracharensis residentes in Curia; & primo quidem tum ob distantiam per mille ferme passus Ecclesiæ Parochialis a Metropolitana, tum ob ingentem numerum bis mille circiter Animarum sub illa Paræcia degentium, contendunt ab uno, eodemque viro utrique Ecclesiæ deserviri non posse.

Negant deinde concurrere in Roderico eam doctrinæ excellentiam cujus ratio pro ejusmodi dispensationibus habenda sit præcipue attenta ipsius ætate vigesimum quartum annum non excedente, & si qua in illo literatura considerari posset, eam inquiunt, numquam tanti faciendam esse, ut gratia dispensationis pro duobus Beneficiis residentialibus, quorum alterum est cum cura Animarum indulgeri mereatur.

Et demum asserunt, Rodericum jam satis, superque aliis redditibus Ecclesiasticis provisum esse, quin retentione hujusmodi Præbendarum inter se incompatibilium sit amplius ditandus.

Pluries Sacra hæc Congregatio rescripsit pro gratia consilium Dispensationum, quarum exempla referuntur *in Summario Roderici*. In iis vero advertendum est, habitam potissime rationem fuisse, quod Dispensatus posset utrique Beneficio absque Divini cultus, & curæ Animarum detrimento commode inservire. Aliquando Sac. Congr. gratiam hujusmodi denegandam esse censuit, uti contigit in quadam Visen. ejusdem Regni Lusitaniæ die 10. Maii 1732. data in *Summ. Clericorum Bracharensium num.*8.

Ad æstimandum rei, de qua agitur, momentum expendi possunt ea quæ de Præbendarum pluralitate tradit - S. *Thomas quod lib.*9.*ar.*152. *Sunt, inquit, quædam actiones, quæ absolutæ consideratæ deformitatem, vel ordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur. In numero harum actionum videtur esse, habere plures Præbendas; cum hoc, quod est habere*

bere plures Præbendas plurimas in se inordinationes contineat, utpote quod non est possibile, aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est Præbendatus; cum Præbendæ videantur esse ordinatæ, quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum Testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiæ contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest. Et multa alia hujusmodi, quę de facili patent. Unde non potest contineri inter indifferentes actiones, multo minus inter eas, quæ sunt secundum se bonæ, ut dare eleemosynam, & ejusmodi. Quamvis vero has inordinationes pluralitas Præbendarum contineat; tamen, (prosequitur Angelicus Doctor) *aliæ circumstantiæ possunt supervenire, ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur: ut puta, si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequii, ut posset plus servire Ecclesiæ, vel tantundem absens, quam alias præsent, & sique alia sunt hujusmodi.* Jo: Andreas, & cum illo pluries alii Canonistæ scribentes in citatum *Cap. de multa de Præb.* inquiunt, triplicem esse posse rationem concedendi hujusmodi Dispensationes, nimirum necessitatem, utilitatem, & evidentem meritorum prærogativam.

Perpensis itaque circumstantiis utrinque deductis onus erit EE. VV. decernere.

An dispensatio pro recentione Canonicatus Ecclesiæ Bracharensis cum Parochiali Ecclesia, de qua agitur, sit concedenda in casu &c.

Negative, & amplius.

FIRMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Causa hæc proposita fuit in Sac. Congr. die 22. Novembris 1727. sub dubio -- *An pro nubendis duabus miserabilibus Puellis juxta ultimam voluntatem Nicolai collateralis dos scut. duodecim, & obulorum 50. pro qualibet sit sufficiens, vel danda major, & in qua summa, itaut sit standum, vel recedendum a decisis die 11. Januarii præteriti in casu &c.* prodiitque rescriptum -- *Detractis expensis, & aliqua mercede ab Archiepiscopo, statuenda, & solvenda administratori bonorum a Communitate iligendo reliquum esse distribuendum in duas dotes.* Sess.11.c.4. de ref. Audita hujusmodi resolutione, censuit Sacra Congregatio Boni Regiminis nonnihil detrimentri potius, quam utilitatis obveniendum fore Communitati Terræ Murri Vallium, si in administratione fructuum hæreditatis Nicolai collateralis eadem Communitatis immisceretur, ideoque demandavit, ut ab ea se abstineret, quodque tum d. hæreditatis administratio, tum onus reddendi rationem Consiliariis uti singulis incumberet; quod quidem ægreferens Communitas ipsa novas huic Sac. Congr. pro recessu a decisis sub diebus 11. Januarii, & Novembris præfati anni 1727. porrexit preces, super quibus audito Archiepiscopo Firmano, decretum fuit die 30. Augusti 1732., ut causa reproponeretur in folio. Hodie igitur perpensis rationum momentis ab utraque Parte deducendis placeat EE. VV. definire.

An sit standum, vel recedendum a decisis sub diebus 11. Januarii 22. Novembris 1727. in casu &c.

Prævio recessu a decisis, dotem scutorum 20. 50. pro qualibet Puella a Communitate taxatam pro nunc esse Congruam.

LEO-

Seff. 22. c. 6. de ref.

LEODIEN. JURISDICTIONIS. Conquerentibus Prætore, Scabinis, & Civibus Civitatis Caroloregii inferioris in Flandria, quod eorum Urbes, quæ ab anno 1667. usque ad annum 1685. steterat sub jurisdictione Episcopo Leodiensi, & respective immediatæ curæ Pastoris Ecclesiæ de Marcinelle gravia in detrimentum Animarum suorum Civium patiatur incommoda, dum tempore nocturno, si qua necessitas occurrat, dictus Pastor administrare non potest Civibus Sacramenta, quia portæ Civitates clauduntur ac præterea belli tempore liberum eis non est frequentare Ecclesiam Parochialem, neque mortuorum corpora ab Urbe asportare, qui multo se exponant periculo patiendi Hostium aggressionem, cum Pagus de Marcinelle duobus Milliaribus distet ab Urbe prædicta, iisdemque postulationibus, ut denuo subiicerentur jurisdictioni Episcopi Namurcensis, atque in eadem Urbe inferiori deputaretur Parochus, qui Sacramenta illis administret, aliasque functiones Parochiales ibidem exerceat, placuit huic Sacræ Congregationi super ejusmodi instantia audire nedum Episcopos Leodiensem, & Namurcensem, verum etiam Nuncios Coloniensem, & Bruxellensem.

Quia vero nondum perventa relatione Nuncii Apostolici Coloniensis interea temporis, Prætor, & Scabini d. Civitatis Caroloregii preces exposuerunt Sanctissimo, ut assertis Animarum periculis prospiceretur, placuit eidem Sanctitati Suæ demandare die 8. Maii 1731. quod scriberetur -- *Nuncio Apostolico Bruxellensi, ut pro sua prudentia, & etiam auctoritate ipsi tributa curet, & provideat in indemnitati Oratorum, & certioret*, post quæ Episcopus Leodiensis sub obtentu consulendi indemnitati Animarum dictæ Civitatis commisisse asseritur earumdem curam Patribus Cappuccinis ibidem residentibus. Cumque præterea in eodem oppido inferiori Caroloregii constructa fuerit Ecclesia, eaque de licentia, uti pariter asseritur, Episcopi Leodiensis per Rectorem Parochiæ de Marcinelle benedicta, quædam ortæ sunt conquæstiones super actu benedictionis hujusmodi, qui prætendebatur attentate commissus. At vero ad compescendos istius controversiæ ampliores successus, & ad salubrius prospiciendum curæ Animarum, de quibus agitur, congruum visum est demandare disputationem sequentium dubiorum, quæ in præsentiarum ex juribus circumferendis EE. VV. decidere non gravabuntur.

I. An exercitium Jurisdictionis Diœcesanæ in Oppido inferiori Caroloregii spectet ad Episcopum Lodien., *Et quatenus affirmative*.

II. An, & quomodo sit providendum circa residentiam Parochi de Marcinelle in dicto Oppido, ac respective deputationem Vicarii in dicto loco de Marcinelle in casu &c.

Ad primum affirmative. Ad secundum providendum cum dispensatione Vicarii in Oppido Caroloregii.

Seff. 22. Dec. de observ. & evit. in celebrat. Miss.

AQUEN. CONFIRMATIONIS CONCORDIÆ. Sacerdos Antonius Bazzanus die 23. Octobris anno 1725. per Instrumentum publicum fundavit, dotavitque Beneficium in Ecclesiastica Parochiali Oppidi Cavatoris, in quo natales sortitus fuerat, & Cappellano imposuit onus celebrandi tres Missas qualibet hebdomada ad Altare sub invocatione Sanctissimi Rosarii erectum. Nondum autem reportata ab Ordinario confirmatione fundationis hujus Beneficii idem

idem Antonius Bazzanus die 2. Augusti 1726. præcepit Missas a Cappellano celebrari, non in Ecclesia, & Altari ante designatis, sed in Ecclesia S. Sebastiano Sacra, quæ sita est in agro ejusdem Oppidi. Caussas vero mutatæ circa id suæ voluntatis expressit his verbis ,, Si per ,, esser S. Sebastiano uno de' particolari suoi Avvocati, che per il ,, maggior commodo del' Abitanti in vicinanza di d. Chiesa, e massime del Signor Capitano Lorenzo de Scuti, nella dicui persona, e suoi Eredi, e Successori dopo la morte di Francesco, ,, e Bartolomeo Fratelli di d. Signor Rettore deve passare il Juspatronato di tale Beneficio, e sul riflesso anche, che gia restando il ,, sudetto Altare del Rosario fra l' anno onorato colla celebrazione ,, di molte Messe, essa Chiesa Campestre, ove ben di rado si celebrano Messe, non solo conseguirà l' onorificenza delle predette ,, Messe ebdomadarie, ma di piu trovandosi quasi derelitta verrà ,, probabilmente colla dovuta decenza tenuta, e conservata da detto ,, Signor Capitano de Scuti, e suoi Eredi, e Successori &c.

Posteriorem hanc fundationem approbavit Vicarius Capitularis decreto edito die 27. Septembris præfati anni 1726. eodemque actu Beneficium erexit, Juspatronatus Fundatori, aliisque juxta ejus votum attribuit, sed circa tres Missas qualibet hebdomada celebrandas statuit unam celebrari debere in Altari Sanctissimi Rosarii Ecclesiæ Parochialis, ubi Beneficium fuerat institutum, reliquas vero duas in Rurali Ecclesia S. Sebastiani.

Post hæc Fundator, mutata iterum voluntate, per aliud Instrumentum die 17. Julii 1727. declaravit *dignis de caussis*, nulla tamen peculiariter exposita, se velle, quod omnes tres Missæ perpetuo celebrarentur in Ecclesia Parochiali ad normam primæ suæ dispositionis.

Postrema hæc voluntatis mutatio occasionem præbuit controversiæ inter ipsum Bazzanum Fundatorem, & Laurentium de Scutis obortæ. Contendebat siquidem Fundator Missas celebrandas esse ad Altare Sanctissimi Rosarii, contra vero Laurentius propugnabat duas Missas celebrandas esse in Rurali Ecclesia S. Sebastiani juxta legem a Vicario Capitulari in memorata Beneficii erectione appositam. Delata igitur ejusmodi quæstione ad hunc Sacrum Consessum, propositoque in folio die 15. Decembris 1731. Dubio -- *An omnes Missæ celebrari debeant in Ecclesia Parochiali, vel potius duæ singulis hebdomadis in Ecclesia S. Sebastiani* -- in Congregatione subinde habita die 12 Januarii 1732. prodiit rescriptum *negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

In hoc rerum statu cum Bazzanus Beneficii Fundator deliberasset instare pro recessu a decisis, deventum est inter Partes ad transactionem, qua Laurentius de Scutis consensum præstitit, ut memoratæ tres Missæ hebdomadales celebrarentur in Ecclesia Parochiali dicti loci Cavatoris, juxta formam in primo fundationis instrumento enunciatam. Hujus itaque concordiæ sub consueta Beneplaciti Apostolici reservatione inter partes conventæ hodie petitur confirmatio, quam Episcopus, audito Parocho, censet indulgendam.

Ut annuatur instantiæ, videtur potissimum urgere, nihil hodie peti a Fundatore adhuc vivente, quod juri communi adversetur, id fuisse primevæ suæ mentis, ut omnes tres Missæ in Altari Sanctissimi Rosarii celebrarentur, hoc idem congruum esse, ut Missæ celebrentur in Ecclesia, in qua fundatum est Beneficium, & demum in Ecclesia

Parochiali, in quam Populi convenientes audiunt verbum Dei, docentur Cathechifmo, inftruuntur de vigiliis, & feftivitatibus, aliifque per Parochum denunciari folitis, quibus omnibus facile carerent, fi attenta commoditate audiendi Sacrum in Ecclefia S. Sebaftiani ab acceffu ad Parochialem Ecclefiam Gentes illius Oppidi diverterentur.

His igitur benigne ponderatis dignabuntur EE. VV. definire.

An fit locus confirmationi concordiæ in cafu &c.

Affirmative, & amplius.

Seff. 25. c. 13. de ref.

CASSANEN. PRÆHEMINENTIARUM. Inter cæteras Ecclefias Terræ Murani Caffanen. Diœcefis tres numerantur parochiales, quarum altera fub invocatione Principis Apoftolorum, altera fub titulo S. Mariæ Magdalenæ, altera demum dicata reperitur in honorem S. Nicolai, quæ quidem Ecclefiæ cum fint receptitiæ, unaquaque earum præter Rectorem, Clerum quoque habet diftinctum, & feparatum. Inter Cleros hujufmodi Ecclefiarum frequentes exarferunt controverfiæ, præfertim vero inter Presbyteros S. Petri, & illos Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quarum longa feries ab anno 1533. ad præfentia ufque tempora deducta ex plurimis actibus comprobatur.

Cum autem nuperrime anno 1732. Presbyteri Ecclefiæ S. Mariæ Magdalenæ curaverint obtinere erectionem Ecclefiæ fuæ in Collegiatam, Clerus S. Petri, qui contendit illam fibi fubjectam effe tanquam filialem, ne per affecutionem novæ dignitatis fuperior evaderet, plura adverfus petitam erectionem præftitit impedimenta, donec communi confenfu electus in Judicem compromiffarium Julius Tornus Canonicus Cathedralis Ecclefiæ Neapolitanæ protulit laudum die 3. Martii 1733. quo declaravit *conftare de Matricitate, & præheminentia Ecclefiæ Sancti Petri*, eique plures prærogativas attribuit, quarum vigore arbitratus eft licere Ecclefiæ S. Petri impedire, nec expediantur Bullæ in favorem Ecclefiæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ fuper ejus erectione in Collegiatam, ftatuendo præterea fervandam effe quamdam concordiam initam anno 1666. cum aliis pluribus favore Archipresbyteri S. Petri ibidem expreffis.

Appellarunt ab hoc laudo Presbyteri Ecclefiæ S. Mariæ Magdalenæ ad Tribunal A. C. fed remiffa deinde caufæ cognitione ad hanc Sacram Congregationem, requifitaque de more ab Eminentiffimo Archiepifcopo Neapolitano informatione, retulit ifte laudum prædictum a Canonico Torno fervatis fervandis fuiffe prolatum. Deinde vero cum Presbyteri Ecclefiæ S. Mariæ Magdalenæ infterint, ut exquireretur etiam relatio Epifcopi Caffanenfis, datæ funt ab hac Sacra Congregatione opportunæ literæ, quibus tamen, quinimo, neque literis urgentioribus deinceps præfentatis die 14. Decembris 1733. cum nullum adhuc refponfum advenerit, Clerus Ecclefiæ S. Petri, cui longior mora, uti afferit, ab altera Parte ftudiofe interjecta magnopere difplicet, iteratis poftulavit inftantiis, ut in hodierna feffione fupremum EE. VV. exquiratur oraculum.

I. An conftet de Matricitate, feu præheminentia cum titulo Archipresbyteralis Ecclefiæ Sancti Petri Terræ Murani refpectu etiam Ecclefiæ S. Mariæ Magdalenæ ejufdem loci, feu potius contra conftet de Matricitate, feu Majoritate dictæ Ecclefiæ S. Mariæ Magdalenæ.

II. An fi utraque Ecclefia erigatur in Collegiatam, illa quæ fuerit declarata Matrix, eu Major retinere debeat præcedentiam, præheminentias, & prærogativas quoad omnes alias Ecclefias dictæ Terræ.

III. An ubi conftiterit de unius, vel alterius Ecclefiæ Matricitate licitum fit Clero S. Mariæ Magdalenæ recedere a concordia ftatuta anno 1666. itaut Proceffiones fieri poffint feparatim in cafu &c.

Dilata.

FIRMANA ERECTIONIS PRÆBENDARUM. Caufa hæc propofita fuit die 11. Junii 1729. difcuffis tunc quinque fequentibus dubiis. *Seff. 19. c. 13. de ref.*

I. An R. Jofeph Fontana præbendatus manfionarius noviter electus teneatur reportare erectionem manfionariæ, atque inftitutionem refpective, in cafu &c.

II. An idem R. Fontana debeat in Choro federe in Stallo immediate poft ultimum Præbendatum, vel poft ultimum Manfionarium inferioris ordinis Præbendatorum in cafu &c.

III. An teneatur intervenire in Choro etiam de fero in diebus ferialibus, prout interveniunt cæteri Præbendati, & Manfionarî in cafu &c.

IV. An in fua hebdomada teneatur per Turnum canere Miffam Conventualem.

V. An R. Gregorius Grandamaffi Præbendatus authoritate ordinaria inftitutus in executionem difpofitionis Teftamentariæ Georgei Mofcheni teneatur pariter canere Miffam Conventualem in fua hebdomada in cafu &c.

Refponfum fuit: Ad primum, *erectionem effe faciendam juxta formam fundationis fumptibus tamen hæreditatis*. Ad fecundum, *affirmative ad primam partem, & negative ad fecundam*. Ad tertium & quartum *negative*. Ad quintum, *teneri quatenus illi folvatur ab aliis Presbyteris eleemofyna juxta morem*.

Reclamantibus autem adverfus refolutionem hujus quinti dubii Præbendatis Ecclefiæ Metropolitanæ, reaffumpto folio olim diftributo, perpenfifque juribus per eos deducendis, dedignabuntur EE. VV. pronunciare.

An fit ftandum, vel recedendum a decifis die 11. *Junii* 1729. *quoad quintum dubium in cafu &c.*

Non propofita cum fequente.

ASCULANA CATHEDRATICI. Cum Epifcopus ad normam noviffimi Concilii Romani *Tit.* 8. *cap.* 4. folvendum indixerit Cathedraticum, quod ipfo communi jure cautum eft, deberi Ca- *Seff. 24. c. 11. de ref.*

thedræ Pontificali ab omnibus Beneficiatis in signum honoris, & subjectionis juxta *Can. inter cætera* 11. *qu.* 3. *cap. Pastoralis de donat. & cap. conquerente de Offic. Jud. Ordin.* orta est dubitatio, nam in dimetienda ejusdem tributi quantitate detrahi prius debeant onus Missarum, & alia quæque onera super Beneficiis legitima authoritate imposita.

Ajunt enim Beneficiarii, multa esse in ea Diœcesi Beneficia, quorum onera omnes ferme redditus exæquant, ita quidem, ut si Cathedraticum esset solvendum, nulla habita ratione eorumdem onerum, minui deinde oportet numerum Missarum, pro quibus, juxta præscriptum Fundatorum celebrandis idonei proventus non suppeterent; sicque, ut iidem Beneficiati resumunt, Sacra hæc Congregatio in quadam Tudertina proposita die 7. Junii 1728. censuit, juxta dispositionem ipsius Concilii Romani mediam annatam deberi ex fructibus Beneficiorum, detractis honeribus Pensionum, Collectarum Cameralium, ac etiam Missarum juxta legem fundationis celebrandarum, eodem, quin etiam potiori jure arbitrantur, nonnisi detractis prius omnibus ejusdem generis honeribus solutionem Cathedratici esse taxandam.

Quæ contra opponere intendat Episcopus, nondum apparuere; Ea tamen, quum proferentur, poterunt ab EE. VV. de more ponderari, unde mutuo collatis Decertantium rationibus consultissime decidatur.

An sint detrahenda onus Missarum, cæteraque onera a Beneficiis in solutione Cathedratici in casu &c.

Die Sabbathi 8. Maii 1734.



ELEVITANA CELEBRATIONIS MISSARUM. Clara Vassallo, in ejus Testamento condito anno 1719. *Voluit, quod die Sabbathi cujuslibet hebdomadæ in perpetuum exequatur, & exequi debeat per infrascriptos ejus hæredes &c. una Missa lecta celebranda in Vener. Ecclesia filiali noviter erigenda, & fabricanda, ac in partem constructa per D. Balthassarem de Bono ejus virum &c. sub titulo S. Mariæ Septem Dolorum, quos hæredes &c. obligavit &c. pro executione celebrationis dictæ Missæ lectæ &c. cum hac facultate, quod possint dicti, & infrascripti ejus hæredes universales assignare aliquod stabile dicto Beneficiato, seu Procuratori ejusdem Ven. Ecclesiæ pro celebratione dictæ Missæ vulgo Vicenda, intelligan turque tunc dicti hæredes exempti, ac immunes, & liberi a dicto onere, obligansque tunc prius eumdem D. Beneficiatum, seu Procuratorem dictæ Ecclesiæ pro executione prædictæ Vicendæ modo prædicto, & non aliter &c.*

Sess. 25. c. 4. de ref.

Mortua Testatrice, Antonius, de Bono Rector Beneficiatus dictæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Septem Dolorum authumans sibi spectare præ-

lati-

lative quoad cæteros jus celebrandi die Sabbathi prædictam missam, supplicem huic Sacræ Congregationi porrexit libellum, quo petebat demandari hæredibus Claræ Vassallo, ut ei persolverent eleemosynam duorum tarenorum, scilicet unius julii monetæ Romanæ pro qualibet Missa, necnon consuetas pro sacris Utensilibus expensas.

Requisitus de more Episcopus, auditus hæredibus Claræ, suum aperuit votum, quo censuit, annuendum non esse precibus Rectoris præfatæ Ecclesiæ.

Putabat siquidem, nullum jus competere dicto Rectori pro celebratione Missarum, quarum adimplementum fuerat a Testatrice suis hæredibus primario loco commendatum: Minusque deberi expensas pro sacris Utensilibus, aut enim res fuerit de cera, vino, & hostia, & de istis ajebat, curam assumi solere ab ipsismet celebrantibus; Aut sermo fiet de sacris vestibus: Et his Ecclesia præfata fuit abunde provisa a Fundatore, qui Rectori ejusdem Ecclesiæ præcepit, ut ex fructibus Beneficii a se erecti sacris Supellectilibus bene instructam eam conservet.

His ab Episcopi relatione perceptis, Sacra Congregatio die 17. Augusti 1726. Rectoris instantiam rejecit; At vero nuper admissus ad Beneficium novæ Audientiæ denuo contendit idem Rector se præferendum esse cuicumque alteri Sacerdoti in celebratione præfatæ Missæ ex eo potissime, quod Clara Vassallo Testatrix principaliter fuerit contemplata Ecclesiam, cui ipse Præpositus est, conferentibus ad id tum resolutione Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium in Hydruntina, quam refert *Nicol. in Flosc. verb. Missa num.* 21. ibi: *Missæ ad satisfaciendum eleemosynis alicui Ecclesiæ traditis celebrari non debent per Exteros, ubi commode possunt satisfieri per Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ*: Tum rescripto Sacræ hujus Congregationis in Romana Eleemosynæ Missarum die 5. Septembris 1716. ubi ad Dubium secundum: *An Archiconfraternitas possit celebrationem Missæ de qua agitur, committere Sacerdotibus Secularibus, seu illam potius teneatur celebrari facere per Patres S. Francisci*: respondit: *Negative quoad primam, & affirmative quoad secundam partem, ut ex lib. Decret. 66. fol.* 390. tum Decisionibus Rotæ, nempe *Decr.*294. *n.*1. *& seq. par.* 9. *rec. & in Placentina prætensæ collegialitatis* 20. *Junii* 1695. §. *Præcipue coram Card. Scotto*. In cujus postrema firmatur, congruum esse, quod Beneficiati, qui Ecclesiæ servitio continuo assistunt, in distributione eleemosynarum pro Missis in eadem Ecclesia celebrandis præferantur.

Quoties autem Missæ celebratio Rectori competat, eleemosynam sibi solvendam esse propugnat ad rationem duorum tarenorum pro qualibet Missa, tum ex præsumpta Testatricis voluntate, quæ in hac summa eleemosynam Missæ taxaverat in altero Testamento ab ipsa præcedenter confecto, cum ex stylo Insulæ Melevitanæ, juxta quem eleemosyna Missæ manualis ad eamdem rationem persolvitur, uti præter Testes confirmat Episcopus.

Denique præstandos esse sumptus pro sacris Utensilibus iterum sustinet Rector eo sub fundamento, quod expensæ hujusmodi solvendæ sint, etiamsi Ecclesia, in qua Missa celebratur, necessariis Supellectilibus sit abunde ditata, ut ex decisis per hanc Sacram Congregationem in Auximana, in qua cum ageretur de Ecclesia Cingulana peculia-

culiares habente redditus pro sacris Supellectilibus instruendis, proposito Dubio die 23. Februarii 1726. *An Rectores Beneficiorum, Cappellani, aliique celebrantes in Ecclesia Collegiata Singuli teneantur solvere Utensilia Capitulo dictæ Ecclesiæ, & pro qua summa in casu &c.* Rescriptum fuit: *Rectores Beneficiorum, Cappellanos perpetuos, Canonicos obtinentes ultra Canonicatum Cappellanias perpetuas, & ipsum Capitulum pro rata onerum perpetuorum teneri ad solutionem Utensilium Sacristiæ ad rationem unius obuli pro qualibet missa, exceptis tamen a solutione Utensilium Missis adventitiis, ut in lib. Decret. 76. fol. 95.*

Jura pro hæredibus Claræ Vassallo nondum allata sunt; Partes itaque erunt Eminentiarum VV. decidere.

I. An celebratio Missæ perpetuæ demandata a bon. mem. Clara Vassallo uxore Balthassaris de Bono die Sabbathi cujuslibet hebdomadæ in Ven. Ecclesia S. Mariæ septem Dolorum spectet ad Beneficiatum, sive Rectorem ejusdem Ecclesiæ, *& quatenus affirmative*.

II. In qua summa dicto Beneficiato, sive Rectori debeatur eleemosyna.

III. An pro celebratione dictæ Missæ solvi debeat ab hæredibus supradictæ Claræ taxa Utensilium, & in qua quantitate in casu &c.

Ad primum negative. Ad secundum satis provisum in primo. Ad tertium Affirmative juxta consuetudinem regionis, & amplius.

Sess. 25. c. 19. de reg.

NUCERINA, SEU FULGINATEN. PROFESSIONIS. Causa hæc proposita fuit die 2. Julii 1729. sub dubio: *An constet de nullitate Professionis*: prodiit rescriptum *negative, & amplius*. Cum autem facta deinde fuerit Oratori facultas, iterum sacram hanc Congregationem adeundi sub obtentu novorum jurium ejus favore adducendorum, ne EE. VV. graventur onere reassumendi Folium a quinque ferme annis distributum, opere prætium est, totius rei seriem cum gravioribus circumstantiis ad Causæ decisionem conferentibus denuo exponere.

Nicolaus Lipsi Terræ Gualdi Nucerinæ Diœcesis regularem habitum in Conventu Ordinis Hæremitarum S. Augustini existente Fulginei suscepit die 6. Novembris 1714. ibique die 8. Novembris sequentis anni 1715. post completum probationis annum solemnem professionem emisit, eodem Nicolai nomine retento.

Anno autem 1718. dum morabatur in Conventu ejusdem Ordinis in Civitate Nuceriæ, meditans intentare judicium super nullitate suæ Professionis coram Ordinario, & Superiore Locali ad formam Concilii in *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Reformat.* ac dubitans, de quo Ordinario, & Superiore loqueretur Concilium, an scilicet loci habitationis, an vero emissæ professionis, recursum habuit ad Sacram Congregationem pro declaratione, quæ die 24. Septembris ejusdem anni mandavit, ut procederet Ordinarius Fulginatensis una cum Superiore Locali.

Coram istis comparuit Orator, irritam fuisse contendens suam Professionem, uti emissam per vim, & metum sibi a Patre incussum, ad quem probandum curavit formiter examinari in Terra Gualdi a Judice deputato octo Testes, inter quos Joannem Baptistam Lipsi ejus germanum Fratrem, qui omnes deposuerunt de ferocia Patris, quod ipse filium pluries impulerit ad ingrediendum in Religionem ne dum ver-

verbis asperis, sed etiam immanibus factis, eum nempe ejiciendo e domo paterna, denegando alimenta, verberando, & aliquando armata manu vibrando ictus usque ad necem, quodque ad incutiendum huic filio metum usus quoque fuerit opera alterius filii sui, prædicti scilicet Joannis Baptistæ, & cujusdam Angeli Calafati hominis facinorosi.

Iidem quoque Testes deposuere, quod Nicolaus Orator pluries protestatus fuerit ante Professionem, se ingredi in Religionem, & Professionem emittere ob tot violentias sibi illatas a Patre, eamdemque protestationem repetiisse post emissam Professionem, ut latius in dictis depositionibus, quæ in præcedenti istius causæ propositione datæ fuerunt seorsim impressæ.

At vero Joannes Baptista Lispi Frater Oratoris, & alter ex præfatis Testibus inconstans fuit in suo dicto, nam post suam depositionem in formali examine emissam, geminis ad Episcopum Fulginei datis literis, quæ in processu fuerunt insertæ, se retractavit, asserens falsam fuisse præcedentem suam formalem depositionem, & falsas etiam depositiones aliorum septem Testium tanquam subornatorum a Nicolao. Postmodum vero nempe die 23. Januarii 1726. aliam emisit declarationem, in qua confirmans deposita in primo suo examine asserit prædictas Epistolas ad Episcopum Fulginei scripsisse, *per mero interesse, e molto più ci fui spinto da diversi altri interessati de' suoi beni*.

Adversus ejusmodi probationes pro Nicolao adductas aliquæ tunc fuerunt a Procuratore Fiscali datæ exceptiones. Prima nimirum quod tempore emissæ Professionis, scilicet quatuor diebus ante illam objerat Pater Nicolai, atque ita cessaverit in isto causa metus: Quod de Patris morte notitiam habuerit Orator ante Professionem, id evincentibus geminis Epistolis Patris Joannis Mariæ Rossi Religiosi ejusdem Ordinis, qui testatur, scripto prius, mox etiam voce tenus certiorem fecisse. P. Nicolaum de obitu Genitoris, antequam Professionem emitteret.

Altera exceptio in eo stetit, quod, data etiam nullitate Professionis, ejus tamen ratificatio inducta fuerit a subsequenti plusquam Annali delatione habitus, ab exercitio actuum Professis competentium, & fortius a susceptione Sacrorum Ordinum ad titulum religiosæ paupertatis successive secuta, quas circumstantias aptas esse pro inducenda tacita Professione, materia doctissime examinata, propugnat *Eminentiss. Petra in Commentar. ad Constit. Apostolicas tom.* 4. *pag.* 619. *sect. unic. fere per tot.*

Exceptiones istæ per Procuratorem Fiscalem adductæ prævaluerunt apud Ordinarium Fulginatensem, qui una cum Superiore locali sententiam edidit pro validitate Professionis, itidemque apud hanc Sac. Congregationem, quæ uti dictum est, respondit: *non constare de nullitate Professionis*.

Jam vero documenta, quæ impræsentiarum tamquam nova pro impetrando recessu a decisis proferuntur ab Oratore, sunt. Primum copia publica Protestationis ab ipso dimissæ in Cancellaria Curiæ Episcopalis Nucerinæ die 8. Decembris 1715. ante susceptionem Ordinis Subdiaconatus, qua declaravit, se firmum animum habuisse suscipiendi Ordines Sacros, ac etiam Presbyteratum ad titulum Patrimonii bonorum sibi a Matre, aliisque consanguineis relictorum: quia vero,

vero, tam Pater, quam Fratres ejus bonis inhiantes ipſum coegerunt habitum regularem induere, & Bona prædicta in Patrimonium aſſignare noluerunt, ideo proteſtabatur, quod Sacerdos effectus a præmiſſis reclamare non deſiiſſet; has autem proteſtationes quamvis extrajudiciales ſuffragari ad excludendum conſenſum a ratificatione ſubſequuta, dixit *Rot. apud Pignatell. tom. 9. conſult.* 183. *n.* 163. *& deciſ.*211. *n.*19. *&* 20. *par.*13. *rec.* E contra vero Sac Congregatio, reclamante Fr. Laurentio Roſſi Ordinis Minorum Conventualium, ac prætendente vi, metuque a Patre adactum fuiſſe ad ingreſſum in Religionem, & ob id potiſſime petente reſtitutionem in integrum adverſus lapſum quinquenni, quia tum præcedenter ad Profeſſionem ſolemniter penes Notarium de vi, metuque illato proteſtatus fuerat, ante SS. Ordinum ſuſceptionem aliam ſimilem proteſtationem peregerat, ne per eam Profeſſio ratificata præſumeretur, diſputato dubio: *An eſſet locus reſtitutioni in integrum*: die 28. Novembris 1716. reſpondit *Negative*, uti videre eſt in *Neapolitana reſtitutionis in integrum in lib.* 66. *Decr. fol.* 509. *&* 510.

Secundum documentum eſt mandatum de aſſociando ab ipſo Oratore obtentum die 9. Februarii 1732. in Tribunali A. C. ad quædam bona retenta per Joannem Baptiſtam, & alios de Lipſis ejus Fratres, ex quo elicitur eorumdem Fratrum conatus, ne bona Oratori ſpectantia tenerentur aliquando dimittere.

Tertium denique atteſtationes extrajudiciales duorum Teſtium, qui deponunt audiviſſe Oratorem tam intra quinquennium a die Profeſſionis, quam poſt illud, ac etiam nuperrime ſuper nullitate ſuæ Profeſſionis continuo reclamantem.

Quanti autem ponderis ſint nova hæc documenta, ut pronis auribus excipiantur repetitæ Oratoris inſtantiæ, quibus hodie Religio non contradicit, Judices erunt EE. VV. quæ proferre dignabuntur.

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Dilata, & examinetur formiter D. Joannes Maria Roſſi, & ſcribatur Epiſcopo, ut inquirat ſuper veritate aſſertæ proteſtationis emiſſæ per Nicolaum ante ſuſceptionem Sacrorum Ordinum.

Seſſ.24. c.13. de ref.

MACERATEN. CATHEDRATICI. Cum in Concilio Romano habito anno 1725. *tit.* 8. *cap.*4. redintegratæ fuerint veteres juris Canonici Sanctiones de Cathedratico Epiſcopis ſolvendo, Epiſcopus Maceratenſis credidit jus ſibi eſſe illud exigendi univerſim a ſingulis Eccleſiis, ac Beneficiis ſibi ſubjectis: At contradictores ſeſe præbentibus Confraternitate S. Antonii Abbatis Terræ Montis Miloni, Clero, & Capitulo Tolentini, necnon Monaſterio S. Agnetis, & Eccleſiis Pacis, & Crucis, coactus fuit jura ſua deducere in Congregatione particulari habita die 29. Aprilis 1731. ubi propoſitis tribus hiſce Dubiis.

I. An Cathedraticum debeatur, & in qua ſumma, *& quatenus affirmative*.

II. An ad illius ſolutionem teneantur etiam Cappellaniæ Laicales, & ad nutum amovibiles.

III. An, & quomodo ſit procedendum in ejus executione obtinuit reſcribi: *Ad I. affirmative ad formam Synodi Provincialis. Ad II. negative. Ad III. ad mentem*, quæ fuit, ut ſcriberetur Enciclica juxta inſtructionem. Facta

Facta autem reclamantibus adversus, hanc resolutionem facultate iterum de suo jure experiendi, eo tamen addito, quod Societas erecta in Ecclesia S. Antonii jura sua deduceret, præter motivum ejus situationis in solo Lateranensi, postmodum ex Decreto D. Cardinalis Pro-Auditoris Sanctissimi causa remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem, in quo modo præcedens decisio favore Episcopi edita ad trutinam est revocanda.

Porro quod attinet ad Societatem, quæ nuncupatur: *la Compagnia di S. Antonio del Suffragio*: nititur hæc a solutione Cathedratici sese eximere triplici fundamento: Primo, quod sit Confraternitas mere Laicalis, & quidem ob ejus inopiam impar huic oneri sustinendo: Secundo, quod ab immemorabili tempore reperiatur in possessione pacifica non solvendi: Tertio demum, quod sita sit in solo Lateranensi, adeoque tamquam exempta a Jurisdictione Episcopali, nequeat oneri solvendi Cathedraticum subjici.

At Episcopus inquit, se petere Cathedraticum a Confraternitate ratione Ecclesiæ S. Antonii, cui unita fuit.

Ob ejusmodi autem uniones cum Beneficiis, seu Ecclesiis exigi posse Cathedraticum alias declaravit hæc Sacra Congregatio in *Cathacen.* 21. *Maii* 1644. *lib.* 17. *Decret. fol.* 321. *& in Amalphitana Cathedratici* 26. *Februarii* 1707. *lib.* 56. *Decr. pag.* 68.

Præterea contendit, Cathedraticum uti reservatum in signum jurisdictionis, & Cathedræ honorem nulla præscriptione quantumvis immemorabili potuisse tolli, juxta sancita per *Concil. Roman. tit.* 8. *cap.*4. ibi: *Jus sane inter cætera Episcopalia ita privilegiatum, ut neque ab Episcopis in totum remitti, nec a quoque, valeat quocumque titulo, vel immemorabili consuetudine præscribi*: Quod quidem conforme videtur Decretis alias editis ab hac Sacra Congregatione in *Lavellen.* 18. *Aprilis* 1693. *& 6. Junii ejusdem anni*, ubi proposito Dubio: *An Cathedraticum Episcopo debeatur, non obstante asserta immemorabili in contrarium*: Responsum fuit: *Deberi ad formam Juris*, ut in *lib.* 43. *Decret. fol.* 261. *& in Amalphitana Cathedratici* 5. *Septembris* 1705. *lib.* 55. *Decr. fol.* 326.

Subindeque consentanee ad hæc decisum fuit in Congregatione particulari deputata super Cathedraticis die 29. Aprilis 1731. *Cathedraticum deberi ab Ecclesia Cathedrali Asculana, aliisque existentibus in centenaria possessione non solvendi*. Et demum quoad situationem in solo Lateranensi opponit, non probari, quod Ecclesia S. Antonii sita, & erecta fuerit in eo Solo ante renovationem Privilegiorum Basilicæ Lateranensis a Xisto V. factam, uti requiritur pro asserendo exemptionis privilegio juxta Constitutionem dicti Pontificis in ordine *la* 19. *Bullar. Tom.* 2. *pag.* 513. minusque doceri, quod Solum, in quo sita est Ecclesia prædicta, ante ejus erectionem pertinuerit Ecclesiæ Lateranensi, quod pariter ad exemptionis privilegium requiri dixit *Rot. dec.* 228. *n.*5. *& seq. dec.*260. *cor. Emerix Jun. & in Squillacen. Jurisdictionis super bono Jure* 7. *Junii* 1723. *cor. Lancetta*: Sed ubi etiam hæc probarentur, nullius tandem momenti esse in hypothesi, quia situatio in solo Lateranensi non tribuit exemptionem a Cathedratico, ad firmata per *Card. de Luca de Jurisd. disc.* 38. *per tot.*

Circa exemptionem, quam sibi asserit Monasterium S. Agnetis, notandum est, quod, tametsi Regulares non teneantur solvere Cathe-

draticum de Monasteriis, eorumque Ecclesiis, ubi ipsi divina peragunt: juxta *Text. in can. Inter cætera* 8. 10. *q.* 3. ibi: *Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis pensione exempti*: & tradunt *Anaclet. Reinffenstuel. in jus can. lib.* 3. *tit.* 39. §. 1. *n.* 12. *Engel. eod. loc. num.* 6. *Barbos. lib.* 3. *jur. Eccles. univers. cap.* 20. *num.* 11. *& cum aliis Piton. discept. Eccles.* 35. *num.* 6. *Tom.* 2. Attamen, quod illud solvere teneantur de Ecclesiis, Beneficiis, Cappellis, & Parochialibus Secularibus, quibus præsunt, etiamsi Monasteriis eorum pleno jure sint incorporatæ, tradunt *Abb. in cap. conquerente de censib. num.* 1. ibique: *Ancharan. num.* 5. *Fagnan. n.*10. *&* 43. *& Reinffestuel. loc. cit. num.* 13.

Præcipua demum oppositio Cleri Tolentini, in eo residens, quod Mensa Episcopalis sit dives, & opulenta removeri prætenditur, ex quo Cathedraticum præstatur in honorem Cathedræ, non autem in Episcopi subsidium; Sique illud postulatur etiam ab Ecclesia rurali S. Rocchi, & ab altera Ecclesia Crucis, & Pacis Montis Miloni id sibi debitum ait Episcopus ab ipsis Ecclesiis, utpote congrua dote instructis; minime vero ratione Cappellaniarum Laicalium ibi erectarum, quas ipse non vexat.

Quatenus ergo Cathedraticum debeatur, putat Episcopus deberi in summa a Synodo Provinciali statuta: Ex sacris enim Canonibus taxatum reperitur in duobus solidis, ut ex *Can. Placuit. Can. illud te Can. fin.* 10. *q.* 3. *& in Cap. Conquerente de off. Judic. Ordin.* Hos autem duos solidos æquare æstimationem viginti juliorum, inhærendo sententiæ plurium Doctorum declaravit Concilium Romanum *d. tit.*8. *cap.* 4. ubi in fine verba hæc subjiciuntur: *Salvis consuetudinibus Ecclesiis, & Episcopis magis favorabilibus*. Unde cum nulla favorabilior Ecclesiæ consuetudo proferatur, standum sit Provinciali Synodo, quæ in juliis viginti Cathedraticum deberi sancivit.

His igitur, aliisque juribus circumferendis, serio ponderatis, definiendum erit.

An, & in qua summa debeatur Cathedraticum, in casu &c.

Deberi juxta Taxam præscriptam in Concilio Romano.

Sess. 22. *c.* 11. *de ref.* URBINATEN. Joannes Antonius Franchettus Propositus Parochialis Ecclesiæ S. Bartholomæi anno 1715. approbante Archiepiscopo, & facultate ad id accepta ab hac Sacra Congregatione vendidit, Julio & Joanni Maria de Palma duo parva Prædia eidem Ecclesiæ spectantia pretio scutorum octuaginta quinque monetæ Urbini.

Postmodum vero litem Venditori, ac Emptoribus intentarunt Jacobus, & alii de Laurentiis asserentes eadem Prædiola contractu præcedenti non quidem de scripto, sed viva voce inito sub annum 1724. vendita sibi fuisse convento pretio in summa scutorum 75. ejusdem monetæ Urbini. Qua lite de mandato Sacræ Congregationis prosecuta in Curia Archiepiscopali, hæc anno 1726. per sententiam definivit, utramque venditionem fuisse invalidam, & irritam, sed ea Prædiola vendenda esse Jacobo, & aliis de Laurentiis, cum quibus fuerat præcedenter stabilitus contractus, ita tamen ut Emptores pretii nomine solvere deberent scuta 85.

Re modo ad hunc Sacrum Confessum vi appellationis ascensa. Fratres de Palma, qui de judicio Curiæ Archiepiscopalis conqueruntur, in id potissimum vires suas intendunt, ut perfectionem asserti contractus cum Jacobo, & aliis de Laurentiis verbaliter initi penitus excludant.

Ajunt enim, binos Testes ad illam probandam adductos parvifaciendos esse, cum alter eorum non satis firmus in primo dicto rei seriem maturius recogitans de contractus perfectione judicium proferre non posse declaraverit.

Accedit ad hæc, quod venditio neque perfici potuisset nondum impetrato Beneplacito Apostolico: Et donec istud non fuerat obtentum, licebat Ecclesiæ a contractu recedere, potissime vero ubi major pretii summa per Fratres de Palma oblata justam præbuit occasionem recessus, cum inde melior efficeretur Ecclesiæ conditio.

Plura, quæ ad hujus controversiæ decisionem nonnihil conferre possunt, egregie disserit *Eminentiss. Petra Tom.* 1. *pag.*50. *a n.* 37. *ad plures sequen.* ubi docet, quando in alienatione bonorum Ecclesiæ possit, & debeat admitti nova major oblatio, quando contractus dicatur perfectus ad effectum illam excludendi, & demum, an, ubi locus est pœnitentiæ, & novæ oblationi, præferendus sit primus pro eadem majori summa.

His itaque, & aliis perpensis juribus a Collitigantibus proferendis placeat Eminentiis VV. decidere.

I. An venditio Prædiorum Ven. Ecclesiæ Sancti Bartholomæi Urbini facta favore Archipresbyteri Julii, & Joannis Mariæ de Palma sustineatur: *Et quatenus negative*.

II. An venditio sit facienda favore Fratrum de Laurentiis, & pro qua summa.

III. An Archipresbyter Joannes Antonius Franchetti proprio, vel dictæ Ecclesiæ nomine teneatur ad expensas, damna, & interesse in casu &c.

Ad primum Affirmative. Ad secundum provisum in primo. Ad tertium Negative.

APTEN. INDULTI. Cum Causa hæc proposita fuerit die 27. Junii superioris anni, placuit huic Sacræ Congregationi resolutionem differre, demandando, ut adhiberentur diligentiæ juxta mentem, necnon scriberetur Episcopo juxta instructionem. *Sess.22. Dec. de observat. & evict. in celebr. Miss.*

Ex diligentiis, uti credere fas est, juxta mentem Sacræ Congregationis operoso studio adhibitis nihil comparatum fuit, quod Causæ Decisioni conferre possit. Literis vero quibus ab Episcopo petitum est. ,, I. An haberi possit alter Sacerdos, qui diebus Festis sacrificet in ,, publico Oratorio, de quo agitur. II. Quanta sit distantia Eccle- ,, siæ Parochialis, & qualis conditio viæ hyberno præsertim tem- ,, pore. III Quot sint incolæ non valentes commode accedere ad Ec- ,, clesiam Parochialem pro audienda Missa. IV. Quanta sit elee- ,, mosyna necessaria, ut alter Sacerdos Missam celebret in dicto pu- ,, blico Oratorio. V. An Dominus loci vere possit hujusmodi elee- ,, mosynam subministrare: Et VI. demum, an aliquid etiam possit ,, contribui ab incolis, qui in eodem Oratorio Missam audirent. ,, Episcopus per hæc verba respondit ,, I. Difficillime haberi posse al-

 ,, terum

„ terum Sacerdotem, qui diebus Festis sacrificet in publico Orato-
„ rio, de quo agitur, cum non sit alius nec in dicto Oppido, nec
„ in vicinis locis. II. Ecclesiam Parochialem de Sioux distare cir-
„ citer duo millia a quibusdam dicti loci villis, viamque esse per-
„ dificilem ob interfluentes torrentes præsertim hyberno tempore.
„ III. Esse circiter centum Incolas, qui ad audiendam Missam non
„ possunt commode accedere ad Ecclesiam Parochialem. IV. Ne-
„ cessarias fore centum quinquaginto libras, ut alter Sacerdos Mis-
„ sam celebraret in dicto publico Oratorio. V. Denique nec Do-
„ minum loci ejusmodi eleemosynam subministrare, nec ab Incolis
„ aliquid contribui posse „. Hæc Episcopus.

Cætera, quæ rem illustrant, habentur in folio distributo pro enunciata Congregatione *diei* 27. *Junii* 1733. benigne reassumendo: Iis autem, ut aliquid addatur, legenda proponuntur tradita per *Vericel. de Apostol. Mission. tit.* 4. *quæst.* 98. *dub.* 9. & præcipue *sub num.* 105. ubi illud valde notabile refert, quod Cappellanus Legati Veneti apud Regem Angliæ singulis diebus in eadem Cappella sex Missas celebrat *ex Privilegio Pontificio*, ut Catholicis magno in numero confluentibus faceret satis.

Omnibus itaque mature perpensis statuere oportet.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti in casu &c.

Negative.

Sess. 25. *c.* 12. *de Ref.* PAMPILONEN. ET BARBASTREN. DECIMARUM. Supplicantibus Episcopis, & Clero Seculari Regni Navarræ, ut Privilegia Regularibus elargita circa exemptionem a solutione Decimarum propter nimiam ab eorum amplitudine Parochialibus Ecclesiis illatam perniciem ad terminos juris deducerentur juxta providam dispositionem Alexandri III. *in Cap. Suggestum de Decimis* Sacra hæc Congregatio *die* 21. *Augusti* 1728. rescripsit *Esse locum reductioni juxta modum*. Modus autem ita fuit explicatus, *ut Regulares non habentes in Privilegiis expressam derogationem Cap. Nuper. teneantur solvere integras Decimas, exceptis bonis, & rebus præscriptis in Cap. Ex parte de Decimis; Quo vero ad Regulares habentes expressam derogationem dicti Cap. Nuper. pro omnibus bonis de præsenti possessis teneri ad solutionem unius pro viginti quinque. Pro bonis vero in futurum quocumque titulo acquirendis teneri ad integram decimam, salvis tamen compositionibus, & exceptis in omnibus PP. Dominicanis*.

Decretum hoc fuit a SS. D. N. approbatum die 19. Januarii 1731. præter quam quoad exceptionem PP. Dominicanorum, quam suspendi jussit. Deinde vero scilicet die 26. Aprilis 1732. declaratum fuit etiam Dominicanam Familiam eo Decreto compræhendi debere.

Expedito interea ad normam memoratæ resolutionis Apostolico Brevi, Judex, cui commissa fuerat executio, decrevit, Monasteria *de Iranzù*, & *Marcilla* Ordinis Cisterciensis in Diœcesibus Pampilonensi, & Barbastrensi existentia a decimis exempta esse debere dumtaxat pro armentis eorum usui destinatis, itemque pro Novalibus, quæ sive eorum manibus, sive eorum sumptibus colerentur, ac demum pro hortis intra ipsorum Monasteriorum ambitum positis: Solven-

vendas vero esse integras decimas pro aliis quibuscumque bonis, vel acquisitis, vel acquirendis.

Ab hoc Judicis Executoris decreto veluti præfatæ resolutioni, ac menti Sacræ Congregationis minime consono reclamarunt PP. Cisterciensses authumantes nimirum exemptionem eis competere indiscriminatim pro omnibus bonis, quæ sua manu, vel suo sumpto coluntur, ac pro iis nonnisi ad rationem unius pro viginti quinque decimas solvendas esse: Proindeque ad ipsorum instantiam propositum fuit in hac Sacra Congregatione dubium: *An Decretum Judicis Executoris quoad Monasteria Ordinis Cisterciensis sit servandum, vel potius an, & quomodo sit formandum*: Cui die 14. Martii superioris anni 1733. Sacra eadem Congregatio respondit: *Affirmative quoad utramque partem juxta modum, videlicet ad instar aliorum Regularium habentium expressam derogationem Cap. Nuper. de decimis*.

Quia vero præcedenter inter easdem Partes disceptatum fuerat aliud dubium: *An primitiva debeatur a Regularibus juxta consuetudinem Episcopatus in casu &c.* quod pariter die 5. Maii resolutum fuit: *affirmative*: Hinc recens orta est subalterna quæstio, an decimæ, & primitiæ debeantur integræ, sive potius ad rationem unius tantum pro viginti quinque ex bonis spectantibus ad Monasteria PP. Cisterciensium, quæ reperiantur in Enphyteusim, Locationem, & ad Coloniam alteri cuicumque concessa.

Ad rectam itaque istius controversiæ decisionem examinanda potissime videntur ea, quæ statuit Alexander III. in *Cap. Ex parte de decimis*, ubi rescribens Archiepiscopo Tarraconensi ait: *Prædecessor noster Adrianus solis Fratribus Cisterciensis Ordinis &c. decimas laborum suorum, quos propriis manibus, vel sumptibus colunt, indulsit &c. quem sumus super his imitati*: quæque idem Pontifex declarat in sequenti *Cap. Licet.* 11. cujus verba sunt hæc: *Licet de benignitate Sedis Apostolicæ sit vobis indultum, ut de laboribus, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis, nemini decimas solvere teneamini: propter hoc tamen non est licitum vobis, decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas*: Post hæc autem verba idem Alexander III. in suis literis, quæ integre referuntur in prima collectione Decretalium apud Antonium Augustinum, & in appendice ad Concilium Lateranense sub dicto Pontifice *part.* 3. *cap.* 6. ita prosequitur: *Relatum est si quidem auribus nostris, quod cum terras quasdam, quas in decimatione dilecti filii nostri Thesaurarii Senonensis habetis, detis rusticis ad excolendas, exinde decimas, sicut debetis, non solvitis, nec facitis a rusticis ipsis exsolvi. Quoniam igitur, quanto arctius vos, & Ordinem vestrum diligimus, tantum minus vos, & ordinem vestrum volumus efficere, quæ sunt honestati contraria, vel obvia rationi, aut ex quibus Privilegiorum nostrorum tenorem transgredi videamini, cum privilegium videatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate: Fraternitati vestræ monemus, quatenus de terris illis, quas in decimatione prædicti Thesaurarii propriis manibus non excolitis, sed rusticis traditis excolendas, decimas vobis usurpare nullatenus præsumatis, sed eas in propriis eidem Thesaurario faciatis cum omni integritate persolvi*.

Gloss. in d. Cap. Licet. 11. in *verbo traditis*, ait: *ad hoc enim non extenditur privilegium, nec ad illas, quas conducunt ab aliis*: Et con-

consone ad præmissa rescripsit deinde Innocentius III. Episcopo Pistoriensi in cap. A. nobis eodem tit. ibi: *Fraternitati tuæ respondemus, quod a dantibus, & recipientibus possessiones ad firmam de fructibus, quos percipiunt, decimæ sunt solvendæ. Nisi ab eis ostendatur, quare ab hujusmodi sint immunes.*

Ex his autem infert Abbas Panormitanus scribens super eodem cap. 10. *Quod duo requiruntur ad hoc, ut isti Monachi gaudeant privilegio: Primo, quod Prædia sint propria, nam secus, si conductitia, secundo, ut ipsi colant ipsa prædia propriis sumptibus, vel manibus:* Quando autem dicantur colere propriis sumptibus, ita exponit: *Quando solvunt certum prætium pro illorum cultura, unde si tradunt illa prædia colonis partiariis, vel censualibus, idest solventibus certum censum, non habet locum privilegium istud: Quia Colonus Partiarius non dicitur proprie colere agrum sumptibus Domini; quia pars partiarii coloni submittitur fortunæ, & Dei misericordiæ; unde, si nihil colligeretur ex agro, verum est dicere Dominum, nihil solvisse pro cultura, secus si in omnem eventum Colonus debet habere certas mensuras vini, vel frumenti. Nam tunc ille non dicitur partiarius, sed sumptibus Domini colere agrum.*

Alii tamen Authores cum ea distinctione procedendum esse arbitrantur, quod, aut Privilegia terras ipsas eximunt a decimarum solutione, & tunc, quia Privilegia sunt realia, eas sequentur, licet aliis traditas ad excolendum: aut Privilegia liberant tantum personas, & isto casu personæ contemplatæ erunt quidem immunes, sed Coloni, vel Emphyteutæ ad decimas tenebuntur: *Ita Marchesan de Commis. appellat. in causis Decimar. par.* 1. §. 1. *n.* 145. *& seqq. fol.* 674. *& alii.*

Utrum vero immunitas a solutione decimarum Cisterciensibus competens vi Privilegiorum sit personalis, vel potius possessionibus, aut rebus inhærens, potuerunt EE. VV. ex iis, quæ utrinque afferentur judicare, ac una simul sapienter edicere.

An decimæ, & primitivæ debeantur ex bonis concessis emphyteusim, locationem, & ad coloniam in casu &c.

Dilata ad primam post proximam.

Sess 22. Decr. de observ. & evit. in celeb. Miss., & in Decr. de Purgat sess. 25.

ASCULANA DIMINUTIONIS ONERIS. Anno 1593. Cardinalis Hieronymus Bernerius tunc Episcopus Asculanus, approbante Clemente VIII. suppressit omnes Canonicatus supranumerarios, & Beneficiatus in Ecclesia Cathedrali existentes, eorumque redditus Fabricæ ejusdem Ecclesiæ addixit.

Verum, ne cultus Divinus ex prædicta suppressione detrimentum pateretur, erigi statuit duodecim Mansionarias conferendas inposterum viris probatæ vitæ, qui tenerentur exercere officium Hebdomadarii, præbere Antiphonas Canonicis in Choro, omnibus diebus festis in Missis, & Vesperis munus Diaconi, & Subdiaconi subire, ac in diebus feriatis psallere, & Missam Conventualem canere.

Hisce Mansionariis assignavit pro congrua eorum substentatione ex redditibus Fabricæ detrahenda quinque rubra frumenti pro quolibet, ea tamen adjecta lege, ut quotiescumque aliquis ipsorum quacumque de causa, excepto solo infirmitatis casu, deficeret a servitio, portionem frumenti amitteret, quæ tamen non cæteris Mansionariis adji-

adjiceretur, sed tota caderet Fabricæ beneficio. Pro quotidianis autem distributionibus constituit annua scuta centum æqua ratione inter eos distribuenda juxta servitium præstitum.

Duodenarius Mansionariorum numerus unquam fuit completus, cum ad hæc usque tempora sex tantum Mansionarii fuerint Ecclesiæ servitio addicti, a quibus onera omnia superius recensita sustinentur.

At vero, cum nuper Episcopus occasione Visitationis perceperit, Missam Conventualem, quæ diebus Festis de more canitur ab uno ex Canonicis, applicari pro Benefactoribus, minime vero, illam quæ canitur diebus ferialibus ab uno ex Mansionariis, decrevit, hanc quoque pro Benefactoribus esse applicandam: Quamobrem ab onere præter consuetudinem hactenus servatam recens imposito gravatos se arbitrantes Mansionarii, supplicem huic Sacræ Congregationi porrexerunt libellum, in quo, dum paratos se exhibent parere Decreto Episcopi, rogant, ut pro nova, quæ tot aliis oneribus adjicitur, obligatione uberius aliquod emolumentum ex redditibus Fabricæ sibi assignetur, idque potissimum ex rationibus mox subnectendis obtinere confidunt.

Primo, quia ex circumstantiis supra expressis respicientibus suppressionem Canonicatuum, & erectionem Mansionariarum a Cardinale Bernerio decretas conjicitur, Mansionarios diebus pro festis canere Missas in levamen Canonici Hebdomadarii: secundo quia inter onera plurima Mansionariis imposita, & singillatim expressa in eorum erectione non recensetur applicatio Sacrificii: tertio, quia stipendium est adeo tenue, ut vix æquet incommodum psallendi quotidie in Choro: quarto demum, quia ex redditibus Fabricæ præter duplicatam frumenti quantitatem, solvenda quotannis essent scuta centum Mansionariis, si duodenarius eorum numerus juxta mentem Cardinalis Bernerii fuisset expletus, unde æquitas menti ejusdem Erectoris facile consona postulare videtur, ut præsentes sex Mansionarii, qui totum servitii pondus, quod inter duodecim esset repartiendum, jugiter sustinent, integram quoque inter se dividendam recipiant summam illam scutorum centum, quæ pro quotidianis distributionibus fuerunt Mansionariis assignata.

Episcopus, cujus relatio fuit de more expetita, confirmans hactenus exposita, censet gravari posset Fabricam Ecclesiæ annuis scutis viginti, quæ solvantur Mansionariis pro applicatione Sacrificii, referens ex illa summa constitui eleemosynam manualem unius caroleni pro qualibet Missa in ea Civitate communem. Capitulum, cui de mandato hujus Sac. Congregationis præfixus fuit congruus terminus ad deducendum jura sua, nihil opponit. Mansionarii vero, qui decreto applicandi Sacrificium pro Benefactoribus non renuunt acquiescere, quoties a Sacra Congregatione confirmetur, denuo supplicant pro augmento assignamenti in annuis scutis quinquaginta, exponentes tenuem esse summam scutorum viginti, pro qua sensum suum aperuit Episcopus; tum quia taxatio eleemosynæ pro Missa quotidiana perpetua in solis obulis septem cum dimidio videtur contraria decreto generali pridem edito ab Innocentio XIII. ac pluribus Sac. hujus Congregationis resolutionibus, tum quia nullum inde gravamen supra legem Erectionis Mansionariorum adderetur Fabricæ, quippeque centum scuta quotannis deberet solvere, si erectio ipsa fuisset in omnibus adimpleta.

Porro

Porro quod attinet ad applicationem Missæ Conventualis a Mansionariis diebus ferialibus celebrandæ, licet in eorum erectione nullum de applicatione Sacrificii pro Benefactoribus habitum fuerit verbum, perspicua sunt Decreta Sac. hujus Congregationis, quæ sæpius declaravit Missæ Conventualis tam a Canonicis, quam a Beneficiatis celebrandæ applicationem liberam non esse, sed pro Benefactoribus Ecclesiæ faciendam. Ita sancivit in una *Elven.* 4. *Maii* 1646. *ad quartum lib.* 8. *Decr. fol.* 97. *in una Alexandrina* 26. *Aprilis* 1653. *lib.*19. *Decr. fol.*242. & 7. *Febr.*1654. *eodem lib.*19. *Decr. fol.* 309. *in Burgen. S. Donini Missæ Conventualis* 16. *Maii* 1716. *lib.* 66. *Decr. fol.*223. & successive in aliis.

An autem in hypothesi congruere possint Declarationes editæ in *Mantuana Applicationis Sacrificii* 19. *Novembris* 1718. *lib.* 68. *Decr. fol.* 457. & *in Ferrarien. Applicationis Sacrificii die* 11. *Junii* 1729. *lib.* 79. *Decr. fol.* 263. in quibus dictum fuit, Cappellanum non teneri sacrificium applicare pro suffragio animæ Fundatoris, quia plures in iis casibus concurrebant circumstantiæ præseferentes mentem Fundatoris fuisse contrariam, ac præterea non agebatur de Missa Conventuali, onus erit Eminentiarum VV. dijudieare, quæ dignabuntur etiam decernere circa subalternam Mansionariorum petitionem pro assignamenti augmento, congruum pronunciando Oraculum.

An sit delendum onus applicationis, vel potius an, & in qua summa augendum sit assignamentum in casu &c.

Dilata, & scribatur Episcopo pro meliori informatione juxta Instructionem.

Sess. 21. *c.* 2. *de Ref.*

ASTEN. RESIGNATIONIS BENEFICII. Proposito die 3. Aprilis proxime præteriti Dubio -- *An constet de nullitate resignationis* -- rescriptum fuit -- *Negativè in casu, de quo agitur* -- Reclamante autem Joanne de Malabaya, infrascriptum proponitur Dubium, in cujus resolutione ponderanda potissimè videntur. Primò, an constans fuerit semper Sacræ hujus Congregationis sententia, quod in resignationibus Beneficii ad cujus titulum fuerit quis ordinatus, hujus circumstantiæ mentio requiratur adeo pro forma, ut neque per æquipollens suppleri possit: & ad id conferunt deducta in folio distributo pro Congregatione diei 20. Martii currentis anni: Secundo, an id procedat etiam in casu, quo resignatio non sit voluntaria, sed necessaria, & de jure facienda, cum eo casu resignationem non compræhendi sub Tridentini Decreto *Sess.* 21. *Cap.* 2. *de Reformat.* communiter tradunt DD., & signanter *Navarr. cons.* 4. *de renunc. Flam. de resign. lib.* 2. *quæst.* 6. *num.* 39. & *seqq. Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. §. 10. *num.* 35. & *seq. Garz. de Benef. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 219. & *seqq.*, ubi refert ita ab hac Sacra Congregatione decisum: Tertio, an necessaria fuerit respectu Joannis de Malabaya dimissio Beneficii, de quo agitur, quippe quia non docet, Apostolicam dispensationem obobtinuisse pro ejus retentione post assecutam Parochialem, cum hodie vigore Tridentini, *sess.* 24. *cap.* 17. *de ref.* duo Beneficia sufficientia sint adeo incompatibilia (præciso Pontificio Indulto) ut post pacificam possessionem secundi, vel ipso jure inducatur vacatio primi, uti pari-

pariter decisum refert ab hac Sacra Congregatione, *Garz. de Benef. part. 2. cap. 5. num.* 283. & tenent *Fagnan. in cap. cum jam dudum. de Præben. num.* 37. *& in cap. De multa. eodem tit. num.* 3. *& Barbos. in collect. ad Trident. sess.* 24. *cap.* 17. *num.* 9. *&* 12., vel saltem inducenda sit per sententiam, uti mitiori adhærendo opinioni censet *Navarr. cons.* 14. *tit. de Præben. & idem Barbos. de potest. Episc. alleg.* 62. *num.* 3. Quarto demum, an, ubi confirmetur præcedens Rescriptum definiens, non constare de nullitate resignationis controversiæ, providendum sit, mediante subrogatione Parochialis, quam hodie possidet Joannes in locum Beneficii resignati, ad cujus titulum fuerat ordinatus, libere possit aliquando hanc quoque resignare contra mentem Concilii Tridentini, quod mentionem illam omnino faciendam ideo statuit, ut sciat Episcopus, quidnam aliud prædicto titulo subrogetur, quod utique Episcopum expresse scire expedit, cum hoc secundum induat eamdem qualitatem inabdicabilitatis, seu inalienabilitatis, qua erat affectus primus titulus, cui subrogatur, ut totidem fere verbis ait *Castropal. tract.* 13. *disput.* 6. *part.* 2. §.2. *num.* 6.

His igitur ob oculos habitis, rescribendum erit.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Dilata ad primam omnino.

CASSAN. PRÆEMINENTIARUM. Causa hæc præscripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 17. Aprilis proxime præteriti, & ad instantiam Presbyterorum Ecclæsiæ S. Mariæ Magdalenæ dilata fuit ejus resolutio. Nunc igitur ab Eminentiis VV. exquiritur. *Sess. 25. c. 13. de Ref.*

I. An constet de matricitate, seu præeminentia cum titulo Archipresbyterali Ecclesiæ S Petri Terræ Murani respectu etiam Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ ejusdem loci, seu potius contra constet de matricitate, seu majoritate dictæ Ecclesiæ Santæ Mariæ Magdalenæ.

II. An, si utraque Ecclesiæ erigatur in Collegiatam, illa, quæ fuerit declarata Matrix, seu Major, retinere debeat præcedentiam, præeminentias, & prærogativas, quoad omnes alias Ecclesias dictæ Terræ.

III. An, ubi constiterit de unius, vel alterius Ecclesiæ Matricitate licitum sit Clero S. Mariæ Magdalenæ recedere a concordia statututa anno 1666., itaut Processiones fieri possint separatim in casu &c.

Dilata.

Die Sabbathi 22. Maii 1734.



Seſſ. 21. c. 2. de ref.

STEN. RESIGNATIONIS BENEFICII. Resolutio infraſcripti dubii in proxime præterita Congatione propoſiti fuit ad præſentem dilata: Reaſſumpto itaque folio tunc diſtributo non gravabuntur Eminentiæ VV. ſapientiſſime definire.

An ſit ſtandum, vel recedendum, a deciſis in caſu &c.

In deciſis facto Verbo cum Sanctiſſimo, & facta Subrogatione Parochialis per Epiſcopum, & amplius.

Seſſ. 24. c. 13. de ref.

ASCULANA CATHEDRATICI. In Folio Congregationis diei 17. Aprilis proxime præteriti ad inſtantiam Cleri, ſive Beneficiariorum Diœceſis Aſculanæ poſita fuit Cauſa iſta ſub unico dubio, quod eſt primum ex infra deſcribendis. Quia vero tunc proponi non potuit, deinde Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis, efflagitavit, ut præter dubium illud in memorato Folio benigne reſumendo, examini ſubiicerentur etiam alia tria, quæ dudum inter Patres concordata diſcuti debebant in Congregatione particulari a Sanctiſſimo ſuper Cathedraticis deputata, in qua jam pridem Cauſa iſta pendebat. Huic itaque petitioni cum annuendum eſſe videatur, partes erunt Eminentiarum VV. ex juribus utrinque circumferendis decidere.

I. An ſit detrahenda onus Miſſarum, cæteraque onera a Beneficiis a ſolutione Cathedratici in caſu &c.

II. An ab Eccleſiis habentibus redditus per Confraternitates adminiſtratos debeatur Cathedraticum in caſu &c.

III. An Cathedraticum ſit ſolvendum ab Eccleſiis Confraternitatum Laicalium non habentibus Beneficia Eccleſiaſtica in caſu &c.

IV. An debeatur Cathedraticum ab Eccleſia Sancti Petri in Caſtello in caſu &c.

Ad primum negative; Ad ſecundum, tertium, & quartnm affirmative,

Seſſ 24. c. 18. de ref.

ASTORICEN. VISITATIONIS SS. LIMINUM. Particula relationis ſtatus Eccleſiæ Aſtoricenſis ab Epiſcopo traſmiſſe, quæ cauſam dedit exquirendi oraculum Sacræ hujus Congregationis ſuper gravi re, de qua agitur, deſcripta fuit in Folio Congregationis *diei* 28. *Novembris* ſuperioris anni: Quia vero neque die illa, neque in ſequenti Congregatione diei 12. Decembris dubium infraſcriptum proponi potuit, ideo exorantur modo Eminentiæ VV. ſapienter edicere.

An, & quomodo ſit providendum in caſu &c

Dilata.

BAR-

BARCHINONEN. MATRIMONII. Contractis mense Julii 1731. Sponsalibus de futuro inter Josephum Bosons Notarium Civitatis Barchinonæ, & Eulaliam Gelambi filiam Ignatii Notarii Civitatis Tarraconæ, celebratum deinde inter alios fuit die 14. sequentis Octobris coram Parocho, & Testibus matrimonium per verba de præsenti, interveniente pro Josepho, qui asseruit causa infirmitatis ad Ecclesiam accedere non posse, ejus legitimo Procuratore Mauritio Corrons. *Sess. 24. c. 1. de ref. Matrim.*

Matrimonio ita contracto, Eulalia rediit ad Ædes, in quibus cum suis Genitoribus morabatur; At vero cum eadem nocte deberet ex condicto traduci ad domum Sponsi, renuit ad illam migrare, declarans nunquam se progressuram ad cohabitandum cum Josepho, nisi prius ipse aliam conduceret domum, in qua seorsim ab ejus Avia, & Materteris cum solo Sponso conviveret.

Noluit Joseph morem gerere Eulaliæ sese ab Avia, & Materteris sejungendo, cumque dissidium istud componi nequiverit, res tandem eo devenit, ut Eulalia in Patriam, nimirum in Civitatem Tarraconensem; una cum ejus Genitoribus regressa statim promoverit in Curia Archiepiscopali judicium pro obtinenda facultate continuandi cohabitationem cum propriis Parentibus; Cumque Decretum suæ petitione conforme obtinuerit, postmodum Joseph consentanee ad instantiam ab Eulalia promotam comparuit coram Ordinario Barchinonensi petens declarari nullum matrimonium prædictum, ut aliud libere contrahere posset.

Hoc ita instructo judicio, dum opportune probationes hinc inde conficiebantur, nomine Eulaliæ porrectus fuit Sanctissimo D. N. feliciter Regnanti supplex libellus, in quo, expositis plerisque ex circumstantiis præmissis, & ea potissime, quod ipsa non aliter matrimonium contrahere voluerit, quam subexpressa conditione, quod Joseph non deberet amplius cohabitare, cum ejus Avia, & Materteris, humillime petitur, ut Sanctitas Sua ad recidenda dissidia, quæ ob prosequutionem Causæ per tricas judiciarias in dies augerentur, declarare dignetur, matrimonium prædictum nullum esse, vel quatenus validum censeatur, benigne dispenset tamquam super matrimonio rato, & non consummato.

Ejusmodi precibus Sacræ huic Congregationi remissis, datæ fuerunt consuetæ literæ ad Ordinarium Barchinonensem, qui, transmisso cum examine Testium integro Processu in ejus Curia constructo, rescribit factum in supplici Eulaliæ libello narratum veritate niti, conditionem tamen, de qua agitur, ab Eulalia, aut asseritur, volitam, non fuisse expresse appositam in actu celebrationis ipsius Matrimonii, neque immediate antea, uti patet præcipue ex depositionibus duorum Testium, quod indicat: Censet vero, quod, ubi Matrimonium validum declaretur, quamplurima jurgia, ac perpetuum divortium inter ipsas Partes, nec non alia scandala, quæ verisimiliter oriri possunt, facile cessarent, si Sanctitas Sua super matrimonio rato, & non consummato dispensare dignaretur.

Jam vero ab utroque Conjuge modo contenditur vel Matrimonium validum non fuisse, vel urgentes adeo concurrere circumstantias, ob quas præstandum sit consilium Sanctissimo pro ejus dispensatione.

Asserit nimirum Eulalia, non aliter Matrimonium se voluisse contrahere nisi sub expressa conditione, quod Joseph Bosons seorsim ab

Avia, & Materteris in separato domo deinceps commoraretur; ob hanc vero conditionem utpote tunc temporis ignotam Josepho patet Matrimonium invalidum fuisse, cum mutuus Contrahentium consensus in ejus celebratione non intercesserit, dum Joseph meditans absolute cum Eulalia contrahere, si scivisset conditionatam mulieris voluntatem, consensum suum minime praestitisse.

Quod, si Matrimonium dicendum esset ab initio fuisse in statu, implicitae validitatis utpote contractum sub conditione, quae poterat successive adimpleri, adhuc propugnat fuisse resolutum, statim ac conditio praedicta numquam fuit adimpleta; subditque nihil officere, quod conditio non fuerit apposita, sive repetita in actu celebrationis Matrimonii, quia satis est, quod multis audientibus eam paulo ante luculenter expresserit: brevi enim temporis intervallo voluntas mutata non praesumitur.

Idem quoque ex alia ratione contendit Joseph, quia nimirum ejus Procurator ad stipulanda Capitula Matrimonialia, & deinde ad Matrimonium celebrandum constitutus mandati fines excesserit, subscribendo Capitula Matrimonialia diversis sub pactis ab illis, quae Constituens stipulari mandaverat cum clausula *non aliter*, *alias*, *nec alio modo*, proindeque ab hoc Procuratoris excessu Matrimonii nullitatem derivari.

Plura ad hujus rei decisionem videntur expendi debere: Primum, an ex depositionibus Testium circumferendis plene doceatur, Eulaliam nonnisi quam sub praemissa conditione voluisse Matrimonium contrahere. Secundum, an conditio hujusmodi tunc ignota Iosepho, quatenus probaretur volita ab Elulalia in actu ipso celebrationis Matrimonii nullum illud reddere potuerit. Tertium an praesumendus sit recessus ab asserta conditione ob eam in actu celebrationis coram Parocho, & Testibus non expressam. Quartum, an praefata conditio sit e numero illarum, quae habendae sunt pro non adjectis: Quintum, an, attenta indole conditionis, quae potest adhuc impleri, praetendi valeat Matrimonii dissolutio ob ejus implementum nondum secutum. Sextum denique, cujus momenti sit excessus mandati, de quo suum Procuratorem accusat Josephus, qui caeteroquin post celebratum Matrimonium paratus erat, Eulaliam uti uxorem in propria domo recipere.

Gloss. in cap. Tua nos in verbo mulierem haec habet: *Sed pone, quod aliquis protestatur coram pluribus, quod omnia, quae dicet, & faciet, non faciet animo contrahendi Matrimonium, & postea publice dicat, consentio in te, numquid est hoc Matrimonium, vel non; in casu isto dico, quod Ecclesia judicare debet pro Matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam: talia enim verba non possunt servire suae intentioni: praeterea si probet illa verba, protestatus fuit primo; potuit postea recedere ab illa voluntate, & consentire in illam, & hoc videtur per illud, quod postea publice facit, etsi dicat, quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate non creditur ei, quia contra eum docet fieri interpretatio, quia dolum adhibet*: Hoc assertum Glossae censent DD. vindicare sibi locum, quando potestatio emissa fuit ab altero ex Contrahentibus, vel conditio ab altero ex Contrahentibus apposita fuit, altero ignorante, uti cumulatis concordantibus, probat *Sanchez. de Matrim. lib. 2. disput. 45. a n. 13. ad 19.*

Quae

Quæ autem conditio vel irritet Matrimonium, vel ſuſpendat, ſive potius rejiciatur, pluribus differunt *Navarr. in 2. par. Decret. de ſeptem Sacram. Eccleſ. in genere cap.22. a num.61. ad plures ſequen. Sanchez de Matrim. lib.5.* ubi agit de conſenſu conditionato, *Pignatell. conſult. 136. tom.9. P. la Croix in Theolog. Moral. lib.6. par.3. de Matrim. num.247.*, & plures alii Canoniſtæ ſcribentes in *cap.3. de condit. appoſit.* Et hæc ſunt, quæ ad decernendum ſuper prætenſa Matrimonii diſpenſatione debeat exaudiri.

Quatenus vero pro ejus validitate pronunciandum ſit, locus erit diſcutiendi, an ſubalterna utriuſque Conjugis petitio pro ejuſdem Matrimonii diſpenſatione debeat exaudiri.

De Summi Pontificis poteſtate diſpenſandi ſuper Matrimonio rato, & non conſumato nefas hodie foret, quæſtionem movere. Id unum igitur ſuſcipiendum eſt, an illæ concurrant urgentiſſimæ cauſæ, quibus tantum intercedentibus, diſpenſationes hujuſmodi concedi debere cenſent plurique ex Conaniſtis in *cap. Ex publico de Converſ. Conjugat.*. *& ſignanter Hoſtienſ. ibidem ſub num.16. circa med. Anchara.*, *& Butrius in fin.*, *& Oldrad. inter. Conſ. Matrimonii conſ.11.*

Pro obtinenda petita diſpenſatione ob oculos ponuntur utriuſque Conjugis conſenſus, tum plurima jurgia, perpetuum divortium, atque ſcandala, quæ niſi illa obineatur, facillime ſunt oritura: Cæterum non agitur de nobilibus, & potentibus familiis, non concurrit diſparitas Conjugum, nonullus timor, ne diſcordiarum ſemina in publicæ tranquilitatis interverſionem erumpant; Et tandem appoſitæ conditionis implementum non eſt ſuapte natura impoſſibile, neque diſperandus aliquando ab ea receſſus.

His igitur una cum aliis juribus utrinque afferendis ſapienter de more ponderatis, dignabuntur EE. VV. decernere.

I. An Matrimonium ſit validum, *Et quatenus affirmative*.

II. An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro Diſpenſatione ſuper Matrimonio rato, & non conſummato in caſu &c.

Dilata, & proponatur dato Difenſore Matrimonii.

CONSTANTIEN. DISPENSATIONIS. Joannes Petrus Gueſnon ex Diœceſi Coſtantienſi Provinciæ Rothomagenſis ſuperiori anno Apoſtolicam diſpenſationem poſtulavit ſuper caſtitatis voto eo ductus fundamento, quod per vim, & metum ſibi incuſſum ab Henrico ejus Patre Sacrum Subdiaconatus Ordinem receperit. Sanctiſſimus vero exquiri hac de re juſſit ſuffragium hujus Sacræ Congregationis. *Seſs.22.c.5. de Ref.*

Precibus per Sammarium relatis, Sacra Congregatio die 18. Aprilis 1733. reſcripſit - *Epiſcopo pro informatione, & voto cum confectione, & tranſmiſſione Proceſſu*. Subinde autem, confecto Proceſſu cora, Vic. Generali, eoque tranſmiſſo una cum informatione Epiſcopi, die 6. Februarii currentis anni hoc itidem aliud edidit Reſcriptum: *Epiſcopo pro meliori informatione, ac præſertim cira ætatem Oratoris, & tempus ſuſcepti Subdiaconatus, & tempus mortis tam Patris, quam Fratrum, necnon a quonam Epiſcopo prædictum Sacrum Ordinem ſuſceperit*.

Ad hæc reſpondens Vicarius Generalis ait; primo Joannem Petrum in lucem prodiiſſe die 26. Auguſti 1703.; Secundo, cum Literis dimiſ-

soriis Episcopi Costantiensis ab Episcopo Ebroicensis Subdiaconatus Ordine initiatum fuisse die 20. Septembris 1727. ; Et tertio tandem, Henricum Oratoris Patrem mortuum esse die 8. Decembris 1731., ejusque Fratrem obiisse die 29. Augusti 1732.

His ita præhabitis easdem modo instaurat preces memoratus Joannes Petrus, & ad probandum metum, ob quem asserit Subdiaconatus Ordinem suscepisse, profert depositiones, quinque Testium, ex quibus primo constat, Henricum pluries protestatum fuisse, se nullam nequidem necessariam substentationem Joanni Petro ejus filio præstiturum, nisi Sacrum Subdiaconatus Ordinem suscepisset; secundo, reipsa, eidem alimenta denegasse eo animo, ut ad suscipiendos Sacros Ordines eum adigeret; Tertio eumdem Henricum subinde fassum fuisse, sibi admodum displicere, quod filius esset Subdiaconatus Ordine obstrictus; Et quarto demum, Joannem Petrum pluries protestatum, & conquestum fuisse, quod prorsus invitus, & ob sævitiam Patris subministrationem alimentorum sibi denegantis Ordinem Subdiaconatus acceperit.

Dispensatum aliquando fuisse a Summis Pontificibus cum Subdiaconis, ut Matrimonium contrahere possent, ex gravi tamen, & urgenti causa, pluribus in specie recensitis exemplis, tradunt, *Navarr. consult.* 37. *n.* 12. *lib.* 3. *& cons.* 38. *n.* 11. *P. Maurus in Theologia tom.* 3. *lib.* 13. *pag.* 289. *n.*16. *Card. Albitius de inconstantia in fide cap.*36. *n.*134. *Card. de Laurea in quarta senten. tom.*3. *disp.*9. *art.*9. §. 5. *n.* 204. & novissime *Ursaya Tom.* 2. *par.* 1. *discept.* 13. *n.*4. *& a n.*31. *ad* 36. Metum vero, seu coactionem conditionalem, seu causativam præstare Summo Pontifici justam causam dispensandi a voto continentiæ, quod est Sacro Ordini adnexum, probatur ex iis, quæ tradunt *Joann. Andr. in cap. Majores n. fin. de Baptism.* ibique *Abbas n.* 7. *Viesner. in Decretal. lib.* 4. *tit.* 6. *& Rot. cor. Cæsare de Graf. dec.* 1. *tit. de his, quæ vi, metusve causa fiunt in fin.* & cohærenter ad hæc, probato metu, Sacra hæc Congregatio consilium Sanctissimo pluries præstitit pro dispensatione, & signanter *in Ipren. dispensationis* 16. *Decembris* 1719. *& in Parisien. Dispensationis* 12. *Julii* 1721. ubi proposito hoc dubio: *An sit locus Dispensationi super voto continentiæ in casu &c.* Rescriptum fuit: *Affirmative* ut in *lib.* 71. *Decr. pag.* 246. *& in Namurcen. Dispensationis* 10. *Martii* 1731. ut in *lib.* 81. *Decr. pag.* 102.

At ponderandum superest, num Orator susceptionem Subdiaconatus, quam asserit quoad vinculum voti invalidam, utpote ex vi, & metu extortam, tacite postmodum ratificaverit.

Ad excludendam quippe tacitam ratificationem non docet, se, mortuo Patre, a quo asseritur incussus metus, illico reclamasse, nec satis constare videtur, quod numquam in suscepto Ordine ministraverit, seu aliquod subinde Ecclesiasticum Beneficium non fuerit assecutus; ex ejusmodi enim actibus tacitam ratificationem induci, probant *Hostien. in Cap. Majores num.* 38. *de Baptism.* ibique *Butr. n.* 9. *Joann. Andreas n.*17. *Boich. n.* 7. *Zabarell. num.* 1. *in fin. Fagnan. n.*114. *Rot. dec.* 40. *&* 325. *par.* 6. *rec. & dec.* 154. *n.*11. *par.* 14. & novissime Sacra Congregatio *in Hispalen. Nullitatis Ordinis Maii* 1716.

Omnibus itaque ponderatis, grave non erit Eminentiis VV. sapienti oraculo pronunciare.

At

An sit locus Dispensationi super voto continentiæ in casu &c.

Negative.

PACTEN. CONFRATERNITATIS. Ortis dissensionibus inter Confratres Societatis, sub Titulo S. Mariæ de Tindaride erectæ in Ecclesia S.Luciæ, quidam ex illis, prævio Ordinarii consensu novam construxere Ecclesiam duodecim tantum cannis a prædicta S. Luciæ distantem, in qua postmodum a Vicario Capitulari benedicta Societatem ipsam sub eodem Titulo S. Mariæ de Tindaride stabiliri curarunt. Reclamantibus vero cæteris Confratribus ad Congregationem Sacr. Rituum, datisque ab ea literis Ordinario *pro informatione*, & *Voto*, cum ejus tandem relatio pervenerit, Eminentissimus Pro Auditor Sanctissimi Causam Sacræ huic Congregationi definiendam remisit. *Seff.25.c.4. de ref.*

Punctus controversiæ versatur super asserta translatione Societatis ad novum Oratorium, quam Confratres permanentes in Ecclesia S. Luciæ, vel nullo modo, vel non legitime factam fuisse contendunt.

Inquiunt enim, Societatem sub Titulo præmisso S. Luciæ de Tindaride anno 1656. Episcopi authoritate fuisse erectam in Ecclesia S. Luciæ, neque doceri, quod, eadem Episcopali authoritate, intercedente, ea fuerit ad novum Oratorium translata, cum tamen pro ejusmodi translationibus ipsius Episcopi authoritas requiratur juxta Constit. Clementis VIII. inter ejus impressas *la* 115. & resoluta a Congregatione Sac. Rit. in una *Elboren.* 7. *Octob.* 1617. quam refert *Barbos. de Jur. Ecclesiast. lib.*2. *cap.*11. *n.*77.

Putant siquidem facultatem ab Episcopo datam nonnullis Confratribus die 21. Februarii 1728. construendi novum Oratorium non præseferre licentiam transferendi in illud Confraternitatem, ipse enim Episcopus die 4. Martii ejusdem anni decretum edidit, quo permittens, ut Confratres pro sui libito permanere possent in Ecclesia S. Luciæ declaravit, eos pristina anterioritate ibidem frui debere.

Cæterum, si translatio utcumque sequuta dici posset, adhuc eam oppugnant tamquam minus legitime factam, ideoque annulandam esse contendunt ex eo potissime, quod duæ Societates in eodem loco, & sub iisdem Titulo, & Instituto prohibentur a laudata Constitutione 115. Clementis VIII. uti sæpius declaravit eadem Congregatio Sac. Rit. præsertim *in Albinganen.* 11. *Novembris* 1641. *in Eugubina* 23. *Martii ejusdem anni*, *in Casalen.* 12. *Januarii* 1647. & *in aliis*, uti refert *Card. de Luca lib.* 3. *part.* 2. *de Præeminent. disc.* 10. *num.* 8.

Pro Confratribus assertæ Societatis in novo Oratorio constabilitæ nihil hactenus allatum est præter ea, quæ narrat Vicarius Capitularis in ejus relatione ad Congregationem Sac. Rit. data, quæ circumfertur.

Placeat itaque Eminentiis VV. definire.

I. An Congregatio S. Mariæ de Tindaride sit translata in novum Oratorium in casu &c. *Et quatenus Affirmative*.

II. An hujusmodi translatio fuerit legitime facta in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

RO-

Seſs.25. c.4. de Ref.

ROMANA CAPPELLANIÆ. In teſtamento conditio die 30. Octobris 1731. & ſub initium currentis, anni aperto Laura Muti Dotem Cappellaniæ mere Laicalis cum perpetuo onere Miſſæ quotidianæ per hæc verba reliquit: „ Di più, per ragione di legato „ laſciò la Dote di una Cappellania Laicale perpetua nella ſopra- „ detta Chieſa di S. Egidio in Traſtevere in qualche credito ſpettan- „ te alla mia Eredità di rendita annua di ſcudi ottanta taſſativa- „ mente col peſo di una Meſſa quotidiana perpetua per ſuffragio „ dell'anima mia, e per l'anima de' miei Deſcendenti, e loro Aſcen- „ denti „.

Poſtmodum vero univerſalem ejus Hæredem ita nominavit: „ In tutti „ poi, e ſingoli miei Beni &c. iſtituiſco, e colla propria bocca no- „ mino Erede univerſale il più proſſimo Maſchio della linea maſco- „ lina diretta effettiva deſcendente dal mio cariſſimo Genitore Pom- „ peo Muti, e perciò o mio Fratello, o mio Nepote dilettiſſimo „ all'ora, e quando ſarà entrato in Prelatura.

Et demum in Executorem hujus ſuæ poſtremæ voluntatis deputatus primo fuit Eminentiſſimus Corradini, deinde vero Eminentiſſimus Zondadari cum libera facultate „ D'interpretare, e dichiarare in qual- „ che parte dubbia tutta la ſopraſcritta diſpoſizione, e da tale di- „ chiarazione non poſſa reclamarſi „ ſunt verba Teſtamenti.

Defuncta mox Teſtatrice, exorta eſt controverſia, num ſcilicet dos prædictæ Cappellaniæ conſtitui valeat in quolibet hæreditario credito etiam cambiali annui redditus ſcutorum octuaginta, nulla habita ratione, quod dictum creditum ejuſdem redditus, cujus non eſt, impoſterum facile non ſit futurum. Hanc enim facultatem ſibi tributam fuiſſe contendunt Hæredes; tum, quia Teſtatrix in Dotem Cappellaniæ aſſignaverit in genere creditum aliquod hæreditarium dicti annui redditus ſcutorum octuaginta, nec eiſdem Hæredibus injunxerit onus in eodem annuo redditu, dictum creditum perpetuo conſervandi; tum etiam quia non agitur de annuo lega o ſcutorum octuaginta, quo fuerint gravati prædicti Hæ edes, ſed ſolum de aſſignatione alicujus ex creditis hæreditariis, ita ut, ea adimpleta, Hæredes ab omni ulteriori onere, ſeu periculo fiant immunes, tametſi habita etiam fuerit mentio de annuorum proventuum quantitate, *Card. de Luca de donat. diſc.52. n. 6. Gratian. diſcept. 620. n. 23. Rot. dec.62. n.29. par.11. & dec.433. coram Cerro in Romana ſupplementi, & applicationis 11. Junii 1731. cor. Eminentiſs. Aldrovando*, & conſentanee ad hæc ita reſolutum fuit a Sacra Congregatione *in Romana Supplementi*, *Concordiæ*, *& Reintegrationis die 28. Novembris 1733. ad primum Dubium*.

At adderſus hæc opponitur primo, quod ſicuti Teſtatrix voluit Cappellaniam perpetuam conſtitui, ita etiam voluerit, aſſignari pro ejuſdē Dote capitale, ſeu creditum perpetui annui redditus ſcutorum octuaginta, non autem creditum cambiale, quod utpote extinctioni obnoxium perpetui redditus dici non poteſt; ſecundo, quod ſi pro dote dictæ Cappellaniæ aſſignaretur creditum camb ale, uti contendunt Hæredes, facillime fruſtrari poterit voluntas Teſtatricis; ſecuta enim ſolutione, & reſpective extinctione dicti crediti cambialis, non amplius ex novo inveſtimento habebitur idem annuus redditus, ſed multo minor, proindeque minuendum erit onus Miſſæ quotidianæ; & tertio tandem, quia Teſtatrix, ubi ſermonem habuit de annuo reddi-

tu

tu Dotis assignandæ, sic inquit -- *di rendita annua di scudi ottanta tassativamente* -- hinc enim inferri posse videtur, quod ad annuum redditum perpetuo in ea summa duraturum principaliter respexerit.

Cum itaque præsens controversia, annuente Eminentissimo Zondadario, qui solerter æque, ac provide suscepto Exequutoris Testamentarii muneri summo omnium interesse habentium beneficio, incumbit, Sacræ hujus Congregationis oraculo dirimi postuletur, ab Eminentiis VV. definiendum proponitur.

An, & quomodo sit constituenda Dos Cappellaniæ, de qua agitur in casu &c.

PORTUCALEN. Sacræ huic Congregationi remissa fuit supplicatio Sanctissimo porrecta a Confratribus Misericordiæ administratoribus Hospitalis Portucalen., in qua exponentens iidem Administratores, quod plurimi in dicto Hospitali infirmi tam indigenæ, quam exteri recipiuntur, pluresque itidem Peregrini, quibus omnibus tum pharmaca, tum alia quæque ad victum necessaria subministrantur, quodque piis hisce operibus peragendis reddditus Hospitalis impares existunt, a Sanctitate Sua postularunt, ut Hospitali prædicto applicare dignaretur *Legata pia in Civitate, & Diœcesi Portucalen. a Testatoribus relicta, & imposterum relinquenda, quæ tempore in eis præfixo, & limitato executioni demandata non existunt, seu existent, dummodo Legata pia prædicta certis personis relicta non fuerint, & per quævis pia opera, quæ in illo fiunt, piis illis operibus, quæ Testatores in suis Testamentis exequi mandarunt, seu mandabunt, satisfactum censeatur.* *Sess. 25. cap. 8. de Ref.*

Vicarius Capitularis de more requisitus in suis ad hanc S. Congregationem transmissis literis exposita in supplicatione confirmans rescripsit. se pium censere, ut in eadem forma gratiæ concessæ Hospitali S. Marci Civitatis Bracarensis a san. mem. Clem. XI. *anno* 1713., & similiter gratiæ concessæ Regali omnium Sanctorum Hospitali Ulixbonensis Urbis a san. mem. Clem. VIII. *anno* 1598. ex legatis, aliisque piis operibus non satisfactis intra terminum a Testatoribus præfixum, eadem gratia indulgeretur Hospitali Oratorum, ut per totam Diœcesim Portucalensem coram Judicibus prædictam executionem, & applicationem ad prædictum Hospitale postulare possint.

Hac habita relatione, demandatum fuit, ut exhiberetur copia Brevium enunciatorum, quibus nuper exhibitis, preces hodie renovant Administratores pro concessione petiti Indulti.

Ex Brevi Clementis VIII. habetur, gratiam applicationis legatorum piorum, quæ intra tempus præfixum non remanserint exequuta, concessam pridem fuisse Hospitali Ulixbonensi a Paulo III. *ita tamen, quod concessio hujusmodi ad solam Civitatem Ulixbonensem, & illius Districtum, non vero ad alias Diœceses, seu loca extenderetur*: Hanc autem gratiam ipse Clemens VIII. ad totam Diœcesim extendit ea præcipue de causa, quod tunc multo copiosior Infirmorum numerus in dicto Hospitali reciperetur.

Breve san. mem. Clementis XI. pro Hospitali Bracarensi concessum eamdem ferme præsefert gratiam, quam hodie postulant Administratores Hospitalis Portucalensis.

At vero cum præter mox dicta Brevia enunciata in relatione Ordinarii Portucalensis exhibitum quoque fuerit aliud consimile Indultum a san.

mem. Clemente XI. concessum Hospitali Regio nuncupato Spiritus Sancti Civitatis Elboren. non absre erit, Eminentissimis PP. exponere, quod cum plures insurrexissent quæstiones circa ejusdem Brevis exequutionem inter Priores, & Beneficiatos Ecclesiarum dictæ Civitatis, & Diœcesis Elborensis, ac Administratores dict Hospitalis; remissa istarum decisione huic Sac. Congregationi, die 3. Septembris 1718. ejus jura circumferente etiam Procuratore Fiscali generali R. Fabricæ, proposita fuerunt tria infrascripta Dubia -- I. An legata Missarum tam perpetuarum, quam manualium comprehendantur in indulto, seu Brevi, de quo agitur, in casu &c. II. An & qui terminus ultra designatum a Testatoribus sit præfigendus Hæredibus, aut Executoribus Testamentariis, antequam Legata pia non adimpleta applicentur Hospitali Expositorum Elboræ in causa &c. III. An, & quomodo sit consulendum SS. D. N. pro moderatione Brevis, seu Indulti, de quo agitur in casu &c.

Ad primum Sacra Congregatio distulit resolutionem: Ad secundum *censuit esse assignandum terminum trium annorum decurrendorum a die, quo Hospitale interpellaverit Hæredes pro adimplemento in Curia Episcopali*, Ad tertium -- *Censuit Breve non comprehendere legata pia relicta certis personis, & locis, nec minus legata, pro quibus obtenta fuerunt, aut obtinebuntur compositiones a R. Fabrica S. Petri, & exprimendum esse etiam Hospitale non posse facere vigore Brevis compositiones, seu condonationes cum debitoribus, & quod Brevis executio ad solum Episcopum pertinere debeat.*

Repropofita Causa *die* 21. *Januarii* 1719. Ad primum ex relatis Dubiis Sacra Congregatio respondit -- *Affirmative*, *censuitque*, *si Sanctissimo D. N. placuerit*, *instituendam esse perpetuam Cappellaniam cum onere celebrandi*, *& applicandi quotidie pro animabus eorum*, *qui legata Missarum applicandarum vigore indulti reliquerunt*, *supplendo de Thesauro Ecclesiæ*. Factaque proinde per D. Secretarium relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua benigne annuit, ac Sacræ Congregationis Sententiam approbavit *die* 1. *Febr.* 1719. Quo vero ad dicta alia duo Dubia Sacra Congregatio confirmavit memoratas Resolutiones editas sub d. *die* 3. *Septembris* 1718. decernendo tamen circa tertium ex illis, quod dicti Brevis exequutio ad solum Archiepiscopum pertinere deberet cum facultate exequendi etiam per suos Delegatos.

His itaque perspectis, placeat Eminentiis VV. deliberare.

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti in casu &c.

Sess. 24. cap. 12. de Ref.

COLONIEN. INDULTI Eleonora, & Francisca Sorores de Manderscheidt Blankenkeim, quarum altera est Abbatissa in Elten., altera vero in Ureden., superiori anno Sacræ huic Congregationi exposuerunt, sese duos obtinere Canonicatus in Collegiata Ecclesia utriusque sexus ad Sanctam Ursulam intra Coloniam; seque ob habituales indispositiones, necnon ingravescentem ætatem non posse quadrimestri servitio, quod dictæ earum Ecclesiæ præstare tenentur incumbere, nec itidem ascendere ad Chorum superiorem, cujus aditus difficilis admodum asseritur.

His autem expositis, duo postularunt; primo, ut Sacra Congregatio sibi impertiretur Indultum lucrandi tam fructus Præbendales, quam distributiones quotidianas eo tempore, quo ægra valetudine utuntur

secun-

ſecundo, ut eas eximeret ab onere aſcendendi ad Chorum ſuperiorem, cum de cætero ſeſe paratas exhibeant, ceſſante infirmitate, Divinis Officiis intereſſe in Choro inferiori. At, precibus per ſummarium relatis, reſcriptum fuit -- *Officiali pro informatione, & voto auditis Canonicis*.

Vicarius Generalis putans in omnibus eſſe annuendum, reſcripſit *quod ambæ antefactæ Dominæ ex ingraveſcente ætate præter teneram naturalem complexionem, frequentiſſima corporis infirmitate teneantur, proindeque reſidentiam quatuor menſium, quam in d. Eccleſia ſingulis annis una cum diligenti frequentatione Chori juxta ſtatuta, & obſervantiam explère debent, nonniſi ægre admodum abſolvere valeant*, ſubindeque affirmat, *quod gradus, quibus ad Chorum aſcenditur, ſint tam præcipites, ut vere putet antefactas Dominas eoſdem ſine maximo incommodo conſcendere non poſſe*.

Oratrices, de quarum infirmitate prætenditur ſatis conſtare tum ex relatione Vicarii Generalis, tum ex teſtimonio Medicorum, petitionem ſuam fulciri cenſent Reſcripto Honorii II. relato *in Cap. ad Audientiam de Cleric. non reſiden.*, & Bonifacii VIII. *in Cap. unic. eodem tit. in 6.*, qui poſt conſtitutam regulam, quæ a fructibus, & diſtributionibns quotidianis percipiendis arcet eos, qui non reſideant, & Divinis Officiis non interſint, excipiuntur tamen illi, *quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas exſcuſaret*.

Favere itidem videtur earum inſtantiæ praxis Sacræ Congregationis, quæ ſimilia Indulta paſſim elargiri conſuevit Canonicis, qui ob infirmitatis impedimentum Divinis nequeunt intereſſe, ut conſtat ex Reſcriptis editis *in Mediolanen. Diſtributionum* 4. *Feb.* 1731. *& noviſſime in ſpecie hujuſmodi caſus in Tullen., ſeu Nullius* 12. *Julii* 1721., ubi Annæ Agneti Comitiſſæ de Cleron, & Canoniſſæ Inſignis, & ſæcularis Abbatiæ S. Petri Romaricomontis, cui ob ægram valetudinem datum non erat Divinis intereſſe, conceſſum fuit Indultum lucrandi, durante infirmitate, fructus omnes, tam certos, quam incertos, & diſtributiones quotidianas, ut *in lib.* 71. *Decret. pag.* 262.

At Canonici, quos audiri juſſit Sacra Congregatio, petito Indulto contradictores ſeſe præbentes plura opponunt. Primo, quod Oratrices quantumvis ſæpius monitæ pluribus ab hinc annis reſidentiam, & Eccleſiæ ſervitium neglexerint; & tamen certum eſt Canonicos infirmos nullo potiri jure lucrandi diſtributiones quotidianas, ſi antea non conſueverint Divinis Officiis intereſſe, ad tradita per *Gemin. in cit. cap. unic.* §. *Qui vero, de Cleric. non reſident. in 6. num.* 4.. *Barboſ. ad Concil. Seſſ.* 24. *Cap.* 12. *n.*96. & ita reſolutum fuit a Sacra Congregatione *in Mantuana* 6. *Februarii* 1627. *lib.* 13. *Decr. p.* 197. *& in Aſculana* 5. *Junii* 1706. in qua propoſito Dubio -- *An diſtributiones quotidianæ debeantur Canonico infirmo, ſi alias ſanus non eſſet ſolitus reſidere* -- reſponſum fuit -- *negative*, ut in *lib.* 59. *Decr. pag.* 149.

Secundo, quod vel ſatis non conſtet de infirma earum valetudine ex allato Medicorum teſtimonio; ajunt enim Medicos illius regionis facile admodum ſimilia teſtimonia proferre, vel quod aſſerta infirmitas talis non ſit, qualem ad hunc effectum eſſe debere, declarant Doctores *in Cap. unic. de Cleric. non reſiden. in 6. Moneta de diſtribution-*

quotidian. quæst. 6. n. 16. Barbos. ad Conc. Sess. 24. Cap. 12. de Refor. n. 89., & seqq.

Et tertio tandem impugnant, quod aditus ad Chorum superiorem sit difficilis, uti asseritur, putantque proinde Oratricibus tribuendam non esse exemptionem ab onere ascendendi una cum aliis ad prædictum Chorum ne aliqua ex parte cultum Divinum minui contingat.

Erit igitur deliberandum.

An, & quomodo concedendum sit Indultum in casu &c.

Die Sabbati 5. Junii 1734



UM quatuor sequentes Causæ in antecedenti Congregatione, die 22. mox elapsi mensis ob temporis angustiam proponi nequiverint dignabuntur Eminentissimii PP. reassumpto Folio tunc distributo, eas in hodierno Confessu definire.

Sess. 22. cap. 9. de ref.

PACTEN. CONFRATERNITATIS.

I. An Congregatio S. Mariæ de Tindaride sit translata in novum Oratorium in casu &c. *Et quatenus negative.*

II. An hujusmodi translatio fuerit legitime facta in casu &c.

Affirmative ad utrumque, & amplius.

Sess. 25. cap. 4. de ref.

ROMANA CAPPELLANIÆ.

An, & quomodo sit constituenda Dos Cappellaniæ, de qua agitur in casu &c.

Dilata, & exhibeatur Inventarium.

Sess. 25. cap. 8. de ref.

PORTUCALEN.

An sit Consulendum Sanctissimo pro concessione petiti Indulti in casu &c.

Dilata, & ad Mentem.

Sess. 25. cap. 12. de ref.

COLONIEN. INDULTI.

An, & quomodo concedendum sit Indultum in casu &c.

Pro gratia juxta Votum D. Secretarii.

Sess. 21. cap. 4. de ref.

CASSANEN. PRÆEMINENTIARUM. Causa hæc primum descripta fuit in Folio Congregationis diei 17. Aprilis nuper elapsi, iterumque relata in altero distributo pro Congregatione diei 8. subsecu-

ti Mensis Maii; Cum autem utraque vice Clerus S. Mariæ Magdalenæ obtinuerit ipsius resolutionem diferri, quia relatio Episcopi Cassanensis ab hoc Sacro Senatu requisita nondum advenerat, ea tandem hodie superventa, ac una simul cum juribus utrinque congestis circumferenda, respondere oportet.

I. An constet de Matricitate, seu Præeminentia cum titulo Archipresbyterali Ecclesiæ S. Petri Terræ Murani respectu etiam Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ ejusdem loci, seu potius contra constet de Matricitate, seu Majoritate dictæ Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ.

II. An, si utraque Ecclesia erigatur in Collegiatam, illa, quæ fuerit declarata Matrix, seu Major retinere debeat præcedentias, & prærogativas quoad omnes alias Ecclesias dictæ Terræ.

III, An ubi constiterit de unius, vel alterius Ecclesiæ Matricitate, licitum sit Clero S. Mariæ Magdalenæ recedere a concordia statuta anno 1666., itaut Processiones fieri possint separatim in casu &c.

Ad primum Affirmative ad primam partem, & Negative ad secundam. Ad secundum Affirmative. Ad tertium Negative, , & ad D. Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem. *Sess. 25. cap. 22. de ref.*

PAMPILONEN., ET BARBASTREN. DECIMARUM. Proposito die 8. Maii proxime præteriti infrascripto Dubio dignatæ sunt Eminentiæ VV., annuendo precibus utriusque Monasterii de *Iranzù*, *& de Marcilla* Ordinis Cisterciensis, ejus resolutionem ad hanc usque diem protrahere. Nunc igitur, benigne reassumpto Folio tunc distributo, ac perpensis rationum momentis pro utraque parte deducendis, non gravabuntur sapientissime de more pronunciare.

An decimæ, & primitiæ debeantur ex bonis concessis in Emphyteusim, locationem, & ad coloniam in casu &c.

Affirmative, & amplius.

Sess. 25. cap. 13. de ref.

TUSCULANA FUNERUM. Occasione obitus Margaritæ Cerlui, quæ defuncta in Civitate Tusculana, tumulari voluit in Ecclesia Patrum Reformatorum S. Francisci sita extra Mœnia ejusdem Civitatis, multiplex inter eosdem PP., & Archipresbyterum simulque Parochum Ecclesiæ Cathedralis orta est controversia, pro cujus definitione conventum fuerat inter Partes, ut quinque dubia inferius describenda disputarentur. At vero cum in Congregatione habita die 22. Novembris 1732. in cujus Folio relata fuerant, proponi minime potuerint, deinde diebus 6., & 12. Decembris ejusdem anni, sub spe concordiæ inter Partes ineundæ, ipsorum resolutio suspensa remanserit, hodie tandem, memorato concordiæ tractatu in irritum cesso, exorantur Eminentiæ VV., reassumpto Folio dicta die 22. Novembris 1732. distributo, prout juris erit decidere,

I. An PP. Reformati, in quorum Ecclesia defunctus elegerit sepulturam, possint ducere funus, & cadaver asportare sine consensu & præsentia, vel Archipresbyteri, vel Canonici Coadiutoris actualem curam exercentium, eorumdemque interventu? *Et quatenus negative.*

II. An

II. An postquam dicti Patres per aliquod temporis spatium expectaverint Archipresbyterum, vel illius Coadjutorem, possint absque iisdem asportare Cadaver ad eorum Ecclesiam.

III. An in associatione Cadaverum ad Ecclesiam Patrum Reformatorum sint ab hæredibus Defuncti, præter Archipresbyterum, sive ejus Coadjutorem, invitandi tot Sacerdotes Seculares, quot Religiosi,

IV. An Parochus possit, ratione itineris faciendi extra mænia Civitatis ad Ecclesiam dictorum Patrum. exigere, ultra quartam, duplum illius eleemosynæ, quæ daretur, si Cadaver esset sepeliendum intra Civitatem? *Et quatenus negative*.

V. An idem servandum sit in tumulatione, tam Civium, quam Exterorum in casu &c.

Non proposita.

Sess. 24. cap. 12 de ref., & Sess. 25. c. 6. de ref.

ORIOLEN. DECRETORUM, In Folio Congregationis habitæ die 9. Januarii currentis anni summatim exposita fuit facti series, atque ex decem Dubiis tunc propositis, quoad novem prodiit resolutio die 23. ejusdem mensis. Ad decimum vero dubium ita conceptum-- *An sustineatur trigesimumtertium Decretum mandans, quod in actibus, & functionibus, in quibus per antecedentia Decreta cautum est, præsidere debere Curatos, isti possint etiam imponere multam, quæ tamen non excedat unum Regale in casu &c.* rescriptum fuit -- *Dilata*.

Cum itaque examen ejusdem dubii modo redintegretur, Curati Hebdomadarii Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai Civitatis Alone, vulgo *Alicante*, ad sustinendam controversam validitatem Decreti trigesimi tertii ab Episcopo editi, hæc in facto exponunt.

Primo. quod Episcopus in Decreto quinto ab hac Sacra Congregatione confirmato in anteacta Causæ propositione facultatem eisdem tribuerit statuendi horam, sonitum Campanarum, atque cætera omnia disponendi pro celebratione funerum tam generalium, quam particularium ad eos privative spectantium. Secundo, quod idem Episcopus in Decreto vigesimo primo itidem approbato ab hac S. Congregatione statuerit, d. Curatos tam in eorum Cappellis sitis in d. Collegiata Ecclesia, quam in omnibus Ecclesiis, seu Oratoriis intra limites d. Collegiatæ, simulque Parochialis Ecclesiæ existentibus celebrare posse Missas, omniaque Parochialia munera absolvere independenter a Capitulo. Et demum, quod ab Episcopo in controverso Decreto trigesimo tertio ita cautum fuerit „ Item, che negl' atti, e „ funzioni, ne' quali di sopra si dice, che devono presiedere, e governare li Curati, possino questi multare sino alla quantità di un reale.

In jure autem hæc duo potissimum proferunt, Primo, quod sicuti Capitulum potest Canonicos, cæterosque Ecclesiæ servitio addictos in eorum munere delinquentes per modum fraternæ correctionis multare, mediante fructuum, seu distributionum subtractione, aut alia levi pœna juxta *Textum in Cap. Quanto, & in Cap. Irrefragabili de offic. Ordinar.*, & late tradunt *Scarfant. in animadvers. ad lucubr. Canon. Ceccoperii lib. 1. tit. 3. n. 39. & seqq. Piton. Discep. Eccl. 60. tom. 3.*, *& Rot. in Illerdent Juris multandi super negotio prin-*

cipali

cipali 23. *Januarii* 1702. *per totam cor. Muto*, *& in Leodien. Juris multandi* 9. *Januarii* 1728. *cor. Crescentio*; ita haud impari ratione sibi jus esse debeat, multam, quæ unum Regale non excedat, imponere adversus eos, qui juxta eorum munus, aut non intersunt, aut negligunt rite peragere Ecclesiasticas functiones, quibus ipsi præsident, ut notat *Pignatell. consult.* 131. *n.* 6. *tom.* 1.

Secundo, quod Episcopus in dicto decreto trigesimotertio, pro recto exercitio functionum ad eosdem Curatos Hebdomadarios privative spectantium, illis commiserit eam facultatem, quam ipse habet multandi eos, qui functiones Ecclesiasticas vel omnino negligunt, vel rite eas peragere non satagunt, quemadmodum satis aperte colligitur ex iis, quæ sancivit Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess.* 25. *de ref. cap.* 6. *vers. Episcopis*, & conferunt Resolutiones Sacræ hujus Congregationis *in Calaritana* 2. *Decembris* 1645. ubi ad III. Dubium ita conceptum -- *An ad Archiepiscopum spectet multare Canonicos*, *& Beneficiatos ejusdem Ecclesiæ delinquentes*, *& illos privare distributionibus quotidianis* -- respondit *Ad Archiepiscopum spectare*, *& in alia Calaritana*, *die* 20. *Decembris* 1633. proposito dubio -- *An Archiepiscopus, si non existat in Choro, multare possit* -- rescripsit -- *Archiepiscopum etiam non existentem in Choro multare posse*, *necnon deputare* Punctatorem, -- *ut in lib.* 19. *Decr. pag.* 295.

Hanc vero facultatem posse Episcopum delegare præsertim in actibus, & functionibus, in quibus ipse personaliter, & per se ipsum interesse non potest, tradunt adducti per *Gratian. Discept. foren.* c. 289. *n.* 74. *in fin. Piton. Discept. Eccles.* 62. *n.* 2. *in fin.*

Capitulum dictæ Collegiatæ Ecclesiæ adversus hæc in anteacta Causæ propositione opponebat, quod ad se, ejusque Præsidentem privative pertineret jus multandi omnes, & singulos, in quibuscunque functionibus, proindeque in ejus præjudicium non posset idem jus reservari prædictis Curatis Hebdomadariis, Verum cum ad septimum dubium hisce verbis expressum -- *An sustineatur vigesimum octavum Decretum statuens*, *quod Capitulum non possit multare Curatos ob defectus commissos in functionibus Parochialibus*, *sed tantum ob illos quos commiserint circa servitium Chori*, *& circa officia*, *quibus Capitulum assistit*, *& præsidet* -- rescriptum fuit -- *Affirmative*, -- nec nova jura pro eodem Capitulo hactenus fuerint allata, dispiciendum nunc superest, quibus rationum momentis jura sua Capitulum tueatur.

Cæterum non videtur prætermittendum, quod asserta multa, quatenus licita judicetur, cedere non deberet in particulare commodum eorum, qui illam imponunt, sed ad tollendam avaritiæ suspicionem, vel in communem utilitatem, vel in Ecclesiæ beneficium eroganda foret, juxta ea, quæ cavit *Innocentius III. in Cap. Irrefragabili* §. *provideant de Offic. Ordinar.* ibi: *Provideant itaque diligenter Ecclesiarum Prælati*, *ut hoc salutare statutum ad quæstum pecuniæ*, *vel gravamen aliud non convertant*, & notant Scribentes in *Cap. Cum omnes de Constit. Boich. in cit. Cap. Irrefragabili* §. *Provideant. n.* 1. *& seqq.* ibique *Felyn. n.* 9. *& Hostien. n.* 19. *& seq.*

His itaque perspectis, partes erunt Eminentiarum VV. decidere.

An sustineatur trigesimum tertium Decretum mandans, *quod in actibus*, *& functionibus*, *in quibus per antecedentia Decreta cautum est præ-*

est præsidere debere Curatos, isti possint etiam imponere multam, quæ tamen non excedat unum Regale in casu &c.

Affirmative, ita tamen, ut multa erogetur in usus pios, & amplius.

Sess.24. c.11. de ref.

ANGLONEN. EXEMPTIONIS. Sacerdos Joannes Baptista de Luca accusatus in Curia Episcopali Anglonæ, quod Vitricum suum è manibus armatæ Familiæ Regii Delegati violenter exemerit, cum citatus fuisset ad informandam eamdem Curiam, loco se præsentandi, usus est monitorio expedito in Tribunali Nunciaturæ Neapolis vigore Literarum Patentium Curiæ Abbatialis S. Antonii Viennensis, quarum vigore se ab omni jurisdictione Episcopi prætendit exemptum. Indeque orta est occasio disputandi dubium in calce præsentis Restrictus apponendum.

Episcopus Anglonensis putat sibi adeo favere bina Sacræ hujus Congregationis Decreta jamdudum in Causa *Teanen. & Casertana prætensæ exemptionis* 20. Decembris 1664. & in *Neapolitana jurisdictionis* 1. Decembris 1668. edita, ut ad præsentem controversiam penitus dirimendam nihil amplius necesse sit, quam ea Decreta proferre. In prima siquidem Causa proposito dubio: *An literæ D. Abbatis ita suffragentur, ut eas obtinentes a sui Ordinarii jurisdictione exempti censendi sint*: responsum fuit: *Non suffragari*, ut ex lib. 24. Decr. fol. 372. In altera vero, discusso consimili dubio: *An Clerici Regulares, seu Presbyteri Seculares, qui obtinent ab Abbate Commendatario S. Antonii Viennensis nuncupati Civitatis Neapolis, literas patentes, seu Commissionales, ipsarum literarum vigore ab Ordinarii jurisdictione sint exempti*: Rescriptum prodiit: *negative* ut in lib. 26. Decr. fol. 129. ter.

Addit præterea, magnificatam amplitudinem Privilegiorum, quæ a Summis Pontificibus afferuntur præfatæ Abbatiæ concessa, eo usque protrahi non posse, ut inducta ab eis dicenda sit favore quorumcumque habentium aliquam Beneficii provisionem ab Abbate Commendatario, sive ullum ejus familiaritatis titulum, exemptio a jurisdictione Ordinarii: Tum quia Privilegia loquantur dumtaxat de ipsismet Religiosis Hospitalium servitio addictis, vel intra Religiosorum septa, & Domos residentibus: Tum quia, si eorum verba trahi possent ad latiorem comprehensionem quorumcumque Secularium, licet Hospitalibus Religionis actu non inservientium, neque intra illius Claustra commorantium, adhuc attendenda non essent, tanquam literaliter abrogata a Sacro Concilio Tridentino *Sess.*3. *cap.*3. *Sess.*14. *cap.*4. *& Sess.* 24. *cap.* 10. *de reform.* Præsertim vero, dum in Bulla Sa. Mem. Urbani VIII. approbativa Constitutionum Congregationis Reformatæ S. Antonii Viennensis incipiente *Sacri Apostolatus ministerio* sub datum die 8. Aprilis 1634. adjecta legitur clausula: *Dummodo Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, & Constitutionibus Apostolicis non sint contrariæ*, & consone ad id rescripsit Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium die 3. Augusti 1725. demandando, *ut serventur enunciatæ Constitutiones Summorum Pontificum, dummodo dispositioni Sac. Concilii Tridentini non adversentur.*

Eoque

Eoque magis censet Episcopus contra prætensam exemptionem Beneficiatorum, & Familiarium cum literis Patentibus Abbatis pronunciandum esse ob ingentem illorum numerum, ex quo gravissima Episcopalis jurisdictionis perturbatio excitaretur: Idque non levis momenti esse pro coercendis hujusmodi exemptionibus putavit idemmet Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *Cap.* 11. *de Reform.* inquiens, *Privilegia, & exemptiones, quæ, variis titulis, plerisque conceduntur, perturbationem in Episcoporum jurisdictionem excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur.*

Contra vero pro Curia Eminentissimi Abbatis Commendatarii, præter Constitutiones Bonifacii VIII. Joannis XXII. Martini V. Sixti IV. Calixti III. Alexandri IV. Clementis VII. Leonis X., & Pauli III. Præceptoriam generalem S. Antonii Viennensis Apostolicæ Sedi immediate subjectam declarantes, eamque cum omnibus Beneficiatis, suisque Ministris amplissimo exemptionis privilegio communientes, affertur Breve S. Mem. Urbani VIII. editum die 14. Novembris 1615. quod omnia prædicta Privilegia confirmat, & Nuncios Apostolicos in Regno Neapolitano pro tempore degentes eorum perpetuos Conservatores constituit.

Ad hæc prætenditur accedere immemorabilis consuetudo inhibendi Ordinariis localibus, ne molestiam inferant ullam Beneficiatis, aliisque Ministris Abbatiæ, utpote immediate subjectis Præceptori generali, qui contra illos usque ad Sententiam definitivam procedere semper consueverit.


Et tandem jura Abbatis, tum respectu pacificæ possessionis conferendi Beneficia sub titulo S. Antonii Viennensis ubique locorum existentia, tum respectu privativæ jurisdictionis ab eodem Abbate in Beneficiatos prædictos semper exercitæ, asseruntur ab hac Sac. Congregatione non semel fuisse approbata.

Restat igitur, ut Eminentiæ VV. respondere dignentur.

An Provisio ab Eminentissimo Domino Abbate Generali Commendatario de Ecclesiis, Cappellis, Oratoriis, Beneficiis, & Hospitalibus, sub invocatione Sancti Antonii Viennensis sint exempti a jurisdictione Ordinarii Anglonensis in casu &c.

Dilata ad sequentem.

Die Sabbathi 3. Julii 1734.



EAPOLITANA, SEU PUTEOLANA MATRIMONII. Maria Archangela Vulcano Patritia Neapolitana post obitum Gasparis de Ametrano Ducis Sancti Donati ejus viri, cum quo quatuor circiter annorum spatio degerat in Oppido Rugiani Diœcesis S. Marci, obtentis ab illa Episcopali Cu-

Curia literis testimonialibus de libero ejus statu, nec non quadam licentia, seu assensu Parochi ejusdem loci Rugiani hisce verbis expresso ,, Mi contento io sottoscritto &c. che la Signora Duchessa ,, Donna Maria Archangela &c. dovendo partire da questa Patria ,, per andare ad abitare altrove, possa contrarre legitimo Matrimo-,, nio con chiunque persona a jure non proibita, *prævia licentia, & ,, approbatione* dell' Ordinario, dovunque li verrà più commodo, ,, e permesso, che a detto Matrimonio vi assista un Paroco destinato ,, da detto Ordinario ,, Neapolim versùs iter aggressa animo contrahendi Matrimonium cum Michaele de Aulisio Cive Neapolitano, illuc appulit die 4. Februarii 1733. ibique in Domo præfati Michaelis posita intra fines Parochiæ S. Annæ de Palatio consedit.

Sequenti vero die 5. ejusdem mensis Februarii, cum summo mane requisitus fuisset Parochus dictæ Ecclesiæ S. Annæ, ut Matrimonio inter Michaelem, & Mariam Archangelam contrahendo assisteret, respondit ille, se nequire absque licentia Curiæ Archiepiscopalis: quo responso accepto, præfati Michael, & Maria Archangela eademmet die ad Civitatem Puteolanam commigrarunt, ibique in Ecclesiam S. Andreæ, in quam sese receperant, accersito Vicario Capitulari, eidemque exhibitis literis testimonialibus de libero amborum statu, necnon memorato consensu Parochi Rugiani institerunt pro facultate Matrimonium celebrandi. Sed Vicarius Capitularis advertens, literas testimoniales status liberi Michaelis expeditas fuisse a Curia Archiepiscopali Neapolitana usque a die 22. Decembris præcedentis anni 1732 illas vero status liberi Mariæ Archangelæ expeditas a Curia Episcopali S. Marci non esse legalitate fulcitas, curam suscepit utrique difficultati reparandi, Nuncio ad Vicarium Generalem Curiæ Metropolitanæ Neapolim apposite misso.

Hinc autem, expleta legalitate super literis testimonialibus Mariæ Archangelæ, datoque responso, nullum post expeditas literas Michaelis in ea Archiepiscopali Curia impedimentum obvenisse, monuit Vicarium Puteolanum, quod ad effectum contrahendi Matrimonium in ea Diœcesi, constare deberet nedum de ulteriori tempore status liberi Michaelis, verum etiam de consensu proprii Parochi alterius ex Contrahentibus; idque fuit in causa, ut idem Vicarius Puteolanus illico Sponsis patefecerit, se petitam licentiam Matrimonii contrahendi concedere non posse.

At vero, commorantibus adhuc Maria Archangela, & Michaele in præfata Ecclesia S. Andreæ, supervenere quidam Justitiæ Ministri, ut Michaelem a Maria Archangela diverterent, quod quidem dum Vicarius Capitularis eidem Mulieri exponebat, ista *Vicarium alloquens pluries verba protulit, se nolle ab eodem loco discedere, nisi Matrimonio prius inito, dicens: Don Michele voglio per mio Marito, e contra vero Michael similia verba Capitaneis, & Scribis ordinem sibi increpantibus &c. expressit, affirmans, se nolle ordinibus parere, & ab ea Ecclesia discedere, nisi Matrimonio contracto, dicens: voglio la Signora Maria Archangela per mia Moglie*: ut hiscemet verbis seriem facti retulit Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus in ejus Epistola, cui consonant binæ Relationes ad hanc Sac. Congregationem a Nuntio Apostolico, & Episcopo Puteolano transmissæ.

Post hæc Maria Archangela seorsim a Michaele Neapolim reversa, pau-

paucos post dies edocta de impari Michaelis conditione patenter obstitit conatibus assertum Matrimonium auctoritate hujus Sacræ Congregationis validum declarari curantis: unde factum est, ut eadem Sacra Congregatio, cui preces utrinque delatæ fuerant, die 28. Martii 1733. rescripserit: *Ordinarius Puteolanus conficiat Processum, & transmittat, præfixo Partibus termino ad deducenda jura sua in Sacra Congregatione, necnon audiantur Eminentissimus Archiepiscopus Neapolitanus, & Episcopus S. Marci*. Sed postmodum ob quasdam exceptiones contra Vicarium Capitularem Puteolanum oppositas rescriptum fuit die 29. Augusti ejusdem anni: *Nuncio Apostolico pro confectione Processus cum facultate etiam subdelegandi, & sine præjudicio Actorum hactenus factorum coram Vicario Capitulari Puteolano, qui tamen imposterum abstineat*.

Vix cæptis coram Judice per Nuncium Subdelegato quibusdam præambulis actibus, præfatus Michael die 2. currentis anni 1734. amplam emisit renunciationem instantiis omnibus per ipsum eousque expositis pro sustinendo Matrimonio, necnon cuilibet juri sibi ex sponsalibus utcumque initis competenti, professus id agere, ductus voto quatuor Theologorum, qui ab eo consulti censuerunt, nullum inter ipsum, & Mariam Archangelam intercessisse Matrimonium de præsenti.

In hoc itaque rerum statu, petente Maria Archangela, demandari tum Nuncio Apostolico, ut desisteret ab ulteriori confectione Processus, tum Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano, ut ejus favore expediret testimoniales de statu libero, Sac. hæc Congr. voluit iterum audire præfatos Eminentissimum Archiepiscopum, Nuntium Apostolicum, & Episcopum Puteolanum; cumque ex eorum relationibus compertum fuerit, assertam Matrimonii nullitatem duabus præcipue circumstantiis inniti, altera nempe defectus præsentiæ proprii Parochi, altera vero inefficaciæ verborum a Contrahentibus prolatorum, quæ apta non essent præseferre animum celebrandi Matrimonium de præsenti, die 17. Aprilis proxime præteriti responsum fuit, ut Causa describeretur in Folio, prævia tamen absolutione Processus jam demandati.

At vero suas iterum exponente preces Maria Archangela, ut Causæ discussio fieret *non expectato Processu*, tamquam non necessario, quippe quia nullitas Matrimonii satis emergere possit a sola circumstantia in facto non controversa ejus secutæ celebrationis coram Vicario Capitulari Puteolano, Sacra Congregatio die 22. Maii mox elapsi annuit petitis; ideoque impresentiarum de allegata Matrimonii nullitate super asserto proprii Parochi defectu unice constituta disceptandum est.

Porro Vicarius Capitularis Puteolanus, in cujus præsentia Matrimonium fuit celebratum, neque Viri, neque Mulieris Parochus erat.

Ponderandum igitur occurrit; primo an potuerit effici capax repræsentandi personam Parochi Mariæ Archangelæ vigore licentiæ Curati Rugiani, superius transcriptæ; secundo, an, data etiam repræsentatione Curati Rugiani, iste posset adhuc dici Parochus proprius Mariæ Archangelæ: tertio demum, an admissis validitate, & efficacia licentiæ Parochi Rugiani, Vicarius Puteolanus debuisset illam acceptare, ut matrimonium dici posset coram illo valide contractum.

Circa primum exponitur, licentiam nimis vagam, & generalem contrahendi matrimonium coram quocumque Sacerdote, & cum quocumque particulariter, & nominatim non designato, ut pote contrariam menti Sacri Concilii Tridentini *Seff.* 24. *Cap.* 1. *de Ref. Matrim.* non refragari, uti sentit *Card. de Luc. de Matrim. disc.* 3. *n.* 5. *& in annot. ad idem Concil. disc.* 26. *n.* 22. *& seq.* Et licet Fagnanus in *lib.* 4. *Decr. Cap. Nobis, de clandestin. desponsat. n.* 32. §. *An licentia*, referat hanc Sacram Congregationem declarasse sufficientem pro validitate matrimonii licentiam in scriptis a Paroco concessam, ut quilibet Sacerdos arbitrio Contrahentium assistere posset, attamen in illo casu advertitur, Contrahentes fuisse nominatim designatos.

Quoad secundum, inutilis asseritur licentia a Paroco Rugiani concessa, quippe quia tempore contracti matrimonii nulla ipse potiretur jurisdictione in Mariam Archangelam, quæ ab Oppido Rugiani animo domicilium illud totaliter deserendi recesserat; proprius enim Parochus est, in cujus Parochia Contrahentes habitant tempore, quo matrimonium contrahitur juxta declarationes Sac. Congregationis apud *Farinac. in noviss. ad Seff.* 24. *Concil. Trident. cap.* 5. *num.* 2.

Quoad tertium denique perpenditur, Vicarium Puteolanum non acceptasse licentiam, seu delegationem Parochi Rugiani, sed illa uti noluisse, adeout, ubi etiam Curatus Rugiani potuisset tunc temporis dici Parochus Mariæ Archangelæ, matrimonium non esset validum, quia acceptatio delegationis in Sacerdote sustituto ad assistendum matrimonio est conditio pro ejus validitate omnino necessaria ad tradita per *Egid. de Conick de Sacram. disp.* 27. *de Matr. diff.* 13. *n.* 44. *Hurtad. de Sacram. Matrim. diff.* 13. *n.* 44. *Aversf. de Sacram. Ordin. & Matrim. de assist. Parochi quæst.* 6. *sect.* 4. *vers. debet in princ. & alios.*

E contra vero favore matrimonii observari potest; Primo, quod Parochus valide tradit licentiam celebrandi matrimonium coram quocumque Sacerdote non solum extra fines propriæ Parochiæ, sed etiam extra Diœcesim, *Sanchez lib.* 3. *disp.* 34. *n.* 2. *Coninck de Sacram. disput.* 27. *dub.* 2. *n.* 23. *Boff. de Matrim. contractu cap.* 7. *n.* 96. *& alii congesti per Vincent. de Just. de dispensat. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 59. *& seq.*

Secundo, quod Maria Archangela licet discesserit ab Oppido Rugiani, ut alio se conferret ad habitandum, videtur tamen retinuisse animum permanendi sub jurisdictione Parochi dicti loci saltem quousque usa fuisset licentia ab ipso impetrata pro celebratione præmeditati matrimonii, ut patefacit iterata ejusdem licentiæ exhibitio in alienis Parochiis pro matrimonio contrahendo: animum autem permanendi sub aliqua Parœcia potissime inspiciendum esse, ut possit quis valide in matrimonio conjungi, tradit *Card. Bellarm. ad Concil. dicta Seff.* 24. *cap.* 1. *vers. vel saltem Paroco*, *& dixit Rota in novissimis dec.* 648. *n.* 2. *&* 3. *col.* 1.

Tertio, quod, ubi etiam dicendum esset, Mariam Archangelam contraxisse domicilium Neapoli, non defuerit licentia saltem tacita dictæ Curiæ Archiepiscopalis, dum ille remisit Vicario Puteolano literas testimoniales de statu libero præfatæ mulieris munitas legalitate expresse requisita pro celebratione matrimonii, licentiam vero ta-

tacitam sufficere, tradunt *Pont. lib.* 5. *cap.* 29. *n.* 1. *in fin. & Boss.* *eod. tract. cap.* 4. *n.* 119. *& seq.*

Et quarto demum, quod, si neque licentia expressa Parochi Rugiani, neque tacita Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ attendi mereantur, considerari tunc debeat Maria Archangela, tanquam vaga, adeout valide matrimonium contrahere potuerit coram Vicario Puteolano: certum quippe est, quod vagi matrimonium valide contrahunt coram Parocho illius loci, ubi actu versantur, quemadmodum colligitur ex iis, quæ statuit *Tridentina Synodus Sess.* 24. *de reform. Matrim. cap.* 7. & tradunt communiter DD. de hac materia tractantes, quod procedit, sive uterque conjux, sive alter ex ipsis tantum vagus sit, uti declaravit *Sac. hæc Congregatio in Theatina validitatis Matrimonii* 30. *Aprilis* 1661. *lib.* 22. *decr. fol.*506.

Ad examen vero hujus postremæ inspectionis, num Maria Archangela possit dici vaga, notandum in facto est, quod ipsa ab Oppido Ruggiani discessit, ut Neapolim se reciperet in Domum ejus Genitorum, quemadmodum nuperrime asseruit in jurata sua depositione circumferenda per hæc verba „ Stimai anco dover lasciare detta Terra di „ Ruggiano, e ritornarmene in Napoli in Casa di detti miei Geni- „ tori, Fratelli, Sorelle, con animo di dimorare in tutto il rima- „ nente di mia vita in casa de' detti miei Genitori „ Neapolim vero appulsa die 4. Februarii superioris anni non subiit Domum suorum Parentum, sed paucis tantum horis commorata in Domo Michaelis Puteolum immediate se contulit.

In jure autem præ oculis haberi debet: quod vagus dicitur, vel ille, qui, proprio domicilio dimisso, iter facit, quærens ubi se sistat, juxta *Text. in l. ejus §. Celsus ff. ad Municipal.* ibi: *Puto autem & hoc procedere posse, si quis, domicilio relicto, naviget, vel iter faciens, quo se conferat, atque ubi consistat, nam hunc puto sine domicilio esse*, vel ille, qui certam, & constantem sedem, & domicilium, vel quasi domicilium nullibi habet, ad tradita per *Reginald. in prax. for. Eccles. lib.*1. *num.* 64. *Less. de justit. & Jur. lib* 2. *cap.*4. *de voto disp.*18. *n.* 121. *Pignatell. consult.* 79. *num.* 34. *T.* 5. *Reiffenstuel. in jus Canon. lib.* 4. *tit.* 3. §. 2. *n.* 86.

Immo ad effectum acquirendi Domicilium non sufficit solus animus habitandi, sed requiritur etiam factum, nempe habitatio ipsa, ut per *l. Domicilium ff. ad municip. Sanchez de Matrim. lib.* 3. *disp.* 23. *num.* 2. Et præterea ad effectum contrahendi Matrimonium vagus dicitur ille, qui in nulla certa Parochia fixum habet Domicilium, tametsi illud in Urbe, aut oppido aliquo comparare destinaverit: juxta ea, quæ tradit idem *Sanchez. d. lib.* 3. *disput.* 25. *n.* 3. *&* 4.

Ex his igitur, aliisque deducendis, tum a Patrocinantibus petitionem Mariæ Archangelæ, tum a Defensore Matrimonii juxta mentem Sacræ Congregationis dato, deliberandum erit.

An constet de validitate Matrimonii, in casu de quo agitur &c.

Negative, & amplius.

VICEN. SEU RIVIPULLEN. JURISDICTIONIS. Vacata apud S. Sedem Ecclesia Parochiali S. Eulaliæ de Villadonia per ascensum illius Rectoris ad aliam Parochialem, Antonius Vinyes, præviis concursu, præelectione, & literis significatoriis Episcopi Vi- *Sess.*24. *c.*18. *de Ref.*

Vicensis, obtinuit de illa a Sanctissimo provideri; At quia Sacro tantum Subdiaconatus Ordine reperiebatur insignitus, idcirco præfatus Episcopus juxta præscriptum a Sacro Concilio Tridentino *Cap.* 18. *Sess.* 24. *de Reform.* donec ad Sacerdotium novus Rector promoveretur, Æconomum pro cura Animarum deputavit.

Ut primum id accepit Frater Joannes Franciscus Copons Prior Monasterii S. Mariæ de Rivipullo tunc temporis Vicarius Capitularis, & vacantis Abbatiæ administrator, eo sub obtentu, quod Parochialis Ecclesia S. Eulaliæ sit pleno jure, ac subjective præfato Monasterio unita, proindeque ad ipsum privative spectaret ejus Æconomi deputatio; die 13. Martii 1733. mandatum, sub pœna pecuniaria, & in subsidium excommunicationis, contra præfatum Æconomum expediri jussit, quo illum ad se coram ipso præsentandum pro obtinenda ejusmodi deputatione evocabat.

Hinc læsam existimans suam jurisdictionem Episcopus die 18. ejusdem Mensis Monitorium contra Priorem relaxavit, ut Mandatum Economo factum infra sex dies a die ejus præsentationis revocaret, alias in sua Curia compareret ad videndum se declarari incurrisse in pœnas, & censuras per Sacros Canones contra jurisdictionis Ecclesiasticæ perturbatores impositas. At Prior Ministrum, a quo sibi dictum Monitorium fuerat præsentatum, carceribus Abbatialibus Rivipulli mancipari fecit.

Gravius itaque lacessitus Episcopus declaravit Priorem incursum in censuras contentas in *Cap.* 16. *&* 17. Bullæ in Cœna Domini, & in *Cap.*11. *Sess.*22. *de Ref.* Sacri Concilii Tridentini; & e contra idem Prior publicari fecit in Ecclesia Rivipulli, & affigi in locis publicis dicti Pagi Cedulones, quibus Episcopus denunciatus fuit excommunicatus vitandus.

Hæc facti series exposita fuit Sanctissimo ab Episcopo pro suæ dignitatis reparatione humillime supplicante, cumque illius preces fuissent Sacræ huic Congregationi remissæ, die 19. Septembris superioris anni rescriptum est: *Metropolitano pro Informatione*, *&* *voto*. Quia vero tamdiu expectata Metropolitani relatio non superveniet, & longior ejus protractio nedum asseritur cedere in maximam honoris Episcopalis perniciem, verum etiam studiose a Monacis procurata, suspicionem inferente circumstantia illa Sacræ Congregationi prius minime nota, quod Metropolitanus sit frater sæpedicti Prioris Monasterii Rivipullensis, ideo ad iteratas petitiones Episcopi, cujus jura circumferuntur, disceptandum EE. VV. proponitur.

I. An, & ad quem spectet in Parochiali Ecclesia S. Eulaliæ de Villadonia cum ei annexa S.Stephani de la Riba Æconomum pro exercitio curæ deputare in casu &c.

II. An, & quæ censuræ sustineantur, & respective quomodo sit providendum in casu &c.

Dilata, & proponatur omnino Causa super negotio principali in prima Novembris, suspensis interim hinc inde censuris.

BO-

Sess. 25. c. 19. de Reg.

BONONIEN. RESTITUTIONIS IN INTERGUM. Marianus Antonius Vannicelli anno 1725. in Collegio S. Gregori Civitatis Bononiæ suscepit habitum Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, ibique die 25. Martii 1727. Professionem emisit, quam modo contendit fuisse nullam, ideoque adversus lapsum quinquennii petit in integrum restitui.

Ex duplici capite asserta nullitate derivari prætenditur. Primum est, quod professio emissa fuerit coram P. Joseph Corazza, qui non erat Provincialis, nec Præfectus Collegii S. Gregorii, sed precario tantum nomine Superiorem agebat, uti Substitutus a P. Nicolao Maria Gennari ejusdem Collegii Præfecto tunc temporis absente. Vetitum autem fuisse, dicitur P. Corazza, Professionem P. Mariani recipere a Constitutionibus Ordinis *Cap. 2. de iis, quæ Novitiorum receptionem impediunt*, sic decernentibus n. 9. *Nullus cujusvis gradus, & dignitatis Superior sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ, necnon omnium Officiorum, honorum, prærogativarum, exemptionum, inhabilitatis perpetuæ ab eodem ipso facto incurrenda valeat recipere, aut permittere, ut ad Novitiatum, & eo minus ad solemnem Professionem admittatur quicumque vigore præsentis Constitutionis reperiatur exclusus*.

Alterum vero, quod Marianus tempore suæ Professionis conjunctus esset in secundo affinitatis gradu Joanni Baptistæ Borgognini ad Triremes causa furti damnato. Siquidem in laudatis Ordinis Constitutionibus statuitur, nedum recipiendos non esse publice accusatos de gravi delicto, aut de eodem per publicam sententiam emendatos, sive ignominioso supplicio affectos, necnon notorie reos, aut de crimine suspectos, quod a jure communi pœna capitis, Triremium &c. vel simili puniatur, sed etiam illos, *qui consanguinitate, vel affinitate cum hominibus de iis criminibus notatis in primo, & secundo gradu per matrimonium junguntur*.

Constitutiones istæ proferuntur, uti confirmatæ a Gregorio XIV, in ejus Bulla *la* 17. & a Clemente VIII. in ejus Bulla incipien. *Superna dispositione la 75. inter impress. in Bullar. nov. Tom. 2. & 3.* Num vero dicendæ sint a præfatis Summis Pontificibus in forma specifica confirmatæ præsertim circa caput istud Novitiorum receptionem respiciens, ex earumdem Bullarum lectura patebit. Quoties enim confirmatæ non essent in forma specifica, dubitari possent, an queant invalidare Professionem juxta formam Conciliaris dispositionis alioquin factam, ut advertit *Fagnan. in Cap. Porrectum de regular. num.* 47. quemadmodum, Constitutiones Religionis in forma communi tantum approbatas non sufficienter ad invalidandam Professionem respondit Sacra Congregatio *in Veneta nullitatis Professionis* 28. *Novembris* 1665. *lib.* 18. *Decr. pag.* 661. *tergo*.

Religio instantiæ Patris Mariani non contradicit, & Eminentiss. Archiepiscopus, qui super ea Processum servatis servandis in Curia sua confectum Sacræ huic Congregationi remisit, testata prius, veluti legitimis confecta documentis, affinitate in secundo gradu dicti P. Mariani cum Joanne Baptista Borgognini, ex hoc tantum capite censet, ejus Professionis nullitatem sufficienter emergere.

Rationes ad id conferentes in dissertissima ejusdem Eminentissimi Archiepiscopi relatione, quæ circumfertur, luculenter deductæ sunt; Alia quoque ad rem facientia habentur in Folio Congregationis diei

4. Au-

4. Augusti 1725. pro Causa *Romana*, *seu Albinganen.* in qua tamen disputato Dubio: *An constet de causis restitutionis in integrum*: die prima Septembris ejusdem anni rescriptum fuit *Negative*, ut ex *lib. Decr. pag.* 459.

His igitur perspectis, grave non erit Eminentiis VV. respondere. *An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.*

Affirmative, & amplius.

Sess. 21. *c.* 4. *de ref.* SANCTI MINIATIS DISSOLUTIONIS UNIONIS. In Folio Congregationis habitæ die 12. Decembris superioris anni proposita fuerunt duo hæc dubia. *I. An sit locus dissolutioni unioni*; & quatenus negative. *II. An sit erigenda Vicaria perpetua in Ecclesia S. Reguli in casu &c.* Rescriptum vero fuit: *Ad I. negative. Ad II. affirmative cum assignatione Congruæ per Episcopum facienda ad normam Constitutionis* 47. *S. Pii V. & cum collatione ejusdem Vicariæ per concursum.*

Postmodum Sacerdos Sebastianus Marinacius, qui ante editum dictum Rescriptum prælectus ab Episcopo fuerat in concursu habito ad Vicariam, quam in Ecclesia S. Reguli erigi Sacra hæc Congregatio subinde jussit ad instantiam Populi Castri Bucciani, institit coram Eminentissimo Pro Datario pro expeditione literarum Apostolicarum, exhibito eodem Sacræ Congregationis rescripto.

At Eminentiss. Pro-Datarius petitam expeditionem literarum Apostolicarum suspendi præcepit, ita postulante Bernardino Lenci, qui sese præbens contradictorem dicto Rescripto institit coram Sacra hac Congregatione, ut examen dictorum dubiorum redintegraretur. Sacra vero Congregatio die 23. Januarii currentis anni censuit, exquirendam esse informationem Episcopi S. Miniatis, qua nuperrime habita, beneficium novæ Audientiæ dicto Bernardino fuit elargita.

Episcopus confirmans hactenus exposita censet, Bernardinum in hac Causa non esse legitimum contradictorem, locum esse dissolutioni unionis, de qua agitur, vel saltem erigendam esse Vicariam perpetuam in dicta Ecclesia Sancti Reguli juxta Decretum Sac. hujus Congregationis.

Jura, quibus Bernardinus Lenci contendit impugnare assertum Rescriptum, nondum allata sunt. Rationes autem, ob quas Populus Castri Bucciani putat, locum esse dissolutioni prædictæ unionis, sunt illæ eædem, quæ in anteacta Causæ propositione fuerunt deductæ.

Erit igitur ab Eminentiis VV. deliberandum.

An, & quomodo sit standum, vel recedendum a Decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Sess. 6. *c.* 2. *& sess.* 24. *c.* 12. *de ref.* FUNDANA DISTRIBUTIONUM, ET FRUCTUUM. Sacerdos Franciscus Mastromanni Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Lenulæ ex Fundana Diœcesi die 3. Martii superioris anni ex occulto Sclopi ictu adeo lethaliter sauciatus est, ut omnibus extremis Sacramentis munitus fuerit. Post aliquod temporis intervallum adhuc infirmus, ut facilius ex aeris salubritate convalesceret ex inflicto vulnere, curavit nocturno tempore sese transferre ad Oppidum Sperlun-

cæ

cæ Cajetanæ Diœcesis, ubi postquam commoratus fuit per duos menses, Romam petiit, & coram Sacra hac Congregatione institetit, ut sibi a residentia suæ Ecclesiæ ob occultas inimicitias absenti traderentur fructus sui Canonicatus, nec non distributiones quotidianæ, & cætera emolumenta, quæ eidem solvere detrectat Capitulum suæ Ecclesiæ.

Sacra autem Congregatio, ut hac de re certior fieret, semel, atque iterum literas dedit Episcopo Fundano, qui tandem rescribit, *Causas adductas videri probabiles, verum est enim, ipsum vulneratum fuisse in inguine ictu Sclopi ignei e quodam foramine explosi tanta calliditate, ut offensor adhuc remaneat incompertus, & nequeat Fiscus de eo habere notitiam, quamvis inquisitionem instituerit.*

His in facto præjactis, Canonicus Mastromanni innixus Rescripto Honorii II. relato *in cap. Ad Audientiam. De Cleric. non resident.*, & Bonifacii VIII. *in cap. unic. eod. tit. in 6.*, necnon praxi Sacræ hujus Congregationis primum ait, sibi a Capitulo deberi fructus. & distributiones quotidianas, aliaque emolumenta, quæ contendit se lucratum fuisse tempore, quo infirmus jacuit in Terra Lenulæ, & versatus subinde fuit in Oppido Sperluncæ; eo enim sese contulit, ut beneficio mitioris aeris illius locis citius ab inflicto vulnere sanaretur, nec satis firma gavisus est valetudine, quousque ibi consedit, juxta Testimonium, quod proferunt Canonici Ecclesiæ Collegiatæ dicti Oppidi Sperluncæ.

Postmodum progrediens ad præcipuum hujus Causæ punctum proponit regulam, qua cavetur, Canonicum absentem a residentia suæ Ecclesiæ, quam adire timeat ob inimicitias adversus eum ibi exortas, lucrari fructus omnes, & quæcumque emolumenta, quæ Canonicis Chori, Ecclesiæque servitio incumbentibus præstantur, juxta Textum *in cit. cap. unic. de Cleric. non resident.* ibique tradunt *Joan. Andr. Anchar.*, *Prob. ad Monach. n. 2. & seq. Franch. nu. 2. & 4. Piton, tom. 1. discept. Ecclesiast. 34. num. 4. & 24. Monet. de distribut. quotid. part. 2. quæst. 5. numer. 49.*, indeque infert, itidem absenti ob occultas inimicitias deberi fructus omnes sui Canonicatus, cunctaque alia emolumenta, sive ea ex Anniversariis, sive ex Missis proveniant, quemadmodum Sacra Congregatio, instante quodam Canonico Carpensi, qui ob metum Principis temporalis residere non poterat in Ecclesia; cui erat adscriptus, *die* 17. *Septemb.* 1616. respondit his verbis - *Censuit dandas esse ad Ordinarium literas, ut Capitulum cogeret ad integras distributiones ei assignandas usque ad mensem Aprilis futuri. Cæterum ipsi Joanni Blasio significari voluit, ut interim curet Canonicatum resignare, vel permutare, aut rationem aliquam inire, qua, & sibi, & Ecclesiæ indemnitati consultum sit* -- ut refert *Barbos. de jur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 18. num. 65.*

Huic resolutioni addi potest altera nuperrime edita ab eadem Sacra Congregatione *in Caputaquen. die* 18. *Augusti* 1731. in qua cum ad instantiam Natalis Quaranta Sacris Ordinibus initiati ad titulum Ecclesiæ receptitiæ in Oppido Serrarum existentis, & a dicta ejus Ecclesia absentis ob indignationem Baronis ejus Oppidi propositum fuerit dubium -- *An Sacerdoti Natali Quaranta tempore suæ absentiæ*

debeatur portio Missæ communis , sicut cæteris Sacerdotibus , deductis tantum oneribus Missarum -- prodiit Rescriptum . *Affirmative pro tempore præterito , et ad Dominum Secretarium juxta mentem* -- , & demum in terminis Canonicorum , qui absunt a residentia , ut injustam Judicis vexationem redimant , responsum fuit in *Arianen.* 28. *Aprilis* 1635. , *in Anagnina* 22. *Augusti* 1681., *in Teatina Distributionum* 19.*Novembris*. 1707. ut in *lib.* 57. *Decret.pag.* 420.

Capitulum adversus hæc opponit ; primo , quod Canonicus Mastromanni culpabilem causam præbuerit assertis inimicitiis , indeque factus fuerit indignus percipiendi distributiones qnotidianas , necnon cætera sui Canonicatus emolumenta , uti tradunt *Joan. Andr. Franch. et Ancharan. in cap. unic. de Cleric. non resident. in 6.* . Secundo , quod omnes fructus , & pratensa emolumenta proveniant ex Anniversariis , necnon ex celebratione plurium Missarum , atque idcirco ea percipiantur dumtaxat a Canonicis , qui dictorum Anniversariorum , & Missarum celebrationi intersunt .

At Canonicus Mastromanni sibi ipsi non deest in medium proferendo nonnulla documenta , ex quibus , probata ejusdem morum integritate , putat satis , superque excludit , quod ipse exortis inimicitiis causam præbuerit , subditque , a Capitulo non probari , se , ut asseritur in causa fuisse , ut dictæ inimicitiæ adversus eum exarserint . Inspiciendum itaque est , an Capitulum contendens privare distributionibus quotidianis Canonicum absentem ob inimicitias , teneatur concludenter probare easdem inimicitias ex culpa Canonici insurrexisse juxta ea , quæ tradit *Ciarlin. contr, foren. tom.* 3. *cap.* 227.*num.* 15. *&* 16. ibi *Non obstat , quod hæc procedant , modo talis Canonicus non fuerit in culpa , immiscendo se rixis , & inimicitiis si enim culposus est , non lucratur distributiones ; nam respondetur , non constare de aliqua culpa , vel crimine dicti Canonici , et in dubio culpa non præsumitur , sed est probanda ab allegante , et oportet , ut culpa sit præordinata ad casum , alioquin non nocet* .

Alteram denique exceptionem a Capitulo propositam contendit refutare Canonicus Mastromanni tum ex eo , quod alii Canonici legitima causa absentes consueverint lucrari controversas distributiones , & emolumenta , uti ex nonnullorum testimonio probatur ; tum etiam , quia Canonicos ex causa infirmitatis , vel ex alia legitima causa absentes lucrari distributiones quotidianas tam ordinarias , quam extraordinarias , & alia quæcumque emolumenta ex Anniversariorum celebratione provenientia , dummodo aliter dispositum non fuerit a Testatoribus, tradunt *Gloss. in dicto cap. unic. verb. idem Gemin. ibid. num.* 1. *Passarin. dicto cap. unic. num.* 132. *Lara de Anniverf. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 1. *& seqq. Azor. instit. mor. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 7. *qu.* 4. & ad rem conferunt plures Resolutiones Sacræ hujus Congregationis relatæ in folio distributo die 6.Februarii currentis anni in Causa *Bosanen. Visitationis Sacrorum Liminum* .

His itaque stantibus , deliberandum proponitur .

I. An debeantur distributiones quotidianæ in casu &c. *& quatenus negative* .

II. An , & qui fructus debeantur in casu &c.

Ad primum affirmative usque ad præsens . Quo vero ad futurum per

per duos menses tantum. Ad secundum affirmative ad normam Absentium ex causa infirmitatis.

Binæ, quæ sequuntur, Causæ, propositæ fuerunt in præcedenti Congregatione diei 5. Junii mox elapsi mensis, earumque resolutio ad præsentem dilata.

TUSCULANA FUNERUM. Sess. 25. c. 13. de ref.

I. An PP. Reformati, in quorum Ecclesia Defunctus elegerit sepulturam, possit ducere funus, & cadaver asportare sine consensu, & præsentia vel Archipresbyteri, vel Canonici Coadjutoris actualem curam exercentium, eorumque interventu, *Et quatenus negative*.

II, An postquam dicti Patres per aliquod temporis spatium expectaverint Archipresbyterum, vel illius Coadjutorem, possint absque i sdem asportare cadaver ad eorum Ecclesiam.

III. An in Associatione Cadaverum ad Ecclesiam Patrum Reformatorum sint ab Hæredibus Defuncti, præter Archipresbyterum, sive ejus Coadjutorem invitandi tot Sacerdotes sæculares quot Religiosi,

IV. An Parochus possit ratione itineris faciendi extra mœnia Civitatis ad Ecclesiam dictorum Patrum exigere ultra quartam, duplum illius eleemosinæ, quæ daretur, si Cadaver esset sepeliendum intra Civitatem; *Et quatenus negative*.

V. An idem servandum sit in tumulatione tam Civium, quam Exterorum in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

ANGLONEN. EXEMPTIONIS. Sess. 24. c. 11. de ref.

An provisi ab Eminentissimo Domino Abbate Generali Commendatario de Ecclesiis, Cappellis, Oratoriis, & Hospitalibus sub invocatione S. Antonii Viennensis sint exempti a Jurisdictione Ordinarii Anglonensi in casu &c.

FERRARIEN., SEU RAVENNATEN. JURISDICTIONIS. Sess. 24. c. 16. de ref.

Pro Decisione controversiæ vigentis inter Curiam Archiepiscopalem Ravennæ, & Curiam Episcopalem Ferrariæ super jure visitandi quoddam Oratorium positum in Terra Draghetti Ducatus Ferrariensis, Sacra hæc Congregatio commisit Vicario Generali Imolensi elevationem Mappæ judicialis, utque Testium utrinque adducendorum examen formiter recipiat.

Verumtamen occasione conficiendi demandatum Processum nova inter easdem Partes oborta est quæstio propter quam nihil hactenus coram Vicario Imolensi peractum fuit

Siquidem Promotor Curiæ Archiepiscopalis Ravennæ ad legitimam Actorum compilationem coram dicto Vicario Imolensi prætendit citari debere Officialem suæ Curiæ in Civitate Ferrariæ continuo residentem, veluti Vicarium Generalem ab Archiepiscopo pro tota parte suæ Diœcesis in Ducatu Ferrariensi posita destinatum,

Econtra Promotor Curiæ Ferrariensis contendit unicum tantum cujuslibet Diœcesis esse Vicarium Generalem, adeoque nonnisi illum in Ci-

vitate Ravennæ degentem hujuſce muneris prærogativam præferre poſſe, nec Archiepiſcopo Ravennatenſi licere, ſuum qualemcumque Officialem Ferrariæ reſidentem Vicarii Generalis titulo condecorare, quia jus retinendi in ea Civitate Tribunal cum Familia armata, quod ſibi aſſerit Archiepiſcopus ab ipſo impugnatur.

Epiſcopum poſſe etiam binos Vicarios Generales æque principales, ſeu in ſolidum conſtituere in eadem Diœceſi, ut Cauſarum expeditioni facilius conſultum ſit, deſumitur *ex Textu in cap. quoniam* 14. *de Offic. Ordin.* ibi *provideant viros idoneos - et tradunt Pirhing. in jus Canonic. lib.* 1. *tit.* 28. *num.* 29. *Reiffenſtuel eod. loco* §. 3. *nu.* 67. *Ricc. prax. for. Eccleſ. part.* 2. *reſolut.* 199., *Pellegrin. in prax. Vicarior. part.* 1. *ſect.* 1. *ſubſect.* 1. *num.* 6. *& ſubſect.* 5. *num.* 10. *Leuren. de Vicar. Generali quæſt.* 30., *& Ventriglia in prax. for. Eccleſ. part.* 2. *annot.* 14. §. 1. *num.* 2.

Contrarium vero tradunt, *Nicol. lucubr. can. lib.* 1. *tit.* 28. *Sbroz. de Offic. Vic. lib.* 2. *quæſti* 50. *Quaranta* verb. *Capitulum Sede vacante*, & ita reſolviſſe Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium refert idem *Nicol. loco cit.* Niſi tamen adſit conſuetudo plures Vicarios Generales conſtituere, ut notat ibidem *Nicol. & Monacell. in formular. legal. tom.* 1. *tit.* 1. *formul.* 1 *num.* 34.

Conveniunt inſuper Doctores in hoc, quod Epiſcopus nequeat habere plures Vicarios Generales, vel Tribunalia juxta numerum Dominiorum temporalium, ad quæ ſe extendit ejus Diœceſis, uti notant, *Monacell. loc. cit. num.* 34. *in fin.*, *& Nicol. loc. cit. num.* 7. *verſ.* non tamen, *Pellegrin. ſect.* 2. *ſubſect.* 5. *numer.* 14., *ubi refert, ita deciſum a Sacra Congregatione Epiſcoporum in Aquen.* 16. *Februarii* 1604.

At in hypotheſi, cum agatur de Officiali retento in Civitate alterius Diœceſis, remanet ulterius inſpiciendum, quæ juriſdictio illi competat, ut veluti Vicarius Generalis debeat a Collitigante recognoſci.

Omnibus itaque perſpectis placeat Eminentiis VV. ſapientiſſime reſpondere.

An in compilatione Proceſſus coram Vicario Generali Imolenſi Judice ſubdelegato a Sacra Congregatione ſit citandus aſſertus Vicarius Generalis Menſæ Archiepiſcopalis Ravennæ degens Ferrariæ; in caſu &c.

Seſſ. 25. c. 4. & 5. de Ref.

NEPESINA REDUCTIONIS ONERUM. Laurentius Mecarocci in Teſtamento condito ſub annum 1727., ſcriptis hæredibus Nicolao, & aliis ejus filiis, ita cavit - *Laſcio, che dopo, che D. Gregorio mio figlio ſia proviſto di ſufficiente congrua, mediante la quale ricade il ſuo Patrimonio alla noſtra Caſa, e quando non foſſe mai proviſto, alla ſua morte, laſcio, dico, ordino, e voglio, che li miei Eredi, e Succeſsori ſiino tenuti, ed obligati ad erigere un Beneficio ſemplice nella noſtra Cappella di S. Pietro Martire, e S. Antonio di Padova eſiſtente nella Chieſa di S. Tolomeo di queſta Città con li beni, cioè con il Campo alla Madonna dell' Umilta, e coll' altro Campo di Valdiano ſolamente.*

Subinde vero multiplex onus Cappellano, ſeu Beneficiato, cujus nominatio reſervata fuit majori natu familiæ Mecarocci ex linea maſculinjunxit per hæc verba -- *Qual Beneficiato così nominato, ſia tenuto, & obligato mantener detta Cappella di tutto il biſognevole, e di tutto quel-*

to quello, che presentemente ci e, e ci è stato sempre mantenuto con tutti gl'annessi, e connessi detta Cappella &c. ed in oltre il detto Beneficiato sia ancor tenuto, ed obligato nelli giorni delle Feste di detti due Santi provedere l' Altare d' una libra di Cera per la Festa, e di farvi celebrare dieci Messe colla sua per ciascheduna delle due Feste, &c., ed in oltre due Messe anche la settimana.

Cum autem nuperrime factus fuerit locus erectioni dicti simplicis Beneficii, Nicolaus, & Fratres de Mecarocciis agnoscentes, annuum redditum percipiendum ex Bonis, quæ pro dote ejusdem Beneficii Testator assignavit, idoneum haud esse pro supportandis dictis oneribus, usque ab anno 1732., & ante Beneficii erectionem pro eorumdem onerum reductione institerunt coram Sacra Congregatione. Hæc vero post habitam primam informationem Episcopi Nepesini, qui censet huic petitioni annuendum, *die* 27. *Septembris* 1732. -- rescripsit -- *Episcopo pro meliori informatione juxta mentem*, eaque fuit, ut Episcopus distincte referret, quot forent annui redditus dictorum bonorum, quæ summa pro singulorum onerum implemento esset necessaria, & demum, quanta ibi esset eleemosyna manualis Missarum.

Episcopus rescribit, annuos proventus dictorum Bonorum ascendentes ad scuta quindecim, summam necessariam pro singulis oneribus implendis esse scutorum viginti trium, & obulorum nonaginta sex juxta Peritorum judicium & demum eleemosynam manualem Missarum esse unius julii, in acceptatione vero alicujus perpetui legati, vel in Beneficiorum erectione eam secundum Constitutiones Synodales, & morem Regionis, taxari in juliis duobus pro qualibet Missa.

Oratores pro fundamento eorum petitionis, quam modo instaurant, proponunt, quod Testator initium suæ dispositionis fecerit ab assignatione fundi, postmodum vero ad impositionem dictorum onerum progressus sit, indeque inferunt, quod juxta regulam, quam servat Sacra Congregatio, antecedens fundi designatio taxative facta censeatur, ita sit locus petitæ eorumdem onerum reductioni, attento potissimum, quod Testator jussit, erectionem dicti Beneficii cum prædictis oneribus fieri debere -- *con il Campo alla Madonna dell' Umiltà, e coll'altro Campo dl Valdiano solamente.*

At duo hac in re ponderanda supersunt; Primo, num onus Missarum una cum aliis oneribus sit reducendum: in reductione enim piorum onerum regula est, quod potius alia onera reducantur, quam onus Missarum, ad tradita per *Fagnan. in Cap. Ex parte de constit. nu.*4. *Monacell. in formular. legal. tom.* 1. *tit.* 10. *num.* 25., *& seq. fol. mihi* 219. *Bordon. de legat. cap.* 15. *num* 35., *&* 42., nisi tamen alter suadeat conjecturata mens Testatoris; tunc enim æqualiter faciendam esse reductionem oneris Missarum, & aliorum onerum pluries rescripsit Sacra hæc Congregatio, & signanter *in Bracharen. Reductionis onerum* 11. *Septembris* 1717. *lib.* 67. *Decret. pag.* 373.


Secundo, an, quatenus petitæ reductioni Missarum sit locus, ea fieri debeat ad rationem eleemosynæ manualis, vel perpetuæ. In quadam, enim *Prænestina* relata inter summaria Precum die 15. Junii 1709., postulante Sacerdote Hieronymo Rosati reductionem perpetui oneris Missarum eidem injuncti ex dispositione Elisabethæ Floriani, *S. Congregatio* Vicario Generali commisit, ut præfatum Missarum onus juxta proportionatam extantium reddituum quantitatem ad rationem eleemo-

el eemosynæ perpetuæ, inspecto Regionis more, pro suo arbitrio, & conscientia moderaretur, atque reduceret, ut in *lib.* 59. *Decr. fol.* 217., & nuperrime ad instantiam Prælati, & Deputatorum Archiconfraternitatis S. Hieronymi Charitatis in *Romana* inter supplices libellos relata *die 6. Februarii* currentis anni ita rescriptum fuit -- *Pro facultate acceptandi loca montium Cameralium Communitatum, & pro reductione ad rationem oneris Missæ perpetuæ.*

His positis, dignabuntur Eminentiæ VV. decernere.

An, & quomodo sit locus reductioni onerum in casu &c.

Die Sabbathi 24. Julii 1734.



Sess. 24. cap. 11. de ref.

ANGLONEN. EXEMPTIONIS. Cum decisio hujus Causæ descriptæ primum in Folio diei 5. *Junii* proxime præteriti, iterumque relatæ in altero distributo pro Congregatione diei 3. currentis Mensis potissimum postuletur ad dirimendam controversiam inter Eminentissimum Abbatem Commendatarium S. Antonii Viennensis, & Episcopum Anglonensem nuperrime exortam occasione delicti, quod Sacerdos Joannes Baptista de Luca in Anglonensi Diœcesi patravit, eaque fortasse pendere etiam possit ab inspectione, num exemptio, quam profert Joannes Baptista talis generis sit, ut eum valeat subtrahere a jurisdictione, quam saltem ratione delicti acquisivit in ipsum Episcopus Anglonensis; idcirco non abs re erit infradicenda ponderare.

Innocentius IV. *in Cap. Volentes, de Privileg. in 6.* ita sancivit - *Volentes, libertatem, quam nonnullis Apostolicas Sedes privilegio exemptionis indulsit, sic integram observari, ut & illam alii non infringant, & ipsi ejus limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere.*

Legem hanc Pontificiam vindicare sibi locum in quacumque exemptione licet amplissimis verbis concepta, adnotarunt *Franch. in cit. cap. Volentes, num.* 2. *Barbos. num.* 2. *Pass. num.* 7., & 8. *de Privil. in 6. firmavit Rota in Baren. Jurisdictionis* 20. *Maii* 1603. *coram Verospio impressa apud Marchesan. de commiss. part.* 1. §. 2. *pag.* 1069. & *decis.* 165. *num.* 1., & *seqq. part.* 7. *recent.*

Et consentanee ad hæc ita resolvit Sacra Congreg. *in Firmana Jurisdictionis*, in qua, licet, proposito prima vice dubio -- *An Reverendissimus Archiepiscopus Firmanus possit procedere, & Jurisdictionem ordinariam exercere contra Personas, & Canonicos Ecclesiæ S. Victoriæ subjectæ Abbatiæ Farfen. in casu contractuum, & delictorum factorum, & commissorum respective extra septa dictæ Collegiatæ in*

tæ in casu &c. die 13. *Aprilis* 1720. rescriptum fuerit -- *Negative* -- attamen *die* 3. *Augusti ejusdem anni* recessum fuit a Decisis, & pariforme Decretum subinde prodiit *die* 23. *Augusti* 1721. *in Caven., seu Caputaquen. Jurisdictionis*, ubi de consimili casu agebatur.

Hisce in jure superadditis, onus erit Eminentiarum VV. duo potissimum examinare: primo, an Apostolica Privilegia, quibus nititur Joannes Baptista, tribuant etiam exemptionem a jurisdictione, quæ ratione delicti acquisita dici possit a Judice loci ubi delictum admittitur; secundo, an asserta exemptio sit ejus speciei, quæ utpote personis propter locum concessa mixta dicitur, vel potius habenda sit uti exemptio mere personalis; hactenus enim deducta procedunt dumtaxat in exemptione locali, sive mixta, ut notant Doctores supra adducti.

Denique ad uberiorem materiæ ornatum præstat adiicere, quod in *lib.* 16. *Decr. pag.* 386. *in quadam Messanen. Exemptionis* 7. *Januarii* 1640. reperitur Rescriptum editum per hæc verba -- *Sacra Congregatio censuit exemptionem, de qua agitur habentem immediatam subjectionem Romano Pontifici, ac Sedi Apostolicæ absque ulla alia dependentia suffragari exemptis etiam extra locum Diœcesis Catanien., ideo agendum cum Sanctissimo, ut dignetur ad dictam exemptionem Diœcesum per viam declarationis restringere, vel quoad exemptos commorantes in Diœcesi Messanen. deputare Archiepiscopum Messanen. ut tanquam delegatus Sedis Apostolicæ contra eos procedere valeat. Die* 10. *facta relatione Sanctissimo D. N. Sua Sanctitas jussit scribi Archiepiscopo Messanen., & aliis in quibus commorentur, ut tamquam Sedis Apostolicæ delegati contra eos procedant.*

Spectat jam vero Eminentiis VV. sapientissime definire.

An Provisi ab Eminentissimo D. Abbate Generali Commendatario de Ecclesiis, Cappellis, Oratoriis, Beneficiis, & Hospitalibus sub invocatione Sancti Antonii Viennensis sint exempti a jurisdictione Ordinarii Anglonensis in casu &c.

Joannem Baptistam de Luca non esse exemptum a Jurisdictione Ordinarii Anglonen.

TUSCULANA FUNERUM. Causa hæc descripta primum in Folio diei 22. Novembris 1732., & nuperrime, postquam evanuit spes concordiæ, reassumpta nequivit in præterita Congregatione diei 5. currentis Mensis ob temporis angustiam proponi. Nunc igitur decidendum manet. *Sess.* 25. *cap.* 13. *de ref.*

I. *An* PP. *Reformati in quorum Ecclesia Defunctus elegerit Sepulturam possint ducere funus, & cadaver asportare sine consensu, & præsentia, vel Archipresbyteri, vel Canonici Coadjutoris actualem curam exercentium, eorumque interventu,* & quatenus negative.

II. *An, postquam dicti Patres per aliquod temporis spatium expectaverint Archipresbyterum, vel illius Coadjutorem, possint absque iisdem asportare cadaver ad eorum Ecclesiam.*

III. *An in associatione Cadaverum ad Ecclesiam Patrum Reformatorum sint ab Hæredibus Defuncti, præter Archipresbyterum, sive ejus Coadjutorem, invitandi tot Sacerdotes sæculares, quot Religiosi.*

VI. *An*

IV. *An Parochus possit ratione itineris faciendi extra mœnia Civitatis ad Ecclesiam dictorum Patrum exigere ultra quartum, duplum illius eleemosynæ, quæ daretur, si cadaver esset sepeliendum intra Civitatem*, & quatenus negative.

V. *An idem servandum sit in tumulatione tam Civium, quam Exsterorum in casu &c.*

Ad primum Negative. Ad secundum Affirmative intimato tamen prius, & expectato per horam Archipresbytero, vel Canonico Coadjutore: Quo vero ad tertium, quartum, & quintum ad Eminentissimum Episcopum juxta mentem.

Pro binis, quæ sequuntur, Causis resumendum est Folium una cum juribus Partium in mox dicta præcedenti Congregatione distributum.

FERRARIEN., SEU RAVENNATEN. JURISDICTIONIS.
An in compilatione Processus coram Vicario Generali Imolensi Judice subdelegato a Congregatione sit citandus assertus Vicarius Generalis Mensæ Archiepiscopalis Ravennæ degens Ferrariæ, in casu &c.

Affirmative sine præjudicio Jurium ambarum Partium.

Sess. 25. cap 4. & 5. de ref.

NEPESINA REDUCTIONIS ONERUM.
An, & quomodo sit locus reductionis onerum.

Esse locum reductioni ad rationem eleemosynæ perpetuæ facta per Beneplacitum oblatione non petendi imposterum aliam reductionem.

Sess. 22. de obs. & evit. in celebr. Miss.

FLORENTINA APPLICATIONIS MISSÆ QUOTIDIANÆ.
Franciscus Maria de Macchiavellis in Codicillis, quos condidit die 5. Martii 1726. ab Incarnatione, & 1727. a nativitate, dotem cujusdam Cappellaniæ, quæ sub Jurepatronatus ejus Familiæ jam pridem erecta reperiebatur in Ecclesia S. Felicitatis, a summa scutorum vigintiquatuor ad annua scuta sexaginta jussit ab ejus Hæredibus augeri, imposita Cappellano lege applicandi juxta ejus mentem Sacrificium Missæ quotidianæ, quæ prius absque ullo applicationis onere ab eodem Cappellano celebrabatur, ibi -- *Item ordino, e voglio che dalli miei Eredi si accresca l'entrata della mia Cappella di S. Gregorio posta in S. Felicita di questa Città sino alla somma di scudi sessanta, con che però il Cappellano pro tempore debba celebrare* quotidie, *o far celebrare a detto Altare la S. Messa con applicare il Sacrifizio per l'anima mia, e per chi avrò in mente* -

Secuto Testatoris obitu, Executores Testamentarii, quibus ad certum tempus commissa fuerat hæreditatis administratio, ut Cappellanus dictæ Missæ Sacrificium juxta Testatoris mentem quotidie applicaret, ultra scuta vigintiquatuor antiquam præfatæ Cappellaniæ dotem, alia scuta sexaginta quotannis ei persolverunt, donec tradita hæreditate Marchioni Joanni Baptistæ Macchiavelli de Rangonibus Hæredi in Testamento scripto, contendens iste nonnisi scuta triginta sex, ultra vigintiquatuor primævam Cappellaniæ Dotem solvenda esse,

esse, judiciali intimatione lacessivit Laurentium de Justis modernum Cappellanum ad declarandum, an vellet legatum augmenti dotis a scutis vigintiquatuor ad annua scuta sexaginta cum onere applicationis quotidiani Sacrificii in Codicillis præscripti acceptare, protestans, se alias non soluturum dicta scuta triginta sex, sed potiri velle facultate curandi, ut per alios Sacerdotes præfato oneri satisfieret.

Cappellanus, hac intimatione recepta, declaravit in Actis, se legatum acceptare *ad formam juris*, *Sacrorum Canonum*, *Apostolicarum*, *& Synodalium Constitutionum*; At vero ejusmodi declaratione non contentus Marchio de Macchiavellis alias deinde prædictæ suæ petitioni consentaneas promovit instantias coram Vicario Generali Florentino, a quo post plura utrinque deducta tandem pronunciatum est -- *vigore augmenti annui redditus ultra antiquam dotem usque ad complementum summæ scutorum sexaginta monetæ Florentinæ dictæ Cappellaniæ relicti &c. futuros dictæ Cappellaniæ Rectores teneri ad celebrandas tot Missas cum applicatione Sacrificii ad mentem supradicti D. de Macchiavellis ad rationem libræ unius pro qualibet Missa, Nempe solidorum viginti pro qualibet Missa.*

Ab hoc decreto appellationem interposuit Marchio Joannes Baptista: cumque subinde preces suas Sacræ huic Congregationi porrexerit pro habendo super enunciata controversia ejus oraculo, jussus de more Archiepiscopus Florentinus eamdem Sacram Congregationem instructam reddere, votumque suum aperire, confirmatis hactenus expositis, refert, se ex facultate sibi a san. mem. Benedicto XIII. tributa moderandi perpetua Missarum onera ad normam Indulti Familis Religiosis concessi in Concilio Romano *tit.* 15. *cap.* 8., generali decreto pro sua Archidiœcesi edito die 22. Julii 1726. præcepisse -- *quod nulla onera Missarum perpetua tam pro Cappellanis noviter erigendis, quam pro officiaturis & aliis annuis piis relictis acceptarentur, nisi cum fundo competenti, & signanter pro Missa quotidiana, quod saltem esset annuus redditus scutorum sexaginta monetæ Romanæ* -- Hac autem posita lege, ipse censet, Rectorem Cappellaniæ cogi non posse ad Missarum celebrationem nisi pro rata factæ, seu faciendæ assignationis, computatis Sacrificiis juxta modum taxæ superius recensitæ; secus enim Cappellanus, ut ait, supra vires legati gravaretur; cum pro eo, quod respicit Missarum applicationem, habenda sit tantum ratio scutorum triginta sex, quæ Franciscus Maria nuper augeri jussit dum alia scuta vigintiquatuor pristina Cappellaniæ dos nequeunt ullo novo onere prægravari.

Porro huic Archiepiscopi sententiæ conformis esse videtur praxis Sacræ Congregationis, quæ perpetua Missarum onera ante eorumdem acceptationem moderari consuevit ad rationem eleemosynæ perpetuæ, ut in *Prænestina die* 15. *Junii* 1709. *lib.* 59. *Decr. pag.* 217., *& in Romana 6. Febr.* currentis anni relatis inter summaria precum.

Immo, postulante Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano, declarari, an facultate a Summo Pontifice Benedicto XIII. impetrata reducendi perpetua Missarum onera juxta formam Indulti concessi familiis Religiosis, necnon Episcopis, qui Concilio Romano nuperrime coacto interfuerunt, uti posset etiam quoad onera, in quibus nulla contingerat proventuum diminutio, *die 6. Julii* 1726. ab hac Sacra Congregatione rescriptum fuit, posse hæc etiam onera reduci, servata tali proportionis norma, ut pro una Missa singulis diebus in per-

petuum celebranda percipiatur eleemosyna in annuis scutis sexaginta, ut in *lib.* 76. *Decr. pag.* 369. idemque responsum subinde fuit in *Aretina* 17. *Augusti ejusdem anni pag.* 465.

Ex hiis inferri posset acceptationem celebrationis, & applicationis dictæ Missæ quotidianæ factam a moderno Cappellano *ad formam juris*, *& Constitutionum Synodalium* admittendam esse, ut in simili casu respondit Sacra hæc Congregatio *die* 26. *Januar.* 1644. *in quadam Romana*, in qua proposito dubio -- *An acceptatio legatorum pro certo numero Missarum annuarum, ad quarum celebrationem fructus relicti non sunt sufficientes, & nomine Rev. Fabricæ interpellantur Legatarii, an velint illa Legata acceptare, et ipsi respondent, se velle acceptare animo obtinendi reductionem, sit de jure admittenda* -- rescriptum fuit -- *acceptationem ut supra expressam de jure admittendam esse* -- ut ex *lib.* 17. *Decr. pag.* 269.

Verum tria adversus hæc potissimum opponuntur; Primo, quod Cappellanus pro celebratione, & applicatione dictæ Missæ quotidianæ, computatis antiqua dote scutorum vigintiquatuor, ejusque augmento in scutis triginta sex constituto, reipsa percipiet scuta sexaginta, itaut satisfactum videatur Indulto Benedictino, necnon Archiepiscopi Decreto ad illius normam edito.

Secundo, quod pro augmento dotis dictæ Cappellaniæ traditi, vel assignati non fuerunt a Testatore Fundi, quorum redditus progressu temporis diminui possint, sed annua scuta triginta sex, absque ullo detrimenti, aut diminutionis periculo debent ab Hæredibus in perpetuum solvi, adeoque onus prædictæ Misse quotidianæ reduci nequeat ad rationem prætensæ eleemosinæ perpetuæ, quemadmodum in specie resolvit Sacra hæc eadem Congregatio in *Romana Reductionis oneris Missarum* 22. *Martii* 1732., *et in alia Romana* Reductionis *oneris Missarum* 28. *Februarii*. 1733.

Et tertio demum, quod reductio Missarum eo minus sit admittenda, quia, recusante Cappellano numerum a Testatore præscriptum adimpleri, commode possit per alios Sacerdotes ab Hærede seligendos earum integra celebratio obtineri, quod pro causa validissima non reducendi Missarum onera generaliter ponderant *Navarr. cons.* 10. *de celebr. Miss.*, *et Amostaz. de caus. piis lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 34.

Cæterum ad absolutam Causæ decisionem neque omittenda penitus videtur altera inspectio, num potius teneatur Patronus, ultra sæpedicta scuta vigintiquatuor antiquam Cappellaniæ dotem, alia scuta sexaginta persolvere, quemadmodum statim post obitum Testatoris ea solverunt Executores Testamentarii, vel quia nota iis aliunde foret mens Testatoris ita volentis, vel quia sic de jure faciendum esse crediderint, etiam inspectis Codicillorum verbis, ob privilegium Causæ piæ, pro cujus adimplemento, ubi major summa est necessaria, debet ab hærede suppleri, juxta *Roman. in suo singul. consil.* 43. *quem sequitur Tiraquell. de privileg. causæ piæ privileg.* 63. *in fin.*

Omnibus itaque perpensis, placeat Eminentiis VV. decernere.

I. *An Missa quotidiana fundata in Altari S. Gregorii sine onere applicationis imposterum applicari debeat, stante augmento scutorum triginta sex*; & quatenus negative.

II. *An liceat Cappellano applicare numerum Missarum correspondentem taxæ Diœcesanæ, vel potius liceat Patrono per alios Sacer-*

cerdotes benevisos adimplere celebrationem Missarum quotidie cum illarum applicatione in casu &c.

Ad primum Affirmative. Ad secundum provisum in primo.

FIRMANA CATHEDRATICI. In Congregatione Particulari super Cathedraticis pridem a Sanctissimo D. N. deputata quatuor ad instantiam Promotoris Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Firmanæ die 29. *Aprilis* 1731. contra Collegiatam Murri Vallis propositis Dubiis nimirum I. *An Beneficia, quæ sunt ad collationem Capituli Firmani, præter solutionem census, quam ei facere solent, teneantur etiam solvere Cathedraticum Reverendissimo Archiepiscopo*. II. *An Cappellæ, & Confraternitates Laicales teneantur solvere Cathedraticum*. III. *An Cathedraticum jam in certa summa taxatum, & solvi consuetum potuerit augeri*. IV. *An augmentum hactenus exactum veniat restituendum* -- responsum fuit Ad I. *Affirmative* -- Ad II. *Cappellanias, & Confraternitates Laicales non teneri* -- Ad III. *Negative* -- Ad IV. *Affirmative*. Totidemque pariter propositis contra Collegiatam S. Elpidii, scilicet -- I. *An Capitulares, & Beneficiati S. Elpidii, quatenus habeant Præbendas distinctas a Massa communi teneantur solvere Cathedraticum pro qualibet eorum Præbenda ultra Cathedraticum in communi*. II. *An antiqua, seu potius nova taxa Cathedratici etiam quoad Beneficia extra gremium dictæ Collegiatæ, & Loca Pia dictæ Terræ sit exequenda* -- III. *An Beneficia, & Loca Pia de præterito non taxata pro Cathedratico teneantur imposterum illud solvere, & ad cujus taxæ rationem* -- IV. *An constet de attentatis* -- prodiit Rescriptum -- Ad I. *Negative*. Ad II. *antiquam Taxam esse servandam* -- Ad III. *ad mentem* -- quæ fuit, ut *servetur dispositio Concilii Romani* -. Ad IV. *Negative* -, ac deinde reproposita Causa, *dies Octobris* ejusdem anni responsum fuit -- *In Decisis in omnibus, & amplius*. Sess. 24. c. 13. de ref.

Ad normam istarum Resolutionum cæperat Archiepiscopus Cathedraticum exigere; sed paulo post nempe sub initium *anni* 1732. ab eadem particulari Congregatione deputata datæ sunt ei literæ, quibus demandatum fuit, ut elencum omnium Ecclesiarum, Beneficiorum, Cappellaniarnm, & Confraternitatum totius Diœcesis una cum Taxa Cathedratici antiqua & moderna transmitteret, interea vero supersederet in ejusdem Cathedratici exactione ab illis Ecclesiis, quæ illud olim non solvebant, quæque dumtaxat vi memoratæ resolutionis taxatæ fuerant.

Jussa faciens Archiepiscopus petitum transmisit elencum, quo recepto, Sacra eadem Congregatio ei rescribi mandavit; Primo, „ ut pro „ nunc exigeret Cathedraticum ab iis Ecclesiis, & Beneficiis in nova descriptione indicatis, quorum annui redditus, deductis oneribus, excederent summam scutorum quindecim; *Secundo*, ut „ respectu Cappellaniarum, quæ ante Concilium Romanum, & „ Provinciale respective, Cathedraticum non solvebant, illæ eidem „ Cathedratico subesse deberent quatenus haberent propriam, & „ veram naturam Beneficii Ecclesiastici & deductis oneribus, ut supra, gauderent annuis redditibus ultra dictam summam scutorum „ 15.; *Et tertio demum*, quod respectu Confraternitatum Sacram „ Congregationem melius instructam redderet, explicando scilicet, „ an, & quæ ex illis erectæ essent auctoritate ordinaria, quænam

,, haberent annexam Ecclesiam publicam, vel non, ac denique, an
,, eorum redditus, qui descripti apparebant in præfato elenco, spe-
,, ctarent ad ipsas Confraternitates, uti tales, vel potius ad Eccle-
,, sias, quarum administratio reperiebatur penes eadem Sodalitia.

Hisce pariter mandatis obtemperans Archiepiscopus prædictis omnibus postulatis respondere fategit, suis ad hanc Sacram Congregationem (cui fuerunt interea temporis controversiæ omnes de Cathedraticis a SS. remissæ) sub *die* 30. *Augusti* 1733. datis literis, quibus cum arbitretur, satis instructam redidisse eamdem Sacram Congregationem de iis, quæ Causæ decisioni viam sternere possunt, ut tandem libera fiat potestas exigendi ab omnibus petitum Cathedraticum, Dubiis infra describendis responderi postulat.

Sane quod attinet ad primum; cum Cathedraticum debeatur Mensæ Episcopali in signum honoris, & subjectionis, juxta sancita in *cap. Conquerente*, *de Offic. Ord. in can. placuit*, *& in can. inter cætera* 10. *quæst.* 3. non videtur ambigendum, quin etiam Beneficia quorum redditus non excedunt annua scuta 15., illud solvere teneantur. Sola igitur quæstio constitui posset in summa, qua sit solvendum; sed hoc quoque sancitum reperitur in Concilio Romano *cap.* 4. *tit.* 8., ubi inter cætera definitum est, ut Beneficiis, quorum redditus sunt infra decem scuta, duo julii erigatur.

Ad resolutionem vero subsequentium dubiorum, quæ respiciunt Confraternitates ordinaria auctoritate erectas, vel propriam habentes Ecclesiam, vel simplicem tantum Cappellam in honorem Sancti, sub cujus titulo sunt erectæ, conferre posse videntur tum ea, quæ nuperrime ponderata sunt in *Maceraten. Cathedratici proposita die* 8. *Maii proxime præteriti*, tum ea, quæ tradit *Fagnan. in d. cap. conquerente*, *num.* 10., *& num.* 43. ubi loquendo de Regularibus hæc habet ,, Nota primo differentiam inter eorum Monasteria, & eorum Cappellas; Mam Monasteria ad Cathedraticum, non tenentur. Cap-
,, pellæ vero hoc nomine tenentur solvere duos solidos &c. ratio dif-
,, ferentiæ est quia Monasteria exempta sunt a lege Diœcesana, sed
,, eorum Cappellæ secus,

Jura Archiepiscopi, cui nemo hactenus contradicit, circumferuntur. Ex iis itaque decernendum erit.

I. *An Beneficia*, *quorum redditus non excedunt annua scuta* 15., *deductis oneribus teneantur solvere Cathedraticum*, *& in qua summa in casu*, *&c.*

II. *An Confraternitates erectè auctoritate ordinaria*, *& habentes propriam Ecclesiam teneantur solvere Cathedraticum in casu &c.*

III. *An ad solutionem Cathedratici teneantur etiam Confraternitates non habentes propria Ecclesiam*, *sed simplicem tantum Cappellam in honorem Sanctorum*, *sub quorum titulo sunt erectæ*, *in casu &c.*

Ad primum, & secundum Affirmative: Ad tertium Negative, & amplius.

Sess. 25. c. 4. de ref. ASCULANA LEGATORUM. Franciscus Tinellus die 8, *Januarii* 1652. per irrevocabilem donationem inter vivos assignavit pro dote Beneficii manualis erigendi in Ecclesia SS. Trinitatis loci Ophidæ rubra novem Terreni in eodem loco siti cum reservatione Jurispa;

rispatronatus favore suorum Descendentium, ac onere Cappellanis injuncto erogandi quotannis duo scuta pro duobus Anniversariis explendis in Ecclesia S. Augustini, celebrandi tres Missas qualibet hebdomada, necnon tradendi singulis annis tres metretas olei Patribus Cappucinis pro eorum Lampade. Deinde vero memoratus Franciscus in suo Testamento reliquit cum oneribus mox expressis aliud Prædium rubrorum undecim, immutato tamen Cappellaniæ titulo in Primogenituram, ad quam vocavit Primogenitum suæ familiæ in infinitum, imposita eidem lege solvendi quolibet anno Patribus Cappucinis bina scuta, quibus compararetur cera pro servitio eorum Ecclesiæ.

Mortuo Testatore, Achilles ejus Frater, & Dominicus, ac Philippus ejusdem Achillis Filii hæredes instituti demandatam pii operis executionem protraxere, donec Philippus, nomine etiam fratris, & cohæredis anno 1667. comparuit coram Vicario Generali Asculano petens ab eo declarari, quænam ex dictis duabus Dispositionibus esset attendenda, & num Cappellania, vel potius primogenitura erigi deberet; Cumque Vicarius Generalis pronunciaverit, attendendam esse Donationem, nec ulla in consideratione habendum fore Testamentum, nisi declarative tantum in partibus Donationi non adversantibus, adeout Dos Beneficii non deberet excedere quantitatem rubrorum undecim, Prædium huic quantitati correspondens fuit ab Hæredibus Cappellaniæ assignatum.

At vero, cum anno 1711. Cappellania possideretur a Francisco Tinelli, Dominicus ejus Pater hæres mediatus Francisci Senioris Cappellaniæ Institutoris sub expositione, quod ejus fructus essent adeo imminuti, ut vix sufficerent pro eleemosyna Missarum, quarum celebratio fuerat Cappellano injuncta, quodque ipse de bonis propriis supplere non teneretur, *die 5. Septembris ejusdem anni* 1711. obtinuit ab hac Sac. Congregatione rescribi Episcopo Asculano, ut: *veris existentibus narratis, & vocatis, si qui fuerint vocandi, ac soluta eleemosyna annui Anniversarii, reliquos redditus in celebratione tot Missarum ad rationem eleemosynæ manualis, inspecto regionis more, pro suo arbitrio, & conscientia gratis erogari mandet.*

Conforme huic Rescripto Decretum edidit Episcopus Asculanus, quo factum est, ut abhinc neque Rector pro tempore Cappellaniæ, nec ullus de Domo, & Familia de Tinellis quidquam, aut olei, aut pecuniæ pro emenda cera tradiderit Patribus Cappuccinis, ad quorum propterea, sive eorum Syndici instantiam præsens Causa hodie proponitur.

Plura sane ad ejus decisionem sunt inspicienda; Primo nempe, an Cappellaniæ Institutor unicum, vel duo Prædia voluerit pii operis adimplemento subjicere; secundo, quæ ratio habenda sit de Decreto Vicarii Generalis edito anno 1667. Tertio, num aliqua concurrat observantia declarativa duplicis legati: Quarto, an bona pro opere pio relicta demonstrative, seu potius taxative fuerint assignata; & demum, an aliquod intercesserit obreptionis, vel subreptionis vitium in reductione onerum, & Missarum ab hac Sac. Congregatione annn 1711. impetrata.

Pro PP. Cappuccinis jura circumferuntur. Pro Hæredibus vero Institutoris Beneficii, ejusdemque Rectore nihil hactenus deductum est. Onus itaque erit Eminentiarum VV. decidere.

I. An

I. An ex vi donationis, & Teſtamenti quondam Franciſci Tinelli debeatur PP. Cappucinis tam annua præſtatio olei, quam altera ceræ, vel potius unica, & qualis.

II. An annua præſtatio olei debeatur a Rectore Beneficii inſtituti a dicto Franciſco Tinelli, & altera ceræ a Poſſeſſore Primogenituræ, ſeu potius utraquæ, vel ab eodem Rectore, vel a d. Poſſeſſore Primogenituræ, vel ab Hæredibus dicti Franciſci.

III. An, attenta Miſſarum reductione facta ab hac Sac. Congregatione anno 1711. cenſeatur ſublatum onus, vel utriuſque prædictæ annuæ præſtationis, vel unius ex eis in caſu &c.

Ad primum, & ſecundum proviſum in tertio. Ad tertium attenta reductione Miſſarum facta anno 1711. neutram præſtationem deberi.

Seſſ. 7. c. 13. de refor.

LEGIONEN. DUBIORUM. In ſupplici libello Sacræ huic Congregationi porrecto expoſuit Epiſcopus Legionenſis, experientia ſibi compertum eſſe, quod aliqui ex Parochis ſuæ Diœceſis, prævio licet examine canonice electi, deinde vero confiſi fortaſſe, quod impoſterum ad examen nequeant revocari, otio torpeſcentes eo uſque paulatim deveniunt, ut literarum fere obliti ad proprias oves ſpirituali pabulo reficiendas inepti penitus evadant: Alii vero per Patronos præſentati, cum fuerint a Synodalibus Examinatoribus propter eorum imperitiam rejecti, beneficio appellationis ad Nuncium Apoſtolicum interpoſitæ, Parochiales aliquando aſſecuti, dum poſtea examinis periculum pro ſuſcipiendis Ordinibus ſubeunt, ita illiterati comperiuntur, ut ad eos admitti non poſſunt, indeque fit, ut Vicariis pro tempore deputatis moderata conſtituta mercede, reliquos ipſi Beneficiorum fructus in ſua viventes inertia percipiant, non ſine gravi Animarum ſibi commiſſarum incommodo, cui propterea proſpicere cupiens idem Epiſcopus ſapientiſſimum ſuper dubiis infra deſcribendis Eminentiarum VV. oraculum efflagitavit.

Ut autem exhibitis ſoliciti Præſulis poſtulationibus maturiori conſilio fieret ſatis, cenſuit Sacra Congregatio, rem totam perpendendam committere Eminentiſſimo Domino Cardinali Bellugæ, qui cum ſententiam ſuam in doctiſſimo Voto, quod circumfertur, diſerte aperuerit, nihil amplius deſiderandum ſupereſt, quam quod EE. VV. reſpondere dignentur.

I. An Epiſcopus Parochos tam a ſuis Prædeceſſoribus, quam a ſe examinatos, & approbatos ad novum examen revocare valeat.

II. An poſſit ad examen revocare Parochos tam generaliter in Viſitatione, quam particulariter extra illam.

III. An valeat ad hoc Parochorum examen devenire ex propria, & privata ſuſpicione illiteraturæ, & ſecundum quod pro quiete conſcientiæ ſuæ neceſſarium judicaverit, etiam nulla prævia ejuſdem defectus delatione, rumore, aut diffamatione.

IV. An, quatenus Parochi ex ſola illiteraturæ ſuſpicione nequeant ad examen revocari quoad ſcientiam, poſſint tam in Viſitatione, quam extra examinari quoad Sacros Ritus, & ea, quæ ſunt neceſſaria ad rite, & recte celebrandum Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium.

V. An

V. An, appellatione non obstante, possit Parochos recusantes examen subire, in casibus prædictis compellere per censuras, vel per suspensionem ab Officio, deputando Vicarios temporales cum assignatione congruę.

VI. An idem examen explere valeat per se ipsum, aut suum Vicarium Generalem, vel potius intervenire debeant Examinatores Synodales,

VII. An casu, quo Parochi per viam appellationis a Reverendissimo Nuntio approbati Parochialia Beneficia obtinuerint, qui deinde quadriennio, vel quinquennio elapso, vel ultra annum illis a jure concessum ad Sacrum Presbyteratus Ordinem suscipiendum ex defectu literaturæ incapaces judicentur, etiam benignę examine sæpius repetito, valeat Episcopus eos Beneficiis privare, vel potius eos tolerare debeat in possessione, & perceptione fructuum, deputando Vicarios temporales pro exercitio Curæ Animarum.

Ad primum, secundum, tertium, quartum, quintum, & sextum juxta Votum Eminentissimi Belluga. Ad septimum dilata, & videatur particulariter.

URBINATEN, In Congregatione habita die 8. Maii currentis anni proposita fuerunt hæc tria Dubia. *Sess.21.c.11 de ref.*

I. *An venditio Prædiorum Ven. Ecclesiæ S. Bartholomæi Vrbini facta favore Archipresbyteri Julii, & Jo. Mariæ de Palma sustineatur*, & quatenus negative.

II. *An venditio sit facienda favore Fratrum de Laurentiis, & pro qua summa*.

III. *An Archipresbyter Joannes Antonius Franchetti proprio, vel dictæ Ecclesiæ nomine teneatur ad expensas, damna, & interesse, in casu &c.*

Prodiit Rescriptum: Ad I. *Affirmative*: Ad II. *Provisum in primo*: Ad III. *Negative*.

Facta autem deinde Fratribus de Laurentiis facultate jura sua denuo exprimendi, cum hæc modo circumferantur, onus erit Eminentiarum VV. deliberare.

An sit standum. vel recedendum a decisis in casu &c.

In decisis, & amplius.

Die Sabbathi 21. Augusti 1734.



BARCHINONEN. MATRIMONII. In Congregatione habita die 22. Maii currentis anni actum fuit de hac Causa, propositis hisce Dubiis: *I. An Matrimonium sit validum*; & quatenus affirmative: *II. An sit consulendum Sanctissimo* *Sess.24.c.1 de Ref.Matr*

pro

pro dispensatione super Matrimonio rato, & *non consummato*: Prodit vero rescriptum: *Dilata*, & *proponatur*, *dato Defensore Matrimonii*.

Cum autem illius examen modo redintegretur. juribus, quæ pro Matrimonii validitate proponuntur, præstat adjicere binas Resolutiones Sacræ hujus Congregationis.

In Romana Matrimonii proponebatur casus conceptus his verbis. *Joanna Frontina cupiens se in Matrimonium collocare, Joannem Antonium Lucatellum ducere promisit: itaque cum eo per verba de præsenti coram Parocho, & testibus libere contraxit. Verum post triduum Matrimonio minime consummato, eadem Frontina Lucatellum e domo ejecit ea vel ex causa, quod ipsa illud contraxerat cum conditione pluries antea expressa, nimirum si scuta quatuor millia haberet. Hac igitur deficiente conditione, ut nullum, atque irritum ejusdem Matrimonium declaretur coram Domino Episcopo Perusino olim Vicesgerente, etiam, atque etiam instetit*, & Sacra Congregatio, ad quam subinde hæc controversia delata fuit, *die* 23. *Januarii* 1666. disceptato Dubio: *An constet de validitate Matrimonii*: ita rescripsit: *secundum ea, quæ proponuntur, constare de validitate Matrimonii*: ut in *lib.* 25. *Decr. pag.* 14. & *seqq.*

In altera itidem *Romana Matrimonii* facti summa hæc erat. Cajetana Muschina coram Parocho, & Testibus absolute contraxit Matrimonium cum Carolo Antonio Sanctarello, quem, ut ipsa asseruit, putabat, esse filium Gubernatoris Acumuli, necnon plura prædia possidere; postmodum autem, consummato Matrimonio, agnoscens, Carolum Antonium ex quodam Victorio Interaneorum venditore progenitum fuisse, & fortunæ bonis prorsus destitutum, postulavit, Matrimonium esse invalidum eo ducta fundamento, quod illud inierat sub conditione, quod Carolus Antonius præconceptis qualitatibus esset decoratus, quodque coram Parocho in actu explorationis voluntatis, aliisque Personis hanc suam conditionatam intentionem patefecerat: At, proposito Dubio: *An constet de validitate Matrimonii*, *die* 17. *Novembris* 1708. rescriptum fuit: *Affirmative*: ut in *lib.* 58. *Decr. pag.* 367.

Verumtamen non satis liquet, num Sacra Congregatio ad ita definiendum adducta fuerit, ex quo forsan arbitraretur, in iis facti circumstantiis non constare de asserta conditione, seu protestatione.

Placeat itaque Eminentiis VV. decidere.

I. *An Matrimonium sit validum*, & quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super Matrimonio rato*, & *non consummato in casu* &c.

Dilata, & scribatur stricte super Mandato Procuræ.

Sess. 21. *c.* 4. *de Ref.*

CASSANEN. PRÆEMINENTIARUM. Discussis in Congregatione diei 5. Junii proxime præteriti tribus hisce Dubiis.

I. An constet de matricitate, seu præeminentia cum titulo Archipresbyterali Ecclesiæ Sancti Petri Murani respectu etiam Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ ejusdem loci, seu potius e contra constet de matricitate, seu majoritate dictæ Ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ.

II. An

II. An, si utraque Ecclesia erigatur in Collegiatam, illa, quæ fuerit declarata Matrix, seu major, retinere debeat præcedentias, & prærogativas quoad omnes alias Ecclesias dictæ Terræ.

III. An, ubi constiterit de unius, vel alterius Ecclesiæ matricitate, licitum sit Clero S. Mariæ Magdalenæ recedere a concordia statuta anno 1666. itaut Processiones fieri possint separatim in casu &c. *responsum fuit ad* I. Affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam: *ad* II. Affirmative, *ad* III. Negative, & ad D. Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem.

Mens autem fuit, ut pro extinguendis penitus controversiis ab antiquissimo tempore inter hosce Cleros vigentibus, si quæpiam iniri posset conventio, qua, firma remanente præeminentia Ecclesiæ Sancti Petri, statutum foret, Processiones separatim fieri, supplicaretur Sanctissimo pro habendo ejus Apostolico assensu. Ad id nempe moti fuerant Eminentissimi PP. tum quia ipsemet Judex compromissarius dudum amicabiliter ab utraque Parte electus pro dirimendis ejusmodi litibus, tametsi declarasset in suo laudo edito die 3. Martii superioris anni, præcedentiam deberi in omnibus Congressibus Clero Sancti Petri, ita tamen subjunxit: *At vero pro bono pacis, & ad vitandas rixas, contentiones, & scandala, quæ nos attestationes, & alia documenta in actis deducta sæpissime contigisse docuerunt, ac de facili eventura esse prævidemus, & ne Cleri, ac Presbyteri utriusque Ecclesiæ simultates, & antipatias nutriant, sed ut in charitate, & pace ut Christi Sacerdotes vivant. Licet optandum esset, quod Processiones, quæ hactenus unitim factæ sunt a prædictis Cleris cum præcedentia Cleri S. Petri, aliquæ separatim fierent, & præfatus Clerus S. Petri suo Juri, in cujus possessione existit, cederet, dicimus tamen, laudamus, & arbitramur, prædictos Cleros omnino ad concordiam redigendos esse pro modo faciendi dictas Processiones*. Tum quia etiam modernus Episcopus Cassanensis in novissima sua Relatione ad Sac. Congregationem data Kalendis Maii currentis anni, ita rescripsit: *Optarem, ut ad sedandas omnino Ecclesiasticorum, ac Civium contentiones, & lites, atque, ut impostérum nullus scandalis aditus pateat, quæ præteritis temporibus in Processionibus, ac Conventu totius Cleri ejus Oppidi accidere consueverunt, trium dictarum Ecclesiarum Cleri omnino separentur, atque unusquisque in sua Ecclesia, & Paræcia sacras functiones, ac Processiones omnes perageret*.

Verumtamen cum Partes ad conveniendum super meditata Processionum separatione trahi non potuerint, altera nimirum subreptam inde sibi totius victoriæ palmam conquerente, altera vero prætensam matricitatem Ecclesiæ Sancti Petri acriter adhuc impugnante, facta idcirco est utrique potestas, etiam juxta supremum Sanctitatis Suæ Oraculum denuo super omnibus jura sua experiendi. Quare proponitur Dubium.

An sit standum, vel recedendum a Decisis, in casu &c.

Quo ad primum, & secundum in decisis, quoad Præeminentiam. Ad Tertium in decisis, & amplius.

ROMANA CAPPELLANIÆ. In Congregatione diei 22. Maii currentis anni suspensa fuit propositio hujus Causæ, in subsecuta *Sess. 25. c. 4. de ref.*

vero Congregatione diei 5. *Junii* rescriptum est: *dilatà, & exhibeatur Inventarium*, rerum scilicet repertarum in hæreditate Lauræ Muti. Cum itaque huic Decreto paruerint Hæredes, ex duplici calculo, qui circumfertur, altero nimirum exhibente dumtaxat capitalia fructifera ascendentia ad summam scutorum 30934. & altero conflato ex rebus omnibus in eadem hæreditate repertis constituente sc.60356. 58. hodie deliberandum est.

An, & quomodo sit constituenda dos Cappellaniæ, de qua agitur, in casu &c.

Dotem esse constituendam ex bonis hæreditariis Judicio Eminentissimi Executoris Testamentarii.

Sess.25. c.4. de Ref.

AVENIONEN. Novemdecim inter Canonicos, & Beneficiatos Ecclesiæ Collegiatæ S.Agricolæ proposita fuerunt Dubia in Congregatione diei 19. *Septembris* superioris anni, cumque decimum sextum ex iis peculiari tunc fuerit reservatum examini, primum hodie illud occupat locum, & una simul cum duobus aliis inter easdem Partes novissime concordatis sublimi Eminentiarum VV. judicio subjicitur.

Statum duplicis præcipuæ controversiæ non uno ex fonte manantis luculenter exponunt scripta utrinque circumferenda. Iis itaque sedulo inspectis, deliberandum est.

I. *An eleemosyna Missarum tam adventitiarum, quam fundatarum integra dari debeat Celebrantibus, vel potius an, & quæ pars detrahi possit, & in quem usum applicanda.*

II. *An Decanus, & Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Agricolæ teneantur non solum interesse Matutinis in diebus solemnibus, necnon Tertiæ, Sextæ, ac Missæ majori, & Vesperis cujuslibet diei, sed etiam quotidie Matutinis, aliisque horis, itaut, quatenus opus sit, sit standum, vel recedendum a Decisis sub die 25. Septembris* 1700. & quatenus affirmative.

III. *An, & quomodo Decanus, & Canonici non interessentes sint mulctandi in casu &c.*

Ad primum servetur solitum, dummodo pars detracta integre applicetur in beneficium Sacrarii Ecclesiæ. Ad secundum Negative, & in decisis. Ad tertium provisum in Superiori, & acquiescant.

Sess.22.Decr. de obs.& evit. in celeb. Mis. & sess. 24. c. 12. de ref.

MIRANDEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Marianna Angelica Sobral, exacto probationis anno in Conventu S. Claræ Oppidi de Braganza, solemnem in eo professionem emisit die 6. Julii 1713. Deinde vero prætendens ad illam fuisse vi, & metu adactam, impetrato sub annum 1723. Brevi Apostolicæ Commissionis Episcopo Mirandensi directo, quo jubebatur idem Episcopus, ut super precibus Oratricis: *Dummodo dicta Exponens* (sunt verba ejusdem Brevis) *Professionem hujusmodi tacite, vel expresse non ratificaverit, & tempore reclamationis plene quinquennium a die emissæ Professionis hujusmodi elapsum non esset*: quidquid juris fuerit, declararet, judicium coram eo super asserta Professionis nullitate instituit, cujus tamen exitus ipsius votis minime respondit. Compilato quippe Processu, pluribusque receptis Testibus pronuncia-

ciavit Episcopus, ob non verificatam judicialem Oratricis reclamationem intra quinquennium a die suæ Professionis, ejus precibus non esse annuendum.

Ab hac Ordinarii sententia consuetam ad S. Sedem appellationem interposuit Oratrix, cumque postmodum Sacræ huic Congregationi supplicaverit, ut injungeretur Episcopo Actorum transmissio, in ejusmodi petitione voti compos effecta fuit. Nunc igitur sub obtentu, quod nullitas ejus Professionis ex memoratis Actis ad Urbem traductis sufficienter emergat, beneficium restitutionis in integrum adversus quinquennium a die Professionis elapsum humillime implorat.

Sane in enunciato Processu plura comperiuntur, quæ Oratricis instantiæ favent. Ex decem siquidem Testibus pro illa inductis, quorum quatuor sunt Moniales ejusdem Conventus S. Claræ, tres Præsbyteri, duæ fœminæ familiares, & alter laicus pariter familiaris, habetur Patrem Mariannæ Angelicæ non solum asperis verbis, sed iteratis quoque verberibus eam pluries impulisse ad ingressum in Religionem: ipsam vero aversum semper animum a religiosi habitus susceptione ostendisse, tum eo tempore, quo degebat in præfato Conventu habitu seculari induta, tum decurrente ejus probationis anno, adeout coram altera ex iisdem Monialibus aliquando in hæc verba proruperit: *Che più tosto voleva andare a casa del Diavolo, che Monacarsi.*

Aliqui ex præfatis Testibus præcise deponunt, Fratres Mariannæ Angelicæ post obitum communis Patris defuncti, antequam ipsa religiosum habitum indueret, eam deteruisse, ne a Monasterio egrederetur, hisce verbis: *Che se mai lo facesse, l'avevano da uccidere*: Cumque, Novitiatu expleto, Oratrix e Conventu juxta morem Regionis quadam die egressa dixisset Monialibus: *restate con la pace di Dio, mentre io non sono per ritornare nel Monastero*: ejus Fratres iterum illi comminati sunt, *che, se non ritornava al Monastero, l'avevano da uccidere.*

Postmodum vero ad Monasterium reversa, juxta concorde trium Testium examen, paulo ante Professionem tres ex Monialibus ita rogavit: *Che li servissero di Testimonio in come ella andava a professare involontaria, costretta, ed obligata.*

Neque deficiunt ea, quæ tacitam, vel expressam Professionis ratificationem videntur excludere. Nonnulli quippe ex iisdem Testibus referunt, Oratricem post emissam Professionem onera Monialibus injuncta, & consueta Religiosæ Communitatis munia subire noluisse, tum Choro interesse, tum recitationem Officii plerumque detrectasse, dato cæteris Monialibus hoc responso: *Ditelo voi per me, per quanto non essendo io Monaca, non son tenuta.*

Et tandem, ut doceatur, eamdem intra quinquennium a die Professionis judicialiter reclamare studuisse, proferuntur aliqui Testes expresse dicentes, quod Marianna Angelica, præfato quinquennio nondum exacto, omnem adhibuit diligentiam, ut ab urbe impetraret Apostolicum Breve, cujus præsidio Professionem suam impugnare valeret, sed contra nitentibus ejus Consanguineis, nullatenus id assequi potuerit.

Hæc ea sunt; quæ habentur a Testibus pro Oratricis inductis, quæque ejus petitioni patrocinantur.

At vero, cum ad instantiam Promotoris Fiscalis præter mox dictos

Teſtes alii plures fuerint examinati, & ſignanter duodecim Moniales, iſtæ fere concorditer deponunt, Mariannam Angelicam *die 6. Julii* 1713. ſolemnem profeſſionem emiſiſſe, *con guſto, piacere, volontariamente, e con deſiderio*: Proceſs. fol. 110. tergo uſque ad fol. 149. idemque teſtatur Franciſca Pirez, quæ munus Factoris dicti Monaſterii exercebat, Proceſs. fol. 150. quinimmo etiam Sacerdos Emanuel Teyxecpa Teſtis ab Oratrice inductus referens ſe aſtitiſſe ejus Profeſſioni inquit Proceſs. fol. 78. *Aveva veduto, che non ei fù niuna repugnanza, e che l'aveva fatto, come l'altre Monache*.

Præterea plures ex iiſdem Teſtibus comprobant, Oratricem, peracta profeſſione, biennio exercuiſſe munus Choriſtæ, eoque tempore fuiſſe: *Oſſervante della Religione, andando con riforma nel veſtito, ed abito, come perfetta Monaca, aſſiſtendo con ſollecitudine, e zelo al Coro, ed altre funzioni della Religione, moſtrando in tutto piacere del ſuo ſtato*, ut ex Proceſs. fol. 121. & aliis ſeq. quin vero ipſamet Oratrix falſa eſt in ejus examine Proceſs. fol. 108. & ſeqq. *che dopo profeſſa continuò gl'anni di Coriſta, quali adempì, che ſono due, ſecondo lo ſtile di detto Monaſtero, andando in detto tempo in abito da Monaca profeſſa, e nella forma dell'altre Monache &c. ch'era ſtata Infermiera, e Diſpenſatrice del Refettorio &c.*

Deponunt ulterius præfati Teſtes, Oratricem proprio ſuffragio concurriſſe ad electionem Abbatiſſæ, & idipſum habetur pariter ex ejus ore dicentis d. fol. 108. *che confeſſava avere votato, due in tre anni ſono, nella elezione dell'Abbadeſſa, e che non ſolamente votò in detta elezione, ma anche in altre occaſioni, nelle quali e ſolita votare la Comunità, e che ciò ſolamente lo fanno le Monache profeſſe, e che dopo avere profeſſato, che ſaranno da dieci anni incirca, ſempre andiedi in abito di Monaca profeſſa*.

Tandem conſentanee ad hæc ſcribit Epiſcopus, quod Marianna Angelica, ſolemnem emiſerit profeſſionem, ut moris eſt, menſe Julii anno 1713. ex quo tempore ad annum uſque 1722. cum cæteris Monialibus communiter vixit, obſervantiæ regulari ſedulo incubuit, habitum Profeſſarum continue detulit, Officium quoddam Monaſterii ſponte ſubivit, & exercuit, & in electione cujuſdam Abbatiſſæ tamquam vera Monialis ſuffragata eſt, cæteraſque functiones a Monialibus profeſſis obiri ſolitas tunc peregit: ex quo non leve educitur argumentum, primam illam profeſſionem, ſi forſan nulla eſſet, ratificaſſe, proindeque tacitam, & implicitam noviter emiſiſſe.

Cumque idem Præſul optime noverit, magnum conſtitui poſſe momentum ſuper aſſertis Mariannæ reclamationibus, per hæc verba Relationem ſuam proſequitur. Accedit præterea maxime dignum cogitatu; talis quippe Fœmina nunquam de annullanda profeſſione juridice tractavit, nedum requiſivit, nec coram nobis Ordinario ſuo reclamavit, tam ante, quam poſt elapſum quinquennium, niſi tranſactis jam tribus annis poſt latam contra ſe juſtam ſententiam, cujus vigore carceri per decennium addicta, & mancipata fuit a nobis præter alias pœnas pro gravioribus a jure ſancitas, & imponi ſolitas &c. poſtea vero, prout non temere licet conjectare, ut prædicta Puella carceris durationem, & aſperitatem, cæteraſque pænas ſibi de jure impoſitas devitaret, hoc medium aſſumpſit irritandi profeſſionem.

Hiſce

Hisce igitur in facto animadversis, ac una simul perpensis iis, quæ fusius pro Marianna Angelica deducuntur, inspiciendum est, num magis conveniant hypothesi circumstantiæ, quibus Sacra hæc Congregatio mota fuit ad concedendam restitutionem in integrum Monialibus illam petentibus, *in Mantuana restitutionis in integrum die* 7. *Decembris* 1715. *lib. Decr.* 65. *fol.* 479., & *in Perusina Nullitatis Professionis die* 8. *Augusti* 1716. *lib. Decr.* 66. *fol.* 343. *&* 344., vel potius illæ, ob quas censuit, eam esse denegandam *in Fesulana Restitutionis in integrum die* 17. *Novembris* 1708. *lib. Decr.* 58 *fol.* 367., *in Sancti Miniatis Restitutionis in integrum* 13. *Martii* 1713. *lib. Decr.* 63. *fol.* 193., *&* 194., & *in Lucana Restitutionis in integrum die* 6. *Junii* 1716. *lib. Decr.* 66. *fol.* 263.

Id autem manet sub judicio Eminentiarum VV., a quibus exquiritur. *An sit concedenda restitutio in integrum in casu*.

/

Non proposita cum sequentibus.

FIRMANA VOCIS IN CAPITULO. Sixtus V. Pontifex in Oppido Murri Vallium Parochialem Ecclesiam S. Bartholomæi anno 1586. erexit in Collegiatam insignem, eique nonnullas alias addixit Parochias, & Beneficia quædam simplicia, quorum proventus, & emolumenta jussit, servata proportionis norma, distribui in Præpositum, octo Canonicos, tres Mansionarios, totidemque Clericos Beneficiatos, ex quibus constare voluit eamdem Collegiatam. *Sess. 25. c. 6. de ref.*

Postmodum vero tribuitam Præposito, & Canonicis, quam Mansionariis, & Clericis Beneficiatis facultatem capiendi possessionem Bonorum, quæ dictæ Collegiatæ incorporata fuerant, eaque perpetuo retinendi ibi - *Ita quod liceat Præposito, Canonicis, & Beneficiatis prædictis Parochialium Ecclesiarum, & Beneficiorum, ac Bonorum quorumcumque per se, vel alium, seu alios eorum, & dictæ mensæ nominibus libere apprehendere corporalem possessionem, & perpetuo retinere*.

Et demum indulsit, Præposito, Canonicis, & Beneficiatis prædictis, ,, ut possint pro dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, illiusque rerum, ac Bo- ,, norum felici directione, prosperoque statu, ac conservatione, & ,, Ministrorum pace, & tranquillitate quæcunque licita, & honesta, ,, sacrisque Canonibus, & Concilio Tridentino non contraria Statu- ,, ta, & ordinationes felix hujusmodi Collegiatæ Ecclesiæ, Perso- ,, narumque, & Bonorum ipsius regimen concernentia condere, & ,, conditas toties, quoties, & quando eis videbitur, seu expediens ,, fuerit, in toto, vel in parte mutare, corrigere, extendere, ac ,, in melius reformare ,, sunt verba Bullæ erectionis.

Ad normam ejusmodi Bullæ Mansionarii Collegiatæ hujus Ecclesiæ contendentes, se esse de Capitulo, ac proinde ad suffragium ferendum semper admitti debere in omnibus Capitularibus negotiis, & actibus superiori anno protestationem coram Vicario Foraneo emiserunt adversus Capitulares Resolutiones, quas sine eorum interventu in Capitulo, & voto a Canonicis imposterum fieri contingeret, subindeque ex contrario Canonici authumantes Mansionarios in quocumque actu, & negotio esse a Capitulo arcendos, curarunt expedire Monitorium coram A. C. super manutentione in asserta eorum possessione inter-

interveniendi Capitulo, & votum ferendi privative ad eosdem Mansionarios.

At, cum prævia Monitorii moderatione, Causæ hujus cognitio ex Decreto Eminentissimi Pro-Auditoris Santissimi fuerit Sacræ huic Congregationi commissa, exquisitum fuit votum Archiepiscopi Firmani, qui censet, Mansionarios non posse Capitulo interesse, multoque minus suffragii jure potiri.

Hisce in facto præjactis, Cononici in jure proponunt regulam juxta quam Beneficiati, aut Cappellani, sive Mansionarii non sunt de gremio Capituli, nec appellatione Capituli comprehenduntur, *Glos. in cap. penult. verb. Assisios. de Cleric. non resident. ibique Abb. nu. 9. Butr. nu. 8. Reinffestuel in jus Can. lib. 3. tit. 11. nu. 4. in fin.*: & consonant Decreta Sacræ hujus Congregationis *in Januen. Cappellaniarum* 24. *Augusti* 1680. *&* 5. *Junii* 1681., eamque confirmare satagunt tum ex Decreto sub annum 1629. edito a Joanne Baptista Rinuccino tunc temporis Archiepiscopo Firmano, qui de mandato Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium negotiis præpositæ ad sedandas nonnullas contentiones inter Præpositum, & Canonicos exortas declaravit, Mansionarios non debere Capitularibus Congregationibus interesse; tum etiam ex eo, quod iidem Mansionarii, paucis exceptis actibus, non consueverint Capitulo interesse, nec votum in actibus Capitularibus præbere.

Mansionarii autem, præmisso in facto, quod sibi tributa fuerit facultas capiendi capitulariter cum Canonicis possessionem bonorum Ecclesiæ, seu Capituli, eaque perpetuo retinendi, necnon Statuta, & ordinationes quascumque Capitulares condendi, easque subinde valeant ex Pontificio Indulto moderari, seu immutare, & demum, quod Summus Pontifex in Bulla erectionis loquendo de Præposito, Canonicis, Mansionariis, & Clericis Beneficiatis eosdem subinde expresserit sub nomine Capituli, inferunt, se juxta prædictam Bullam Constituere una cum Canonicis Capitulum, proindeque sibi competere jus suffragii ferendi in omnibus negotiis Capitularibus; Privilegio enim, aut legitima consuetudine concurrente, repelli non possunt Beneficiati, aut Mansionarii a suffragio ferendo una cum Canonicis, uti tradunt *Barbos. de Can. & dignit. cap.* 37. *n.* 17. *Pascucc. ad Pignatell. de praemin. fol. mihi* 219. *n.* 2. *Eminentissimus Petra ad Constit.* 1. *S. Leonis Magni sect.* 2. *n.* 14. *tom.* 1. *Rot. d.* 77. *&* 85. *cor. Cavaler.*

Favet itidem Mansionariis sensus Sacræ hujus Congregationis, quæ, adstipulante Privilegio, semper jussit Mansionarios admitti una cum Canonicis ad Capitulum, ibique votum proferre, & signanter in *Montis Pullusii 6. Junii* 1682. *lib.* 32. *Decr. pag.* 297. *in Asten. Statutorum* 7. *Junii* 1688., ubi ita rescriptum fuit *Ad I. affirmative, nempe Cappellanos habere vocem in Capitulo, quatenus Cappellaniæ, seu Beneficia conferantur in titulum, & non possint libere dimitti -- in Vigilien.* 31. *Januarii d. anni* 1688. *&* 14. *Martii* 1689. *&* novissime *in Fanen.* ubi disceptato dubio -- *An, et quibus actibus liceat Mansionariis Ecclesiæ Collegiatæ SS. Christophari, et Constantii interesse Capitulo, ibique suffragium ferre una cum Canonicis -- die* 16. *Junii* 1731., non obstante contraria consuetudine cui potissimum nitebantur Canonici, responsum fuit -- *Affirmative in omnibus ad formam Bullæ.*

Cæterum, prætermissis iis, quæ Mansionarii adversus dictum Decretum

tum Archiepiſcopi Rinuccini, & aſſertam contrariam obſervantiam late exponunt, quia commodum Maſſę communis ſpectat tam ad Canonicos, quam ad Manſionarios, inſpiciendum ſupereſt, num ex eo, quod prædictis Manſionariis facta fuit facultas capiendi poſſeſſionem Bonorum ad Maſſam communem ſpectantium, eaque perpetuo retinendi una cum Canonicis, ſatis conſtet, Manſionarios ſuffragii jure potiri ſaltem in iis, quæ eamdem Maſſam communem concernunt, cum de cætero adminiſtratio Maſſæ communis competat ſolum Canonicis, ubi eadem Maſſa ſit conflata non ex bonis tam Canonicorum, quam Manſionariorum, ſed ex bonis Eccleſiæ, & Manſionari, dumtaxat audiendi ſint, ſi velint adminiſtrationem a Canonicis geſtam explorare, aut aliquid adverſus illam opponere *Abb. in cap. Cum omnes, num. 5. verſ. Nunc diſcurrendo. De Conſtit. ibique Innoc. n. 3. Eminentiſſimus Petra ad Conſtit. 1. S. Leonis Magni ſect. 2. num. 13. tom. 1. Caputaquen. d. 8. ſub. num 6. Rot. dec. 57. n. 6. cor. Cavaler.*, & ita reſolvit Sacra Congregatio *in Aſten. Statutorum* 12. *Julii* 1682.

Diſcutiendum itaque erit.

An Manſionarii habeant jus interveniendi, & votum ferendi una cum Canonicis in capitulo in caſu &c.

FIRMANA ERECTIONIS CANONICATUS. Matthæus Ventura Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ S Bartholomæi Murri Vallium in teſtamento ſub annum 1678. condito eidem Collegiatæ, illiuſque Capitulo, quod hæredem ex aſſe ſcripſerat, injunxit onus *di erigere nella detta Chieſa una Cappella, o nell' Altare della SS. Croce, o in altro Altare ad Arbitrio del Capitolo, ed ivi far celebrare due Meſſe alla ſettimana, una cioè nel Mercordì, l' altra nel Sabbato, e quattro Officii l' anno &c. in altri giorni di dieci Meſſe l' uno, dando facoltà al ſudetto Capitolo per tale effetto di ſpendere della mia eredità da ſcudi* 100. *col ritratto della mia Caſa, e de' mobili ereditarii da alienarſi per queſto ſolo effetto* -- ſunt verba teſtamenti. *Seſs. 22. c. 3. de ref.*

In Codicillis vero, quos condidit anno 1689., ita cavit -- *In primis, cum idem admodum R. D. Canonicus Matthæus de Venturis prædictus recordetur, ut ſupra, & ſciat, in dicto teſtamento ordinaſſe per prædictos admodum RR. DD. Canonicos, & Capitulum S. Bartholomæi Murri Vallium prædicti tanquam ejus hæredes erigendam fore, ut ſupra unam Cappellaniam cum onere celebrationis Miſſarum, erectionem Altaris Santiſſimæ Virginis Carmelitanæ, ut in dicto Teſtamento, ad quod &c. necnon dicto Jacobo Nardo reliquiſſe ſcuta quinque, & cum dictam erectionem fecerit, & circa dictum legatum ſcutorum quinque ejus voluntas ſit mutata, propterea eadem duo legata revocavit, & revocat, nolens dictos admodum RR. DD. Canonicos, & Capitulum dictam erectionem cum dicto onere facere, d.ctaque ſcuta quinque tradere dicto Jacobo amplius teneri.*

Archiepiſcopus Firmanus ad inſtantiam Canonicorum dictæ Collegiatæ novum erexit Canonicatum ex prædictis hæreditariis bonis Canonici Venturæ, injuncto novo Canonico onere celebrandi prædictas Miſſas, & Officia, quæ antea communiter a Canonicis, & Manſionariis cum æquali emolumenti portione celebrari conſueverant, eidemque novo Canonicatui addixit cenſum in ſorte ſcutorum ſeptuaginta quin-

quinque, qui ad Massam communem spectabat, nec non Bona, quæ Capitulum consuevit constituere ei, qui Canonicorum Parochum in exercitio Curæ Animarum coadjuvabat, & demum novum Canonicum admisit ad æqualem participationem distributionum quotidianarum, sub onere tamen auxiliarem opem ferendi eidem Canonico Parocho in iis, quæ Animarum curam concernunt.

At Mansionarii, sequuta vacatione hujus Canonicatus superiori anno controversiam super validitate erectionis ejusdem Canonicatus instituerunt adversus Canonicos, eosque subinde provocarunt coram Sacra hac Congregatione, in qua, habita Relatione Archiepiscopi, qui in eo totus est, ut sustineat erectionem a se factam, modo disceptandum proponitur infrascriptum Dubium.

Porro ad decisionem præsentis controversiæ duo potissimum sunt ponderanda; primo, an afferta Canonicatus erectio invalida existat ex eo quod peracta fuerit absque assensu, & voto Mansionariorum. At id unice pendet ab inspectione, de qua in antecedenti *Causa Firmana Vocis in Capitulo* actum est, num scilicet iidem Mansionarii habeant indistincte vocem in Capitulo, vel saltem in iis, quæ concernunt Massam communem, & in quibus detrimentum sibi potest irrogari; cum de cætero certum sit, quod Episcopus nequeat certum Canonicorum numerum in Collegiata augere absque consensu, & voto Capituli, *Felyn. in cap. Cum accessissent n.* 15. *de Constit. Fagnan. in cap. Dilecto n.* 18. *de Præben.* & ita resolvit Sacra hæc Congregatio in *Clodien.* 5. *Julii* 1608., *in Mazarien.* 20. *Septembris* 1692. *in Sabinen.* 14. *Aprilis* 1690. *& in Aquinaten.* 20. *Februarii* 1677. ubi, disceptatis binis hisce Dubiis -- *I. An possit Episcopus erigere Præposituram secundam dignitatem in dicta Collegiata. II. An in eadem, in qua non est præfinitus Canonicorum numerus possit erigere Canonicatum* -- rescriptum fuit *Ad utrumque affirmative de consensu Capituli* --: ita ut erectio novi Canonicatus facta, inconsultis, & dissentientibus iis, qui sunt de Capitulo, vel in eo vocem habent, irrita prorsus, & invalida sit, juxta regulam, de qua *in cap. Bonæ memoriæ* 36. *in cap. Venerabilem* 34. §. *Objectioni & in cap. Quod sicut* 28. *de elect. &* respondit Sacra Congregatio *in Aretina declarationis, seu Commutationis Voluntatis* 29. *Novembris* 1698. *& in Maceraten. Commutationis Voluntatis* 30. *Augusti* 1704. *lib.* 54. *Decr. pag.* 348.

Secundo, an dato etiam, quod accessisset consensus Capituli, potuisset Archiepiscopus augere prædictum Canonicorum numerum in dicta Collegiata; Mansionarii enim præmisso in facto, quod Sixtus V. Pontifex in Bulla erectionis munita clausula *sublata, & Decreto irritante* præfinivit certum numerum unius nempe Præpositi, octo Canonicorum, trium Mansionariorum, totidemque Clericorum Beneficiatorum, quodque proventus Ecclesiæ non fuerint aucti, sed potius imminuti, inferunt, eumdem Archiepiscopum non potuisse dictum Canonicatum valide erigere, ad Textum *in cap. transmissæ de V. S. Abb. in cap. Cum accessissent de Constit. Gonzal. in cap.* 1. *de Instit. n.* 8. *& in cap. Ex parte de Constit. Barbos. de Canonic. & Dignit. cap.* 3. *n.* 2. *&* 3. *Card. de Luca de Canonic. disc.* 6. *n.* 8. & ita rescriptum fuit ab hac Sacra Congregatione *in Grossetana Erectionis Canonicatuum* 19. *Junii* 1706.

Præterea Mansionarii nituntur ostendere detrimentum, quod sibi obvenit

nit ex controversa Canonicatus erectione, illudque desumunt tum ex eo, quod eadem erectio peracta fuit ex Bonis hæreditariis Canonici Venturæ, quæ sibi, & Canonicis erant communia; tum ex eo, quod præter Bona, quæ antea pro illius congrua sustentatione assignabantur Vice-Curato, census in sorte scutorum septuaginta quinque novo Canonicatui addictus fuerit, tametsi ille ad Massam communem spectaret; & denique assertum damnum colligunt ex admissione novi Canonici ad participationem distributionum quotidianarum absque eo, quod pro eisdem distributionibus in communem illarum Massam fuerit quidquam collatum: & tamen novum Canonicum non participare de distributionibus quotidianis, nisi in earum Massam portionem aliquam contribuerit, rescripsit Sacra hæc Congregatio *in Alatrina Erectionis Canonicatus* 8. *Februarii* 1727. *lib.* 77. *Decr. pag.* 105., *& in Sabinen. Erectionis Canonicatuum* 18. *Novembris* 1730. *lib.* 80. *Decr. pag.* 366.

E contra vero Canonici admittentes, Episcopum novos Canonicatus instituere non posse, nisi accedat Capituli consensus, & auctæ fuerint Ecclesiæ facultates, ajunt Capitulum, quod ex solis Canonicis componi asseritur, illius assensum controversæ erectioni præbuisse, proventus Ecclesiæ auctos fuisse ex Bonis hæreditariis Canonici Venturæ, & denique detrimentum, quod sibi illatum contendunt Mansionarii, compensatum iri ex eo, quod Mensa Capitularis in erectione dicti novi Canonicatus fuerit liberata ab onere cuntribuendi annua scuta duodecim Vice-Curato,

His igitur perpensis, placeat Eminentiis VV. deliberare.

An erectio novi Canonicatus in Collegiata Ecclesia S. Bartholomæi Marri Vallium sustineatur in casu &c.

PISTORIEN COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Carolus Franciscus Maria Cellesius Cathedralis Ecclesiæ Pistoriensis Præpositus in Testamento, quod fecit anno 1696., hæredem ex asse scripsit Sigismundum germanum fratrem, cui substituit personam nominandam. Postmodum vero in privata quadam schedula reperta anno 1725., quo ipse obiit, ita cautum reliquit - *Sostituisco a detto mio Fratello in detta eredità l' anima mia, ed Esecutori di detta mia volontà lascio quelli, che nominerà il medesimo mio Fratello, acciò di detta eredità, e de' suoi frutti annui faccino tanti suffragj per detta anima mia, e de' miei Antenati, e Posteri, e dell' entrate annue quelli medesimi faccino tre parti, la prima per suffragio come sopra, la seconda per mantenimento di detti frutti, e beni &c., e la terza per augumento di detti frutti.*

de Ref. c. 6. & Sess. 25 c. 4. de Ref.

Executores piæ hujus dispositionis, quos Sigismundus hæres juxta facultatem sibi a Testatore tributam paulo ante ejus obitum, qui contingit sub annum 1731., nominavit, superiori anno postularunt, ut prædicta dispositio hunc in modum commutaretur.

Primo, quod duæ dumtaxat Missæ singulis diebus celebrarentur in suffragium Testatoris, altera nempe in Cathedrali Ecclesia, altera vero in Ecclesia S. Dominici, & quatenus tertia addi vellet, ea celebrari deberet in Ecclesia Patrum Societatis Jesu, ubi Testator destinaverat celebrari Missam perpetuam ad Altare S. Josephi, juxta declarationem emissam a Sigismundo voluntatis Testatoris conscio.

Secundo, quod ex reliquis proventibus construeretur pia Domus, in

qua exciperentur Mulieres male nuptæ, necnon Puellæ, quæ honestatis jacturam fecerunt, & si quid superesset, ex eo alerentur Puellæ derelictæ, vel Orphani, aut id erogaretur in subsidium Dementium, nobilium Familiarium, quæ mendicare coguntur sive Adolescentium, qui ob rerum inopiam literarum studia prosequi non possunt.

Et demum postularunt, ut summa scutorum bis mille retracta ex venditione mobilium, & domus hæreditariæ investiretur in quoddam opus vulgo nuncupatum -- *Vallico de Seta*, ex quo multi Pauperes laborantes subventionem obtinerent, & multo major fructus perciperetur, quam ex Bonis stabilibus, censibus, seu Locis Montium.

Episcopus commendans zelum, & pietatem Executorum in litteris, quas superiori anno ad hanc Sacram Congregationem dedit, hactenus exposita confirmavit, censuitque, Oratorum precibus annuendum, ita suadente tum publica utilitate, tum etiam necessitate, in qua versatur Civitas Pistoriensis, utpote consimilibus piis Locis destituta. At, relata inter supplices libellos prædicta Executorum instantia, Sacra Congregatio *die* 14. *Novembris* ejusdem anni rescripsit -- *Lectum, & servetur dispositio Testatoris: quo vero ad Executores servetur pariter mens ejusdem Testatoris cum superintendentia Episcopi*.

Non acquiescentes huic Decreto Executores Testamentarii obtinuerunt subscribi Dubium inferius apponendum, cujus decisionem, uti votis suis conformem assequantur, dispositionem Præpositi Cellesii in qualibet fere sui parte, si ad litteram attendatur, ineptam plane, ac inutilem, quin & absurdam demonstrare conantur.

Quoad primam quippe ejusdem dispositionis partem, qua præcipitur, ut tertia reddituum hæreditatis portio singulis annis impendatur in Missam celebratione, proferunt particulam Relationis Episcopi, in qua sic legitur -- *Verum est, quod in hac Civitate, & Diœcesi multiplicata sunt, & in dies crescunt onera Missarum pro quibus adimplendis aperitur via, ut promoveantur ad Sacerdotium, qui nec adjumento, nec decori Ecclesiæ, quinimmo quandoque scandalo deserviunt, cum plerique contenti stipendio Cappellaniæ in otio vitam degant, & si solum digni, & Ecclesiæ utiles, ut parest, promoveantur, necesse erit, quod onera prædicta Missarum non adimpleta remaneant; Pro adimplendis vero oneribus Missarum juxta disposita per eumdem Præpositum Carolum &c. necesse foret augere in Civitate numerum sex, sive septem Sacerdotum*.

Quo vero ad alteram tertiam partem annui redditus, quam Testator jussit erogari pro conservatione fructuum, & bonorum, inquiunt, eam in tanta quantitate necessariam non esse, cum longe minor impensa, si quotannis fiat, ad id requiratur.

Quo demum ad residualem fructuum partem, quæ juxta mentem Testatoris impendenda foret pro augendis in perpetuum iisdem fructibus, dispositionis ineptitudinem ex eo potissime deducunt, quod Testator non expressit, in quam causam debeant tandem proventus illi erogari, qui propterea in immensum frustra augerentur.

In his igitur circumstantiis putant Executores Testamentarii propositam dispositionis commutationem æque opportunam esse, ac necessariam; tum quia magis provide consultum dicitur, quoties utiliora charitatis opera adimplentur; tum quia in hæc eadem Testator ipse verisimiliter

ter inclinaret, si maturiori consilio rem totam hodie posset expendere.

Precibus in hunc modum per Executores expositis, nemo hactenus in contradictorem se exhibet. Verumtamen pro eo, quod attinet ad petitam Missarum diminutionem, reticendum non est, allucinatum fortassis fuisse Episcopum in ea suæ Relationis parte, in qua hæc habet-- *pro adimplendis vero oneribus Missarum juxta disposita per eumdem Præpositum Carolum, nempe expendendo duas ex tribus partibus redditum hæreditatis, necesse foret augere in Civitate numerum sex, sive septem Sacerdotum* -- Testator enim non duas ex tribus partibus redditium hæreditatis suæ, ut ipsi Executores admittunt, sed unam tantum in id genus operis jussit expendi, quod quidem potissime spectandum est in hypothesi, in qua diminutio oneris Missarum a Testatore præscripti non nisi ob assertam ingentem earum numerum petitur. Confert pariter ad hujus negocii deliberationem annotare, totus hæreditatis, de qua agitur, proventus, ad scuta quadringenta circiter quotannis ascendere.

Omnibus itaque perspectis dignentur Eminentiæ VV. pro ea, qua pollent, sapientia, respondere.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis bo: me: Præpositi Cellesii in casu &c.

FUNDANA PARTICIPATIONIS. Renuente Capitulo Ecclesiæ Collegiatæ Santæ Mariæ admittere ad participationem distributionum, & redditiuum Canonicalium Clericum Gasparem Goffredum, qui anno 1732. fuerat ab Episcopo de Canonicatu provisus, obtinuit iste ab eodem Episcopo mandatum de manutenendo in quasi possessione participandi de omnibus, & singulis distributionibus, ac redditibus Canonicalibus ad instar aliorum Canonicorum, & deinde impetravit ab hac Sacra Congregatione indultum non residendi causa studii, ammissa de more illorum tertia parte. *Sess. 6. c. 2. & Sess. 24. c. 11. de ref.*

Cum autem Capitulum prætendat, Canonicatos non Presbyteros suæ Collegiatæ participare minime posse de redditibus prædictis; tum quia toti coacerventur ex fructibus legatorum piorum cum onere celebrandi Missas; tum quia in eorum Ecclesia vigeat immemorabilis consuetudo non admittendi ad participationem redditiuum Canonicalium Canonicos in Sacerdotali Ordine non constitutos, idcirco præsens controversia ad hunc Sacrum Consessum, sapientissimo Eminentiarum VV. judicio dirimenda conscendit.

Porro, si asserta consuetudo immemorabilis a Capitulo deducta legitime probaretur, ratio excludendi Canonicum Goffredum a participatione redditiuum Ecclesiæ non leve fomentum reciperet a Resolutione capta in una Camerinen. 14. Februarii 1625., quæ habetur in *Regest. Decr. lib.* 12. *pag.* 260. per hæc verba -- *Commisit Episcopo, ut si quidem compererit ex consuetudine legitime præscripta Canonicis in Presbyteratus Ordine non constitutos, cum actu inserviunt, non lucrari nisi tertiam distributionum partem, Canonico Oratori studiorum causa absenti duas tertias partes prædictæ tertiæ una cum fructibus Præbendæ, qui adeo sunt tenues, ut quartam distributionum partem non excedant* -- necnon ab altera recentius edita *in Sorana* 26. *Junii* 1733., in qua, conquerentibus Benedicto Cossa, & Francisco Francatio, quod sibi ob defectum ætatis in minoribus tantum

Ordinibus constitutis nonnisi viginti circiter annui ducati tradebantur, licet per integrum anni circulum subirent rigorosum Chori servitium, quando redditus annuus cujuslibet alterius Canonici ejusdem Ecclesiæ excedit summam ducatorum 140., & Capitulo solam consuetudinem opponente, proposito Dubio ,, An Clerici Benedictus ,, Cossa, & Franciscus Francatius Canonici Ecclesiæ Collegiatæ ,, S. Michaelis Arpini admittendi sint ad integram participationem ,, tam distributionum quotidianarum, quam alterius cujuscumque ,, redditus provenientis a Massa communi, & Præbendis Canonica-,, libus pro æquali cum aliis Canonicis Sacerdotibus ejusdem Colle-,, giatæ, exceptis oneribus Missarum, & aliorum requirentium Sa-,, crum Ordinem in casu &c. *responsum fuit* -- Negative -- *ut in* lib. ,, Decr. 73. fol. 286.

At vero, cum Canonicus Goffredus excipiat, consuetudinem a Capitulo allegatam nequaquam subsistere, eoque minus verificari, quod toti redditus Ecclesiæ constent ex fructibus legatorum piorum cum onere Missarum, atque hoc idem testetur Vicarius Generalis in sua relatione ad Sacram Congregationem transmissa, ex juribus utrinque circumferendis onus erit Eminentiarum VV. decidere.

An, & quæ portio distributionum, & redditum Canonicalium competat Canonico Gaspari Goffredo, donec in Minoribus fuerit, & quousque respective ad Ordinem Sacerdotalem ascenderit, in casu &c.

Die Sabbathi 11. Septemb. 1734.



Deis. c. de res. LEODIEN. RESIDENTIÆ. Martinus V. Pontifex Maximus Rectori, Magistris, Doctoribus, & Discipulis celeberrimæ Universitatis Lovaniensis indulsit, *ut eorum singuli* (Statuto, consuetudine, aut quovis eorum juramento haud obstante) ,, fructus, redditus, & proventus omnium, & singulorum ,, Beneficiorum suorum Ecclesiasticorum sæcularium, & Regula-,, rium cum cura, & sine cura, quæ etiam in quibuscumque Eccle-,, siis, sive locis ad præsens obtinent, ac illos pro tempore obtinere ,, contigerit, etiamsi Canonicatus, & Præbendæ, Dignitates, Per-,, sonatus, Administrationes, vel Officia in Cathedralibus etiam ,, Metropolitanis post Pontificalem majores, aut in Collegiatis Ec-,, clesiis hujusmodi principales fuerint, & ad ea consueverint qui per ,, electionem assumi, quæcumque, & qualiacumque extiterint, cum ,, ea integritate, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, li-,, bere percipere valeant, cum qua illos perciperent, si in Ecclesiis, ,, sive Locis ipsi personaliter residerent, & ad residendum interim in ,, eisdem minime teneantur, nec ad id a quoquam inviti valeant co-,, arctari ,, sunt ipsa verba Diplomatis, quod Eugenius IV. subinde confirmavit.

Postmodum Paulus V., prædicto Indulto dumtaxat revocato quoad Beneficiatos curam animarum adnexam habentes, in majorem illius

firmi-

firmitatem sancivit, ,, eidem derogari nullatenus posse, nec derogatum censeri, nisi earumdem præsentium tenor de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertus, ac urgens, & sufficiens causa expressa, & per trinas distinctas literas illarum tenorem continentes tribus distinctis vicibus cum trium mensium intervallo prædictæ Universitati legitime intimatæ, & insinuatæ, ac derogationes ipsæ Motu, scientia similibus factæ fuerint, appareatque, Romanum Pontificem illis expresse derogare voluisse, & aliter pro tempore factas derogationes nullius, roboris vel momenti fore, & nemini suffragari, ac pro infectis, & non concessis haberi debere --

Et demum Clemens X. idem Indultum Lovaniensi Academiæ tributum, & subinde a Clemente IX. suspensum, in pristinum restituit, adjecta inter cæteras hac lege ,, Præterea abusum illum circa Beneficiorum præsertim incompatibilium pluralitatem antehac introductum omnino rescindere cupientes, statuimus, ut nemo possit deinceps simul, vel successive vigore Privilegiorum, sive facultati artium, sive Universitati hujusmodi concessorum plures Canonicatus, & Præbendas, aut plura Beneficia curata, vel Canonicatum, vel præbenda, ac aliud Beneficium curatum pacifice obtinere, si tamen aliquis post Parochialem Ecclesiam, vel Canonicatum, & Præbendam tenuis redditus annui vigoreprivilegiorum hujusmodi pacifice obtentam, vel obtentos ob eminentiam doctrinæ assumptus fuerit ad legendum, aut regendum in aliquo Pedagogio dictæ Universitatis, aut ad aliam publicam Academicam functionem, ex speciali gratia indulgemus, ut possit talis vigore Privilegiorum præfatorum Canonicatum, & Præbendam, vel Beneficium curatum obtinere, priori Beneficio prius libere in manibus nostris, seu Romani Pontificis dimisso, nisi dispensationem super illius retentione ab hac S. Sede obtinuerit --

Joannes Franciscus Stouppi Magister in Theologia, necnon Rector Lovaniensis Academiæ sub annum 1717. in Cathedrali Leodiensi quemdam assecutus est Canonicatum, in cujus erectione præter munus legendi Sacram Scripturam, quod ei addixit Sixtus V., cautum fuit, *quod nemo deinceps ad aliquam ex dictis sex Præbendis Præsbyteralibus reciperetur nisi Sacerdos, aut qui intra annum ad Sacerdotium possit, & juret promoveri, itemque juret continuam residentiam apud Ecclesiam facere, & Officiis Sacerdotis ad Altare Majus personaliter in suis Septimanis fungi, non obstante quavis quantumvis clausulata dispensatione in contrarium* --; subinde capta ejusdem Canonicatus possessione, solemne emisit juramentum, se apud ejus Ecclesiam assiduam præstiturum residentiam, seque Præposituram, Decanatum, aut Archidiaconatum dignitates haud obtenturum, ne a servitio Ecclesiæ, quod sibi incumbit, impediretur, juxta eam juramenti formulam, quam Statuta Ecclesiæ præscribunt.

Verum quia idem Canonicus Stouppi, præstita vix prima residentia, anno 1721. Lovanium rediit, ibique provisus primum fuit de Canonicatu Theologali in Collegiata Ecclesia S. Petri; deinde vero in eadem Ecclesia, prævia Apostolica dispensatione, sub annum 1731. Decanatum, cui animirum cura adnexa est, obtinuit,nullam amplius in Ecclesia Leodiensi residentiam peregit, itidemque nonnulli alii Canonici residentiam in dicta Leodiensi Cathedrali prorsus negligebant; propterea Capitulum, quod pluries tam dictum Canonicum,

quam

quam cæteros ad residentiam frustra evocaverat, ut tandem consuleret detrimento divini cultus, atque servitii illius Ecclesiæ, curavit impetrare a SSmo D. N. amplissimam Constitutionem, in qua, redintegratis Ecclesiæ Statutis, pluribusque confirmatis Decretis sancitum fuit, ut Canonici obtinentes aliquem ex illis sex Canonicatibus, quos vocant Præsbyterales, deberent spatio sex mensium ad personalem residentiam in dicta Ecclesia sese conferre, ibique sub pœna privationis tituli ipso jure incurrenda munia eorum Præbendis adnexa explere.

Saluberrimæ huic constitutioni haud acquiescens Canonicus Stouppii supplicem SSmo porrexit libellum, quo postulavit, ut Sanctitas Sua supremo ejus oraculo definiret, se non comprehendi sub Constitutione a Capitulo Leodiensi nuperrime obtenta, proindeque se non posse ad residentiam in Leodiensi Ecclesia adstringi; At remisso subinde prædicto supplici libello ad Sacram hanc Congregationem, superiori anno excitatus fuit Officialis Leodiensis, qui in Literis nuper datis confirmans hactenus exposita ita concludit -- *Ut autem animi mei sensum (sicut mihi injungitur) aperiam, non possum non admittere, quin cultui Divino, & Ecclesiæ decori plurimum expediat, si Canonici Presbyterales juxta antiquam possessionem, & observantiam Officia Presbyteralia sibi incumbentia per se ipsos exerceant, & in Ecclesia resideant, non obstantibus quibuscumque.*

Porro vis defensionis propositæ a Canonico Stouppii posita est potissimum in dispositione, tum Sacrorum Canonum, ex quibus cautum habetur Magistros, & Scholares Sacræ Theologiæ, aut juris Pontificii in Publicis studiorum Universitatibus exemptos esse ab onere residendi in eorum Ecclesiis, atque potiri Indulto percipiendi etiam in absentia quoscumque Beneficiorum suorum proventus, *Cap. Licet de Præben. Cap. Relatum Cap. tuæ de Cleric. non resident. Cap. super specula & Cap. ult. de Magistr.*, tum Sacri Concilii Tridentini *Sess.* 5. *de Reform. cap.* 1. ibi -- *Docentes vero ipsam Sacram Scripturam, dum publice in Scholis docuerint, & Scholares, qui in ipsis Scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, Præbendarum, & Beneficiorum suorum in absentia a jure communi concessa plene gaudeant* -- uti consentanee ad hæc rescriptum fuit ab hac Sacra Congregatione in *Palentina Indulti 6. Decembris* 1732. *lib.* 82. *Decr. pag.* 580.

Nititur præterea idem Canonicus amplissimis Privilegiis supra enunciatis, quæ Summi Pontifices Martinus V., Eugenius IV. & Paulus V. tribuerunt Universitati Lovaniensi, iisque derogatum non fuisse per Constitutionem a SS. D. N. nuperrime editam potissime prætendit: tum quia de hujusmodi Privilegiis tametsi clausis in corpore juris communis, & ex causa onerosa publicam utilitatem concernente concessis in dicta Constitutione nulla expressa mentio habita fuit; tum quia in eadem Clementina Constitutione servata non fuit forma, quam pro legitima, & valida eorumdem privilegiorum derogatione præscripsit Summus Pontifex Paulus V.

Postremo ad effugiendam vim cujuscumque legis in oppositum afferendæ, adduxit Apostolicam dispensationem, quam nuper impetravit, retinendi nimirum Canonicatum Theologalem in Cathedrali Ecclesia Leodiensi, & alium similem Canonicatum una cum Decanatu in Collegiata Ecclesia S. Petri Civitatis Lovanii; hinc enim arbitratur,

confi-

confici argumentum, quod Summus Pontifex, dispensando super Beneficiorum incompatibilitate, dispensaverit etiam super onere residendi, itaut munitus ejusmodi dispensatione oneri suo satisfaciat, si in Beneficio majori, & digniori personaliter resideat, & alteri per substitutum inserviat ad Textum *in Cap. Extirpandæ* §. *Qui vero de Præbend.*, *ibique Abb. num.* 5. *Joannes Andr. num.* 6., *Joann. de Imola n.* 13. *Ancaran. n.* 7., *Hostien. num.* 15., *Innoc. in Cap. Cum jamdudum num.* 2. *eod. tit.*, *Reiffensluel. in jus Can. lib.* 1. *tit.* 2. §. 18. *n.* 451. *& lib.* 3. *tit.* 5. §. 9. *n.* 256. *Piring. eod. loco. n.* 198. *Schmalzgueber n.* 149. *Garz. de Benef. part.* 12. *cap.* 2. *n.* 45., *& n.* 186. *Barbos. ad Concil. Sess.* 5. *Cap.* 1. *n.* 8., & ita rescripsit Sacra hæc Congregatio *in Aquilana* 5. *Aprilis*, *&* 19. *Julii.* 1732. *lib.* 82. *Decr. pag.* 333.

At e converso Capitulum præter Statuta Ecclesiæ, & novissimam Regnantis Summi Pontificis Constitutionem, opponit memoratam Bullam Clementis X. abusum circa Beneficiorum præsertim incompatibilium pluralitatem improbantem, ex qua contendit, quod Magistri, itidemque Scholares Universitatis Lovaniensis plura obtinentes Beneficia incompatibilia nullo potiantur Privilegio, quod eidem Universitati fuerit tributum, subindeque vires in id potissimum intendit, ut ostendat Pontificiam dispensationem quam profert Canonicus Stouppii, irritam, atque invalidam utpote ex multiplici capite obreptitie, & subreptitie impetratam; & primo ex eo, quod idem Canonicus in supplici libello non expressit qualitatem Ecclesiæ, ubi Canonicatum, seu Præbendam Theologalem obtinet; secundo, quia non exposuit, se ex peculiari Ecclesiæ Statuto teneri in dicta Leodiensi Cathedrali residere, eidemque Ecclesiæ assiduum servitium præstare: tertio quod reticuit legem a nonnullis Cardinalibus Legatis sic editam, *quod contra hujusmodi Ordinationem gratia nulli fieret etiam per quamcunque Domini Papæ, vel ejus Legatorum indulgentiam, nisi D. Papa certificatus ad plenum de penuria Sacerdotum in Ecclesia Leodiensi plenam de ea, & Cardinalis Prænestini Constitutione mentionem fecisset* –; quarto, quod sub silentio prætermisit juramentum solemniter secundum Ecclesiæ Statuta emissum in actu, quo primam explevit residentiam; quinto demum, quia non exposuit, Decanatui, quem obtinuit in Collegiata S. Petri Civitatis Lovanii, adnexam esse animarum curam, & Canonicatui, quem possidet in Cathedrali Leodiensi, esse injunctum ex Constitutione Sixti V. munus legendi Sacram Scripturam, juxta præscriptum Sacri Concilii Tridentini *Cap.* 1. *Sess.* 5. *de Ref.*

Cæterum, retento in facto, quod controversus Canonicatus erectus fuerit ex Statutis ejusdem Ecclesiæ in Presbyteralem cum onere assiduam residentiam, & servitium Eclæsiæ præstandi, necnon in Præbendam Theologalem ex Constitutione Sixti V., duo potissimum ponderanda sunt. Primo, quod cum agatur de Canonicatu requirente peculiari jure personalem residentiam & servitium Ecclesiæ, non videatur sub amplissimis Privilegiis Universitatis Lovaniensis comprehensus, *Garz. de Benef. par.* 3. *cap.* 2. *n.* 112., *modernus Scriptor Lovaniensis in jus Can. tom.* 1. *tit.* 7. *de Canonic. cap.* 10. *num.* 10. *Eminentiss. Petra ad Const. X. Bonifacii VIII. num.* 20. *in fin. tom.* 3., itaut eumdem Canonicatum obtinens, quamtumvis in publica aliqua Universitate doceat Theologiam, vel jus Canonicum, ad præstandam residen-

dentiam in ejus Ecclesia revocari debeat, si in illius cultu, & servitio detrimentum eadem Ecclesia patiatur, ut probant *Abb. in Cap. Super specula. n. 5. de Magistr.*, *& in Cap. Cum ad hoc de Cleric. non residen. n. 1.*, *& 2. Card. Zabarella nu. 3. Joan. Andr. nu. 1.*, *Hostien. n. 2.*, *Butr. num. 4. Gonzal.* n. 2. *et 4. Fagnan. n. 2. et per tot. citatus Author. Lovaniensis in jus Can. tom. 1. tit. 7. de Canonic. cap. 10. num. 10.*, *Piring. lib. 5. Decretal. tit. 5. §. 2. n. 9.*

Secundo, quod Canonicus obtinens Præbendam Theologalem ad continuam, & præcisam residentiam arctatur, ut per semetipsum, & non per Substitutum publice legat, & doceat Sacram Scripturam, etiam si illius Antecessores eam docere nunquam consueverint, quemadmodum expresse statuit S.Concilium Tridentinum *Sess. 5. de Refor. c:1.* ibi -- *De cætero vero præbenda, præstimonium, aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis, & quæ per se ipsas id munus explicare possint, conferantur, et aliter facta provisio nulla sit, & invalida* --, & ita pluries rescripsit Sacra hæc Congregatio, & signanter *die* 11. *Decembris* 1621. ibi -- *Congregatio Concilii censuit, eum, qui Præbendam Theologalem obtinet, & si ejus Prædecessores nunquam legerint, teneri tamen, & ab Episcopo cogi posse id munus per se ipsum explere -- in Bellunen.* 27. *Aprilis* 1630. *lib.* 14. *Decr. pag.* 280., *in Liparen.* 10. *Maii* 1631. *ad III. Dubium lib.* 14. *Decr. pag.* 431., *in Casalen. Lectionis* 12. *Novembris* 1661., *et* 28. *Januarii* 1662.; *et in Caven. Lectionis* 20. *Augusti* 1661.; licet tamen *in Vrgellen.*, disceptato Dubio -- *An Canonicus Theologalis concionari possit etiam per alium in casu &c. die* 1., *et* 15. *Decembris* 1725. rescriptum fuerit -- *Posse, petita licentia a Capitulo*.

Hinc vero infertur, quod Canonicus obtinens Præbendam Theologalem neque valeat assequi Cathedram in Universitate ejusdem Civitatis, uti respondit Sacra Congregatio in *Pisana* 23. *Maii* 1648. *lib.* 18. *Decr. pag.* 478., *& seqq.*, quodque idem Canonicus non potiatur Indulto quod fruuntur cæteri Canonici in Episcopi, vel Ecclesiæ servitium adsentes juxta Textus expressos in *Cap. De cætero. in cap. Ad audientiam.*, *& in cap. Ex parte. il 2. de Cleric. non resident*, rescripsit Sacra hæc Congregatio *in Pacen.* 16. *Dec.* 1634. *lib.* 15. *Decr. pag.* 135., *in Vicen.* 12. *Septembris* 1702., *in Anagnina* 12. *Decem.* 1676., & novissime *in Conversana Officiorum Capituli* 24. *Sept.*, *&* 19. *Novembris* 1729.

Et demum, quod Canonico Præbendam Theologalem obtinenti Privilegia tributa iis, qui Theologiam, aut Jus Pontificium docent in publicis Universitatibus, non suffragentur, ut ab illius Ecclesia abesse valeat, communiter notant Canonistæ *in cap. fin. de Magister.*, & præcipue *Abb. sub. n.* 5., *Piring. in jus Can. lib. 5. tit. 5. num. 9. vers. Notandum secundo*, & in terminis *Mendo de jur. Academ. lib.* 2. *qu.* 23. *n.* 269. *ubi in fin.* ita subdit -- *Et ratio postulat., ne docere alibi tentent, qui ad docendum in propriis Ecclesiis designantur, atque ob id munus percipiunt emolumenta, & Præbendæ eis, præmisso examine, ad id obeundum conceduntur, quæ non aliter forent concedendæ, nec ad eas promoverentur, si possent illico ipsas deserere, & ad Academiam Salamantinam docendi gratia migrare. Et quidem post Constitutionem Eugenianam ejusmodi Præbendæ sunt institutæ, vel auctæ in Ecclesiis, in quibus non dabantur decernente id Concilio Tridentino, cujus cura, & conatus circa id fuisset inutilis*,

lis, si Canonici eas Præbendas habentes virtute Eugenianæ Constitutionis possent in Academia Salamantina docentes commorari.

Num autem ea, quæ hactenus fuerunt adnotata, aptentur præsenti hypothesi, ubi constat, Summos Pontifices Martinum V. & Eugenium IV. amplissima indulsisse Privilegia quibuscumque Beneficiatis etiam Curatis docentibus Theologiam, & Jus Pontificium in memorata Universitate Lovaniensi, deinde vero Paulum V. in dicta ejus Constitutione post Concilium Tridentinum edita eadem Privilegia abrogasse dumtaxat quoad eos, quibus Animarum cura incumbit, Judices erunt Eminentiæ VV. quibus definiendum proponitur.

An Canonicus Stouppii, attenta etiam novissima Constitutione Sanctissimi D. N. teneatur residere in Ecclesia Cathedrali Leodiensi, & adimplere per se ipsum onera sibi incumbentia in casu &c.

Affirmative.

In superiori Congregatione habita die 21. mox elapsi Mensis tempus non tulit, ut quinque sequentes Causæ proponerentur; Hodie igitur, resumpto Folio tunc distributo, placeat Eminentiis VV. earum decisioni incumbere.

MIRANDEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

Seff. 25. c.19. de refor.

An sit concedenda restitutio in integrum in casu &c.

Affirmative, & Episcopus mandet excarcerari, & charitative tractari, etiam cum facultate transferri ad aliud Monasterium.

FIRMANA VOCIS IN CAPITULO.

Sess. 25. c.6 de Ref.

An Mansionarii habeant jus interveniendi, & votum ferendi una cum Canonicis in Capitulo in casu &c.

Negative præterquam in casibus condendi, vel reformandi Statuta, aliisque concernentibus eorum Interesse ad formam Bullæ.

FIRMANA ERECTIONIS CANONICATUS.

Sess. 21. c. 3. de Ref.

An erectio novi Canonicatus in Collegiata Ecclesia S. Bartholomæi Murri Vallium sustineatur in casu &c.

Negative, & amplius.

PISTORIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

Seff. 22. cap. 6. & sess. 25. c. 4. de ref.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis bo. mem. Præpositi Cellesii in casu &c.

Quo ad bona hæreditaria Negative, & servetur Mens Testatoris: quo vero ad scuta 200. investiantur in stabilibus.

Sess. 6. cap. 2. & sess. 24. c. 12. de ref.

FUNDANA PARTICIPATIONIS.

An, & quæ portio distributionum, & redditum Canonicalium competat Canonico Gaspari Goffredo, donec in Minoribus fuerit, & quousque respective ad Ordinem Sacerdotalem ascenderit in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 6. c. 11. de ref.

NEAPOLITANA, SEU CONSENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. In Folio Congregationis habitæ die 20. Martii vertentis anni descripta fuit hæc Causa, Ad dubium vero ita conceptum; *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in subsidium* Sororum *supplicantium in casu &c.* rescriptum fuit: *Dilata, & reproponatur Causa, citato Collegio hærede Marii Belmonte, necnon scribatur Archiepiscopo Consentino juxta instructionem; interim vero per modum provisionis subministrentur a Patribus Missionis ducati biscentum, salvo jure reintegrandi, aut imputandi juxta declarationem faciendam a Sac. Congregatione.*

Archiepiscopus juxta instructionem Sacræ Congregationis, quæ fuit, ut ipse referret quantitatem bonorum supradicto Mario relictorum a Laurentio Fratre, necnon quantitatem Bonorum hæreditariorum ejusdem Marii, ac denique explicaret onera a Mario imposita Collegio Societatis Jesu Civitatis Consentiæ ejus proprietario hæredi, in literis ad Sacram Congregationem datis primum distincte recenset Bona a Francisco Belmonte Laurentio, & Mario ejus filiis sub vinculo fideicommissi relicta; deinde describit Bona propria tam Laurentii, quam Marii una cum eorum valore; & demum post explicata singula onera, quibus Marius gravavit dictum Collegium, ait, hæreditatem Marii adeo imparem esse implemento dictorum onerum, ut idem Collegium non intendat eam adire cum prædictis oneribus, etiamsi in dicta hæreditate reperiantur Bona mobilia, & argentea in non-modica quantitate, *quia* (ut subdit Episcopus in fine suæ Relationis) *dictus Marius ea disposuit in beneficium Hæredum usufructuariarum, & prohibuit, illa inventariari, & describi, asserendo, illis frui, & gaudere, vita eorum durante, & quæ post mortem earumdem supererint, de illis celebrari debere tot Missas in suffragium animæ suæ.*

Oratrices, quæ modo preces instaurant pro petita commutatione voluntatis Laurentii in earum subsidium, exponunt, se a Patribus Missionis assecutas fuisse dumtaxat centum, & viginti ducatos, non autem biscentum, uti Sacra hæc Congregatio statuit, per modum provisionis eisdem assignari; deindeque exhibent calculum totius hæreditatis Marii, ex quo constat, quod computatis Bonis propriis Marii ducatorum 644. una cum illis, quæ eidem Mario obvenerunt ex hæreditate Laurentii in summa ducatorum 276. necnon Bonis fideicommissariis in valore ducatorum 1183. dicta hæreditas Marii ascendit ad summam ducatorum 2103. quodque proinde multo inferior sit prædictis oneribus, quæ juxta alium calculum circumferendum requirerent pro eorum implemento summam ducatorum 4551.

His in facto superadditis, erit Eminentiis VV. deliberandum.

An,

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in subsidium Sororum supplicantium in casu &c.

LANCIANEN. VISITATIONIS. Præcipuas Pastoralis Officii partes impleturus Archiepiscopus Lancianensis sacram Diœcesis suæ Visitationem tam localem, quam personalem indixit, aggressusque fuit anno 1732. quia vero adversa valetudine, & aliis gravioribus distentus curis utramque eo anno explere nequivit, ut cœptum opus subinde perficeret, intermissæ Visitationis progressum a Terra Castrinovi sequenti anno 1733. adoriri decrevit. *Sess. 24. c. 3. & c. 10. de ref.*

At quidam Ecclesiastici dictæ Terræ, nimirum Sacerdotes Petrus Crognale, Petrus de Fario, Julianus Crognale, Beniaminus Virgili, & Clericus Antonius Caporale sub obtentu, quod Archiepiscopus ob peculiare fortasse odium contra ipsos conceptum, extra generalem Visitationem personaliter eos visitare vellet, nomine totius Cleri ejusdem Terræ supplicem Sacræ huic Congregationi porrexerunt libellum, quo postularunt, ut præciperetur Archiepiscopo, ne personali visitationi extra generalem eos subjiceret. Sacra autem Congregatio *die* 18. *mensis Julii* 1733. rescripsit: *Audiatur Archiepiscopus, non retardato tamen exercitio facultatis procedendi ad formam Sac. Concilii Tridentini.*

Usi non sunt præfati Ecclesiastici hoc Rescripto; quocirca Archiepiscopus propositi tenax *die* 16. subsecuti mensis Augusti ad Valvas Ecclesiæ Matricis Terræ Castrinovi Edictum affigi curavit Visitationem localem, & personalem pro die 21. ejusdem Mensis indicens: Et licet ab hac indicta Visitatione memorati Ecclesiastici, præmissa protestatione eidem Archiepiscopo intimata, ad hanc Sacram Congregationem appellare profiteretur, attamen ejusmodi appellatione in devolutivo tantum admissa laudatus Præsul ad Terram Castrinovi statuta die se recepit, quo perventus, dum sacram actionem, cæteris jam servatis ritibus, ab osculo Crucis auspicatur, quidam Notarius elata voce aliam legere cœpit protestationem, in qua mutuato iterum nomine totius Cleri, Archiepiscopus veluti suspectus evulgabatur. Ipse autem exinde nequaquam perterritus, debitam sibi eo in actu obedientiam a reliquis omnibus Ecclesiasticis, præterquam ab iis quinque superius recensitis præstitam fuisse animadvertens, jussit illos peculiariter citari ad comparendum, seque personali Visitationi subjiciendum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.

Verumtamen, cum eadem die Cursor retulerit, eos invenire minime potuisse, satis tunc duxit Archiepiscopus uti opera duorum Sacerdotum, qui Reluctantes amicis cohortationibus ad parendum studerent adducere, sed hisce diligentiis in irritum cessis, nova citatio die 22. præfati mensis Augusti per Edictum ad Valvas Ecclesiæ Parochialis affixum, necnon per consuetam copiam in manibus Domesticorum dimissam executa est, qua dicti quinque Ecclesiastici moniti fuere ad parendum personali Visitationi pro die 24. ejusdem mensis sub pœna excommunicationis alias comminatæ, adeout, nisi ea die comparuissent, statim post Solis occasum veluti a communione Fidelium omnino separati, & tales haberentur.

Antequam præstituta dies 24. Augusti cessisset, appositus fuit sub memorato Edicto ad valvas Ecclesiæ affixo tenor alterius protesta-

 tio-

tionis, qua Domestici, sive Consanguinei Citatorum allegantes eorum absentiam postulabant, concedi terminum, ut certiores de prædicta citatione fieri possent, quo durante, proclamabant, ad aliquem actum contra illos sub pœna nullitatis procedi non posse: Sed, ista quoque protestatione ab Archiepiscopo neglecta, res tandem eo devenit, ut sæpedicti Ecclesiastici se censuris illaqueatos probe agnoscentes primo ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, deinde vero ad A. C. in criminalibus recursum habuerint, cumque ab isto impetrassent Monitorium, quo injungebatur Archiepiscopo, ut intra tres dies, *si*, *& quatenus paruerint per personalem comparitionem*, eos absolveret ad tres menses, alioquin a simplici Confessario absolvi possent, inde factum est, ut die 17. Septembris præfati Sacerdotes, præsentato in Curia Archiepiscopali dicto Monitorio, absolutionem ab Archiepiscopo postulaverint, qua sibi tunc denegata, paulo post sub obtentu, quod ipsam reportassent a Presbytero Epiphanio de Martinis, Sacrosanctum Missæ Sacrificium palam celebrare cœperunt. Quod quidem cum accepisset Archiepiscopus, die 21. Octobris publico Edicto eos irregulares declaravit.

Verum quia interea temporis, nimirum *die 26. præcedentis mensis Septembris* ob instantiam nomine Archiepiscopi in Urbe promotam Causa fuerat ab Eminentissimo Pro-Auditore Sanctissimi ad hanc Sacram Congregationem remissa, prætenderunt dicti Sacerdotes, veluti Attentatorum vitio laborantem præfatam Archiepiscopi declarationem fore circumscribendam, cujus quoque petitionis judicium cum a prælaudato D. Cardinali Pro-Auditore Sacræ huic Congregationi commissum fuerit postmodum ad preces eorumdem Ecclesiasticorum datæ sunt litteræ Archiepiscopo demandantes: *ut non retardata interim Visitatione*, *& executione Decretorum ejusdem Visitationis*, *Acta*, *de quibus agitur*, *soluta per Instantes competenti mercede Cancellario*, *transmittat*.

Hisce itaque receptis literis, denuo præcepit Archiepiscopus, citari præfatos Ecclesiasticos ad comparendum personaliter pro eorum visitatione personali sub pœna pecuniaria; cumque huic pariter præcepto Citati minime paruerint, tandem Archiepiscopus, post expeditum contra ipsos mandatum pro executione comminatæ multæ, Acta ad Sacram Congregationem ex officio transmisit.

Cum igitur ex his omnibus desumpta fuerit occasio disputandi inter Partes infrascripta Dubia, placeat Eminentiis VV. respondere.

I. An licuerit Archiepiscopo Lancianen. die 16 Augusti anni 1733. indicere Visitationem localem, & personalem in Terra Castrinovi in casu &c.

II. An comminatio Censurarum contenta in Edicto diei 22. Augusti ejusdem anni arctaverit Sacerdotes Petrum Crognale, Petrum de Fario, Julianum Crognale, Beniaminum Virgilii, & Clericum Antonium Caporale, itaut citra incursum in excommunicationem potuerint resistere Visitationi; *& quatenus negative quoad secundam partem*.

III. An censuræ sustineantur in casu &c.

IV. An post obtentam absolutionem ab excommunicatione per Sacerdotem Epiphanium de Martinis, rite, & citra incursum in irregularitatem potuerint celebrare in casu &c.

V. An

V. An conſtet de Attentatis commiſſis in ſpretum Decreti Eminentiſſimi Pro Auditoris Sanctiſſimi, itaut ſit locus eorum purgationi, & reſpective circumſcriptioni ſententiæ declaratoriæ incurſus in irregularitatem per Archiepiſcopum latæ contra eoſdem Eccleſiaſticos in caſu &c.

VI. An multa pecuniaria contra eoſdem Eccleſiaſticos lata die 7. Menſis Decembris anni 1733. ſuſtineatur in caſu &c.

RUBEN. EXPENSARUM. Archipresbyter, & unus ex duobus Canonicis, qui vocantur Primicerii, ac alii quidam ex antiquioribus Presbyteris participantibus Eccleſiæ Cathedralis adverſantes erectioni Præbendarum Theologalis, & Pœnitentiariæ ab Epiſcopo factæ ſub annum 1731. necnon duobus Decretis ab eodem Epiſcopo promulgatis, altero nempe, quo jubentur omnes Clerum Cathedralis conſtituentes intereſſe congreſſibus ſtatuta die cujuslibet hebdomadæ ſuper caſibus conſcientiæ in Sacrario Eccleſiæ coram ipſo Epiſcopo habendis, altero vero, quo præcipitur omnimoda obſervantia Cœremonialis Epiſcoporum, interdictis quibuſdam uſibus eidem Cœremoniali contrariis, pariterque reclamantes a quadam præfati Epiſcopi ſententia, redintegrationem duarum Præbendarum Canonicalium de jurepatronatus Laicorum demandantes, ut lites omnes ſuper hiſce Capitibus excitatas (quarum binæ reſpicientes erectionem Canonicatuum Theologalis, & Pœnitentiariæ, & obſervantiam Edicti pro interventu ad congreſſus ſuper caſibus conſcientiæ huic Sacræ Congregationi fuerunt commiſſæ) promovere valerent, arbitrari ſunt, licitum ſibi eſſe pro ſumptibus ad eas neceſſariis pecunias ex Maſſa communi detrahere. *Seſſ.25. c.12. de ref.*

E converſo alii Capitulares, qui præmiſſis litibus non aſſentiuntur, ægreferentes hoc Maſſæ communis detrimentum, Dubii inferius deſcribendi reſolutionem ab Eminentiis VV. efflagitant.

Maſſa communis Capitularis, de qua agitur, juxta relationem Epiſcopi: *Conſtituitur ex variis legatis piis habentibus annexum conſiderabile onus Miſſarum lectarum aſcendentium ad numerum fere duodecim mille circiter, quæ pro rata inter Capitulares dividuntur; necnon plurium Anniverſariorum numero biſcentum treſdecim circiter, & pro quolibet eſt taxata eleemoſyna ducatorum trium, nonniſi inter præſentes attenta pariter Sac. Concilii Tridentini diſpoſitione dividendorum. Quod ſupereſt de Maſſa communi, deductis ſupradictis, & aliis oneribus, puta decimarum, Spolii, Advocati, Procuratoris, & ſimilibus per modum quotidianarum diſtributionum a Capitularibus, ne alias Chori, & Eccleſiæ ſervitium deſeratur, percipitur. In eadem Maſſa computantur emolumenta ex funeralibus, ſeu exequiis provenientia, quæ in fine cujuslibet anni per Procuratorem inter Capitulares, qui funeralibus interfuerunt, dividuntur.* Hæc habet Epiſcopus de Maſſa Capitulari, ſubjungens incongruum eſſe, ut ſumptus ad hujuſmodi lites inter eoſdem Capitulares vertentes ex communi Maſſa ſubminiſtrentur, juxta ea, quæ tradit *Rot. cor. Ludoviſ. dec.* 263. *per totam*, cum ibidem adductis in annot.


Sane vero Sacra hæc Congregatio in Cauſa *Gerunden. Expenſarum* propoſita *die* 11. *Januarii* 1721. in qua conſimilis fermè quæſtio agebatur, diſputatis ſequentibus Dubiis: *I. An liceat Beneficiatis non*

non graduatis pro expensis litis, de qua agitur, extradere pecunias ex Massa communi. II. An idem liceat Beneficiatis graduatis, itaut valeant ex eadem Massa communi extrahere non solum expensas faciendas, sed etiam factas occasione prædictæ litis, & quatenus negative quoad utrosque. *III. An Beneficiati non graduati teneantur reintegrare Massam de pecuniis extractis*, respondit: *Ad* I. *&* II. *negative*. *Ad* III. *affirmative*, *& amplius*.

Num autem Canonici prætendentes in hypothesi pecunias e Massa communi detrahere, validioribus rationum momentis suffulti sint, nullis hactenus allatis juribus docuere; Si quę vero adducentur, grave non erit Eminentiis VV. decidere.

An pecuniæ necessariæ pro expensis faciendis in Causis pendentibus, & discutiendis in Sacra Congregatione, vel in aliqua earum sumi possint ex Massa communi Capitulari Ecclesiæ Cathedralis Rubensis in casu &c.

Die Sabbathi 25 Septembris 1734.



Sess. 24. c. 5. de Ref.

HORTANA DISPENSATIONIS. Dominicus Antonius Menicacci, cujus domiciliare solum est Oppidum Suriani Hortanæ Diœcesis, primum ex Ven. Archihospitali S. Spiritus in Saxia Almæ hujus Urbis suscepit Valentianum infantem expositum, eumque nutriendum tradidit Portiæ ejus uxori; deinde vero sub annum 1712. eumdem puerum in ætate annorum duodecim jam constitutum sibi *in ejus proprium filium subrogavit, & adoptavit, promisitque, seque obligavit, illum alere, nutrire, & vestire, omniaque alia ad victum, & vestitum necessaria ei præbere, rudimenta orthodoxæ fidei, bonosque mores illum docere, ab ejus domo, & familia quavis de causa, & occasione nunquam expellere, nec ei causam dare, ut aufugiat, immo, si aufugeret etiam a semetipso absque ulla causa, & occasione, illum diligenter perquirere, nec non in ejus domum reducere, totumque dicti Archiospitalis Ministris quam primum notificare, ac demum tempore ejus mortis hæredem universalem in omnibus, & singulis ejus Bonis &c. una cum omnibus aliis ejus filiis, quatenus tunc extiterint, pro æquali rata, & portione instituere, prout ex nunc pro tunc etiam jure testamenti nuncupativi instituit, & ære proprio nominavit dictum Valentinum præsentem, ac semper illum uti filium proprium legitimum, & naturalem habere, & tractare*, sunt verba publici Instrumenti, quod inter eumdem Dominicum Antonium, & Commissarium Generalem omnium Projectorum dicti Ven. Archihospitalis super asserta adoptione fuit exaratum.

Nuper autem, defuncto Valentino, Dominicus Antonius Menicacci exoptans Matrimonium inire cum Angela Bassanelli, quæ fuit uxor ejusdem Valentini, ut consultat tum inopiæ dictæ Angelæ, & quinque

que filiorum, quod superstites idem Valentinus reliquit, tum etiam scandalo orto ex publica, atque assidua conversatione, quam hucusque habuit cum eadem Angela, postulavit dispensationem ab impedimento cognationis legalis forsan contractæ cum Angela, utpote uxore Valentini illius filii adoptivi; At Sacra hæc Congregatio, cujus sententiam super petita dispensatione exquisivit Dataria Apostolica, *die* 3. *Julii* vertentis anni rescripsit: *Episcopo pro informatione, & voto.*

Episcopus refert, veritate niti ea, quæ Orator in supplici libello exposuit, subindeque in eam propendens sententiam, quod asserta adoptio sit simplex, itaut nulla cognatio legalis intercedat inter ipsum Oratorem, & Angelam, ita concludit: *Quo si vera sunt, eo magis indulgendum esset, & concedenda dispensatio Oratori, qui ex puro motivo charitatis filium projectum suscepit, & ex eodem motivo ejusdem Projecti filios infantes omni alio auxilio destitutos, & uxorem, uti verus Pater, & maritus respective regere, & gubernare posse desiderat, secluso scandalo, quod ex conversatione ortum, ut asseritur in supplici libello, constare in attestatione exhibita, magis, magisque cresceret.*

Porro cognationem legalem jure cujusdam affinitatis contrahi ab Adoptante cum uxore Adoptatis, & vicissim ab Adoptato cum Adoptantis conjuge, eamque inter ipsos inducere impedimentum dirimens Matrimonii, constat ex sanctione juris Civilis *in l. Quia etiam, & in l. Adoptivus ff. de rit. nupt.* quam subinde approbavit jus Canonicum, & universalis Ecclesiæ consuetudo, uti tradunt *Joan. Andr. in c. unic. n.* 5. *de cognat. legal. Hostien. num.* 3. *Ancharan. num.* 5. *Alex. de Novo num.* 9. *Gonzal. n.* 5. *Reiffenstuel in jus can. lib.* 4. *Decretal. tit.* 12. *de Cognat. legal. n.* 9. *Phiring. eodem loco* §. 2. *Engel. in* 4. *Decretal. eodem tit. n.* 5. *pag.* 444.

Et, quamvis cognitio legalis, quæ per modum fraternitatis intercedit inter Adoptatum, & filios Adoptantis, atque impedimentum Matrimonii dirimens, quod ex ea oritur, extinguatur, sublata quoquo modo adoptione, vel per obitum patris adoptantis, vel emancipationem aut filiorum naturalium, aut ipsiusmet filii Adoptati, juxta expressos Textus *in* §. *Inter eas* 2. *Instit. de nupt. in l. Per Adoptionem ff. de rit. nupt.* ibi: *Adoptionem quæsita fraternitas eo usque impedit nuptias, donec manet Adoptio: ideoque eam quam pater meus adoptavit, & emancipavit, potero uxorem habere æque, etsi me emancipato, illam in potestate retinuerit, poterimus jungi Matrimonio*, & ita sancivit Nicolaus I. *in cap. unic. de cognat. legal.* ibi: *Si quæ per adoptionem mihi soror esse cæperit, quandiu durat adoptio, inter me, & ipsam nuptiæ consistere non possunt.*

Certum tamen est, quod cognatio legalis exorta inter Adoptantem, & uxorem Adoptati, & e converso inter Adoptatum, & Adoptantis conjugem, perpetuo durat, ita ut nullo unquam tempore etiam Adoptionem per emancipationem, aut obitum soluta, inter ipsos, vigente semper quadam pudoris, & honestatis ratione, nuptiæ valeant celebrari, ad Textum expressum *in l. Adoptivus* 14. *ff. de rit. nup.* ibi: *Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor est, ducere non potest, quia novercæ locum habet*, & notant *Joann. Andr. in cap. unic. n.* 5. *de cognat. legal. ibique Ancharan. n.* 5. *Boich. n.* 4. *Butr. n.* 7. *in fin. Hostien. num.* 1. *& seq.*

*seq. Barbos. n.*4. *Gonzal. n.*11. *in fin. Piring. in jus can. lib.* 4. *tit.* 12. §.3. *n.* 7. *Engel. eod. loc. n.*5. *vers. Igitur Salmanticenses tract.* 9. *de Matrim. cap.* 12. *punct.* 3. *n.* 42.

At dubitatione non vacat, num cognatio legalis inducatur dumtaxat ex adoptione perfecta, sive adrogatione, qua mediante aliquis sui juris existens auctoritate, seu Rescripto Supremi Principis in filium assumitur, atque transit in potestatem, & familiam Adoptantis, sitque illius necessarius hæres tam ab intestato, quam ex testamento §.1. *Instit. de Adopt. l. si Paterfamilias l. Adrogato & l. Generalis ff. de Adopt. & l.* 2. *C. eod.* an autem illa promanet non solum ex arrogatione, sive adoptione perfecta, verum etiam ex imperfecta, quæ a quolibet competenti Judice auctorizari potest, illiusque vigore filius adoptivus sub pristina patris naturalis potestate manet, & patris adoptantis necessario hæres est dumtaxat ab intestato §. 1. & 2. *Institit. de Adopt.*

Priorem Sententiam amplexi sunt *D. Thom. q.*57. *art.*1. *ad* 1. *& art.* 2. *Innoc. in cit. cap. unic. de cognat. legal. Piring. in jus can. lib.* 4. *de cognat. legal.* §. 3. *n.*4. *Engel. eod. loc. n.*3. *Vincent. de Justis de dispensat. Matr. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 198. *& seq. Sanchez. lib.* 7. *de Matr. disp.* 63. *Diana part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 120. *Salmanticenses tract.*9. *de Matr. cap.* 12. *punct.*3. *n.*40. *Rosignol. eod. tract. tom.* 1. *contract.* 15. *disquisit.* 2. *prænot.*10. *sect.*5. *n.* 10. *La Croix in Theologia moral. lib.*6. *part.*3. *n.* 588. Posteriorem vero sectantur, magisque conformem juri Canonico, quod de adoptione indistincte loquitur *in can. Ita diligere in can. Post susceptum in can. Per Adoptionem* 30. *q.* 3. *& in cap. unic. de cognat. legal.* putant *Gloss. in dicto cap. unico, ibique Abb. n.* 3. *&* 4. *Butr. n.* 5. *Boich. num.* 6. *Gonzal. n.* 10. *in fin. Stephan. de Gaeta inter divers. Repet. in jus can. can. Ad limina* 30. *q.*1. *num.* 404. *tom.*1. *Covarr.* 4. *Decret.* 2. *part. cap.*6. §.5. *n.*2. *Reiffenstuel. in jus can. lib.*4. *tit.*12. *num.*10. *Basilius Pont. de matr. lib.* 7. *cap.* 41. *Guttier. eod. tract. cap.* 10. *Hurtad. disp.* 19. *diff.*2. *n.* 30. *Card. de Lauræa d. tract. disp.* 29. *n.*12. Alteri igitur ex hisce sententiis adhærendum erit, si forte judicetur, adoptionem, de qua agitur, non fuisse perfectam, & illius speciei, quæ dicitur arrogatio.

Plures ad perfectam adoptionem præscriptæ sunt solemnitates a Jure civili in §. *cum autem Instit. de nuptiis, & in l.* 2. *& fin. C. eod. & in l.* 3. *ff. de Adopt.* de quibus agunt etiam Canonistæ scribentes *in cap. unic. de Cognat. legali.* Cum autem præcipuæ sint tum Supremi Principis auctoritas, tum expressus Adoptati consensus, ponderandum est, num ambæ in hypothesi concurrerint.

Instrumentum controversæ adoptionis hæc præsefert in ejus initio: In mei &c. Perillustris, & admodum R. D. Sebastianus Pennachionus Ven. Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe Commissarius Generalis omnium Projectorum &c. sponte &c. ac alias omni &c. præfati Archihospitalis vice, & nomine concessit &c. D.Domenico Antonio &c. & Portiæ ejus Uxori licet absenti &c. Valentinum ejusdem Archihospitalis puerum projectum annorum duodecim circiter educatum per d. Portiam &c. eo quia dictus Dom. Antonius propter amorem Dei, & charitatem erga dictum Archihospitale præfatum Valentinum projectum in ejus proprium filium subrogavit, & adoptavit, *& deinde sequuntur reliqua, quæ supra transcripta sunt.*

In

In schedalis vero postmodum typis impressis, quibus occasione similium adoptionum hodie passim utuntur Officiales præfati Archihospitalis, ita latius exprimitur - *N. N. Canonicus Sacerdos professus, ac omnium Projectorum Archihospitalis S. Spiritus in Saxia de Vrbe Commissarius Generalis de speciali ordine, & mandato Illustrissimi, & Rmi Domini dicti Archihospitalis generalis Præceptoris sibi oretenus dato utens omnibus, et singulis privilegiis, facultatibus, et indultis eidem Archihospitali, illiusque Projectis pro validitate hujusmodi contractuum de benignitate S. Sedis Apostolicæ concessis, ac ex antiquissima consuetudine competentibus, omnique alio meliori modo dicti Archihospitalis nomine in filium concessit, & concedit N. ejusdem Archihospitalis puerum projectum, & hoc, quia N. cupiens adoptionem naturam imitantem solatium filiorum sibi querere, & ob Dei amorem hujusmodi actum charitatis erga dictum N. pauperum projectum exercere, renunciavit, & renunciat, medio juramento, omnibus, & singulis legibus, statutis, Decretis, & reformationibus, quæ disponunt de solemnitatibus, in similibus adbibendis, immo dicti Archihospitalis consuetudini, & privilegiis præfatis inhærens prænominatum N. ibi una cum D. Commissario præsentem, acceptantem, ac N. filium esse volentem & declarantem, & insignum veræ filiationis N. manus deosculantem, filialemque reverentiam, obsequium, & obedientiam præstare promittentem in ejus verum, proprium, legitimum, et tanquam naturalem filium primigradus, etiam cum facultate succedendi tam ex Testamento, quam ab intestato in omnibus et singulis ipsius Adoptandis bonis &c. consolidando Jura civilia cum naturalibus, acceptavit, & adoptavit, atque acceptat, & adoptat, itaut ab hodie in futurum dictus N. Adoptatus pro vero, legitimo, & naturali filio primi gradus ipsius Adoptantis semper ab omnibus habeatur, & perpetuo reputetur.*

Præter binas adoptionis species hactenus expositas, tertia quoque expenditur a Doctoribus, quæ nonnisi improprie adoptio nuncupatur ea nimirum, quæ, forma a legibus præscripta nullatenus servata, privatim coram Vicinis, aut aliis honestis Personis fiat, Magistratu non interveniente, hanc nullum impedimentum Matrimonio præstare, tradunt *Jo. Andr. in cap. unic. num. 2. de cognat. legal.*, *Ancharan. in eodem. cap. n. 3.*, *Sanchez. de Matr. lib. 7. disp. 63. n. 18.*, *et Engel. in Jus Canon. lib. 3. de cognat. legal. n. 6. et 7.*; ubi ita concludit -- *Immo, licet in Germania unio Prolium species sit adoptionis, ejusdemque solemnitates requirat, tamen ex ea non nascitur impedimentum cognationis legalis, quia talis unio non tam fit propter majorem conjunctionem Personarum, quam bonorum, ut diversorum Matrimoniorum liberi æqualiter in bonis tam paternis, quam maternis succedant*, & *Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. univers. p. 2. lib. 10. cap. 6. in fin.* tradens descrimen inter Adoptatum, & Alumnum, hæc ait -- *Siquidem Adoptatum vel instituere, vel exheredare, ut filium necesse erat, & legitimam ex lege relinquere saltem; at in Alumno, quantumvis quis promiserit, ut filium habere, idipsum non est necessarium; neque inhibitæ sunt nuptiæ cum Alumna, cum tamen cum adoptiva filia prohiberentur* --

Præmissa pertinent ad decisionem primi ex Dubiis infra describendis, Pro eo vero, quod attinet ad petitam dispensationem, de qua agendum erit in secundo Dubio, quatenus primum affirmative decidatur,

Vincentius de Justis de dispens. matr. lib. 2. cap. 6. n. 86. & seq. sic inquit ,, Et hæc circa hanc cognationem veloci calamo percurrisse ,, sufficiat cum raro super ea dispensatio concedatur ; non quia di- ,, spensatio necessaria non esset ad Matrimonium contrahendum , vel ,, quia a Pontifice concedi non possit , sed quia in linea recta Papa ,, difficillime , & nonnisi ex causa gravi dispensat ; in transversali ,, vero raro recurritur ad Pontificem , cum alias per emancipationem ,, dissolvatur, ut diximus , et sic possit absque dispensatione iniri Matrimonium ,, idemque animadvertunt *Cler. de Matr. dec.* 24. *nu.* 32. *in fin. Rebuff. in prax. Benef. Regul. de dispens. in gradib. prohib. gloss. n.* 25.

Cæterum , posito , quod cognatio legalis , quæ contrahitur inter Adoptantem , & uxorem Adoptati , & e converso se habeat per modum affinitatis legalis , inferri posse videtur , quod in ea non adeo difficile dispensari debeat ; immo, sicuti *Nicolaus I.* cognationem spiritualem cum legali comparat , eamque multo fortius Matrimonium impedire statuit *in Can. Ita diligere.* 30. *q.* 3. ibi -- *Si ergo inter eos non contrahitur Matrimonium , quos adoptio jungit , quanto potius a carnali oportet inter se contubernio cessare , quos per cœleste Sacramentum regeneratio S. Spiritus vincit* -- ita dubitari potest , num afferta dispensatio regulari queat juxta dispensationem cognationis spiritualis , quam seclusa linea recta , in compaternitate , & commaternitate , non difficile accedente justa aliqua causa , concedit , testatur *Vinc. de Justis de dispens. Matr. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 72.

Fusius hæc oportuit exponi in Folio, quia nulla Oratoris Scripta ob ejus inopiam circumferentur . Decernere autem non gravabuntur Eminentiæ VV.

I. *An constet de impedimento cognationis legalis in casu , de quo agitur*; & quatenus affirmative .

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione .*

Ad utrumque Affirmative .

In postrema Congregat. indecisæ remanserunt quatuor sequentes Causæ.

Sess. 6. c. 2: & Sess. 24. c. 12. de ref.

FUNDANA PARTICIPATIONIS .

An , & quæ portio distributionum , & reddituum Canonicalium competat Cannnico Gaspari Goffredo, donec in Minoribus fuerit, & quousque respective ad Ordinem Sacerdotalem ascenderit in casu &c.

Deberi integram portionem ad instar aliorum Canonicorum , & amplius .

Cap. 6 Sess. 22. de Ref.

NEAPOLITANA , SEU CONSENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS .

An , & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in subsidium Sororum supplicantium in casu &c.

Consulendum Sanctissimo pro Commutatione juxta modum.

LAN-

LANCIANEN. VISITATIONIS.

I. *An licuerit Archiepiscopo Lancianen. die* 16. *Augusti* 1733. *indicere Visitationem localem, & personalem in Terra Castrinovi in casu &c.* Sess. 24. c. 3. & c. 10. de ref.

II. *An comminatio Censurarum contenta in edicto diei* 22. *Augusti ejusdem anni arctaverit Sacerdotes Petrum Crognale, Petrum de Fario, Julianum Crognale, Beniaminum Virgilii, & Clericum Antonium Caporale, itaut citra incursum in excommunicationem potuerint resistere Visitationi*; & quatenus negative quoad secundam partem.

III. *An Censuræ sustineantur in casu &c.*

IV. *An post obtentam absolutionem ab excommunicatione per Sacerdotem Epiphanium de Martinis, rite, & citra incursum in irregularitatem potuerint celebrare in casu &c.*

V. *An constet de Attentatis commissis in spretum Decreti Eminentissimi Pro Auditoris Sanctissimi, itaut sit locus eorum purgationi, & respective circumscriptioni sententiæ declaratoriæ incursus in irregularitatem per Archiepiscopum latæ contra eosdem Ecclesiasticos in casu &c.*

VI. *An multa pecuniaria contra eosdem Ecclesiasticos lata die* 7. *Mensis Decembris* 1733. *sustineatur in casu &c.*

Ad primum affirmative, & amplius. Ad II. Affirmative ad primam partem, & Negative ad secundam, & amplius. In reliquis dilata, & Episcopus omnino procedat ad Visitationem, & Sacr. Congreg. certioret.

RUBEN. EXPENSARUM.

An pecuniæ pro expensis faciendis in Causis pendentibus discutiendis in Sacra Congregatione, vel in aliqua earum sumi possint ex massa communi Capitulari Ecclesiæ Cathedralis Rubensis in casu &c. Sess. 25. c. 1. de Ref.

Negative, & Episcopus mandet reintegrari Massam Capitulurem de pecuniis extractis.

GERUNDEN. JURISDICTIONIS. Acerrima controversia adversus Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Gerundensis jampridem promota ab ejusdem Ecclesiæ Archidiacono contendente, se in Episcopalem jurisdictionem, Sede vacante, independenter a Capitulo succedere, proindeque posse visitare Cathedralem, illiusque Capitulum, atque contra illud absque Adjunctis procedere tam in visitatione, quam extra illam, summatim exposita fuit in Folio Congregationis habitæ *die* 13. *Junii* superioris anni, ubi referuntur rationes ab utraque Parte deductæ; Sacra autem Congregatio *die* 18. *Julii* ejusdem anni, disceptato Dubio -- *An sit standum, vel recedendum a decisis quo ad III. & IV. Dubium sub die* 12. *Februarii* 1729. *in casu &c.* -- rescripsit -- *Dilata, & ad mentem*, quæ fuit, ut Episcopus instructam redderet Sacram Congregationem de exemptione, quam sibi Capitulum asserit, necnon referret, quomodo Sess. 6. c. 4. Sess. 24. c. 16., & Sess. 25. c. 6 de ref.

idem Capitulum visitari consueverit, Sede Episcopali plena, aut vacante.

Cum itaque Episcopus consentanee ad ejusmodi Rescriptum Sacræ huic Congregationi literas nuperrime dederit iterum supremo Eminentiarum VV. Judicio proponitur definiendum.

An sit standum, vel recedendum a decisis quo ad III., & IV. Dubium sub die 12. *Februarii* 1729. *in casu &c.*

Dilata, & ad Mentem.

Sess. 24. c. 1. de ref. Matr. MEDIOLANEN. MATRIMONII. Francisca Maria Montalva Catholica Civis Mediolanensis, & Christopharus Buttlar Lutherana hæresi pollutus, atque ex Provincia Silesiæ oriundus sub annum 1722. inter se Matrimonium injerunt, non quidem coram Parocho S. Babilæ Civitatis Mediolanensis, sub cujus Paræcia ambo degebant, sed coram Joanne Maximiliano Villani Religioso Theatino qui in Arce ejusdem Civitatis vicesgerens Cappellani Exercitus Cæsarei asseruit, se vigore Privilegiorum militarium assistere prædicto Matrimonio, ex quo soboles subinde progenita fuit.

Post hæc Parochus S. Babilæ paucis elapsis diebus, de mandato Eminentissimi Archiepiscopi prædictos Contrahentes, qui in forma veri, & legitimi conjugii cohabitabant, jussit illico separari, eosque monuit de Matrimonio, nedum illicite, verum etiam invalide contracto, eo quia proprii Parochi præsentia non fuerit adhibita.

In hoc rerum statu Francisca Maria, & Christopharus communi consensu supplices postularunt, ut Matrimonium prædictum revalidaretur. At Archiepiscopalis Curia Mediolanensis eorum votis noluit indulgere, nisi sub conditione, quod Christopharus, Lutherana hæresi ejurata, orthodoxam Religionem amplecteretur; quamobrem Christopharus, qui obfirmato animo in hæresi erat, desperans, se posse amplius valide Matrimonio jungi cum dicta Francisca Maria in Germaniam secessit; subindeque, nonnullis receptis epistolis Franciscæ Mariæ, semel, atque iterum eidem rescripsit, sibi constare, invalidum esse Matrimonium, quod cum ea injerat, seque illud esse convalidaturum, si dos promissa solveretur, eique permissum esset vivere sub ejus Religione, quam numquam ullo pacto se dimissurum asseruit; ut autem ignoraretur locus ubi commorabatur, literas dedit, nunquam indicato loco unde rescriberet.

Verum quia elapsi sunt sex anni, quibus de eodem Christopharo nulla habita fuit notitia, nullaque proinde affulget spes, ut prædictum Matrimonium valeat revalidari, eadem Francisca Maria, citato Promotore Fiscali Curiæ Archiepiscopalis, itidemque in judicium vocatis per Edictum Christopharo de Buttlar, & Patre Joanne Maximiliano Villani, institit coram Vicario Generali, ut prædictum Matrimonium irritum, atque invalidum declararet, eoque renuente petitioni Oratricis assentiri sub fundamento, quod tam Pater Joannes Maximilianus, quam Christopharus essent personaliter citandi, aut saltem per Edictum in partibus Germaniæ, ubi verisimile est, eos commorari, eamdem instantiam promovit coram hac Sacra Congregatione, quæ die 8. Maii labentis anni rescripsit -- *Eminentissimo Archiepiscopo pro informatione, & Voto* --

Vicarius Generalis hac de re certiorem reddens Sacram Congregationem

nem confirmat ea, quæ hactenus fuerunt exposita; deinde vero affirmans, dictum Christopharum Buttlar non fuisse militem Cæsareis copiis cooptatum in Arce Mediolanensi, sed utrumque conjugem tempore initi Matrimonii habitasse in dicta Paræcia S. Babilæ, proindeque irritum esse controversum Matrimonium, utpote præsentia proprii Parochi destitutum, ita subdit — *Videtur inevitabilis citatio personali Viris, de cujus interesse principaliter agitur, vel saltem per Edictum in Provincia Silesiæ publicandum, & affigendum, si ejus persona inveniri non possit, ne incitatus, & inauditus spolietur uxore, cumqua contraxit.*

Hisce in facto præmissis, binæ inspectiones impræsentiarum occurrunt examinandæ, altera nimirum, an Pater Joannes Maximilianus Parochi officio rite fungi potuerit: Apostolica enim Indulta, quibus consuevit concedi Cappellanis Exercituum facultas administrandi Sacramenta Militibus, pluribus conditionibus concepta sunt, & signanter Clemens XI. ad petitionem Augustissimi Imperatoris per suas Literas Apostolicas in forma Brevis die 28. Junii 1720. Cappellano Majori Exercituum Cæsaris tribuit facultatem, ut ab ipso, vel aliis Sacerdotibus ab aliquo Ordinario approbatis, & ab eodem Cappellano Majori subdelegandis administrarentur Sacramenta, & plura alia peragerentur, additis his verbis „ Volumus autem, ut ii Sacerdotes, quos idem Cappellanus Major pro Sacramentis etiam „ Parochialibus Militibus, aliisque Personis quibuscunque dictorum „ Exercituum ministrantibus, ut præfertur deputandos duxerit, nul- „ latenus pro eisdem Sacramentis eo tempore, iisdem Militibus, & „ personis præfatis, qui, & quamdiu in præsidiis fixis stabilibusque „ consistent, sed quando dumtaxat Exercitus prædicti, sive Legio- „ nes, quibus inserviunt in actuali expeditione reperientur, aut in „ temporaneis hybernis, vel æstivis stationibus detinebuntur, ad- „ ministrandis deputati intelligantur „; atque itidem Benedictus XIII. Cappellano Cæsarei Exercitus eamdem concessit facultatem exercendam, *dumtaxat erga Milites, aliasque utriusque sexus personas ad dictum Exercitum, comprehensis etiam copiis auxiliaribus, quomodolibet spectantes*, eamque sub hac clausula concepit „ Volu- „ mus autem, ut ii Sacerdotes, quos idem Cappellanus Major pro „ Sacramentis etiam Parochialibus, Militibus, aliisque personis „ quibuscunque dictorum Exercituum ministrandis, ut præfertur, „ deputandos duxerit, nullatenus quidem hujusmodi facultatibus uti „ valeat erga Milites præsidiarios, qui continue arcium, seu alio- „ rum locorum custodiæ adscripti sunt, quos eorumdem locorum „ Parochis, & Ordinariis in omnibus, & per omnia subesse decla- „ ramus, sed dumtaxat erga Milites, & personas Exercituum præ- „ dictorum ad vagas belli operationes destinatos, tum ubi in actuali „ expeditione reperientur, tum etiam cum in quibuslibet accidenta- „ libus, & temporaneis, sive hybernis, sive æstivis, aut etiam præ- „ sidialibus stationibus pro tempore detinebuntur.

Hinc communiter receptum est, quod Cappellani Exercituum non possint valide assistere Matrimoniis eorum Militum, qui non sunt in actuali expeditione, sed in Castris, aut in hybernis stationibus, vel in Arcibus, & præsidiis merent, nisi, & hoc in Apostolico Diplomate expresse fuerit indultum, *Reiffenstuel. in jus Can. tom.* 4. *tit.* 3. *de Clandest. despon.* §. 2. *n.* 97. *Smalzgrub. eod. loc. n.* 165., & *seqq.*

seqq., *Eminentiss. Petra tom.* 2. *ad Constit.* 13. *Innoc. III. Rot. in Leod. Matrimonii* 2. *Maii* 1732. *cor. R. P. D. Corio*.

Et consentanee ad hæc Sacra Congregatio *in una Mediolanen.* disceptato Dubio -- *An sit validum Matrimonium contractum a Milite in statione degente coram Cappellano sui Tertii* -- *die* 11. *Decembris* 1677. rescripsit -- *Matrimonia Militum quocumque loco existentium quocumque loco contrahenda*, *fore nulla*, *nisi doceatur de sufficienti facultate*, *aut privilegio*. *Quoad Matrimonia præterita particulariter videatur*, *& hoc scribatur Eminentiss. Archiepiscopo Mediolanensi*, *qui aliis Episcopis prudenter communicet* -- idemque postea declaravit *in Frisingen.* 29. *Jan.* 1707., *& in Barchinonen. Matrimonii* 4. *Decembris* 1723. ac in altera Causa, in qua disceptatum fuit Dubium Matrimonii pariter initi a Milite degente in statione ita conceptum -- *An Matrimonium contractum inter Augustinum Antonium*, *& Margaritam sit validum in casu &c.* 30. *Julii* 1701. respondit -- *Non constare de validitate* -- & novissime rescripsit pro nullitate in *Neapolitana Matrimonii* 29. *Augusti superioris anni*, in cujus Folio relata fuerunt generalia Dubia ab hac Sacra Congregatione resoluta die 6. *Martii* 1694.

Altera autem inspectio in eo versatur, num tam Pater Joannes Maximilianus, quam Christopharus sint personaliter citandi, aut saltem per Edictum affigendum in Partibus Germaniæ interpellandi, antequam controversum Matrimonium declaretur irritum, & invalidum; etenim Francisca Maria ex pluribus facti circumstantiis contendit superfluum, quin immo impossibile reddi, eosdem Joannem Maximilianum, & Christopharum personaliter monere; superfluum quidem, cum usque ab initio certiores ambo facti sint de nullitate Matrimonii, nilque adversus eam opposuerint; impossibile vero, quia ignoratur, an amplius vivant, vel, si vivunt, nescitur locus, ubi iidem modo commorentur; his autem concurrentibus circumstantiis, satis esse, alterum conjugem absentem, & latitantem per Edictum interpellare, vel saltem ab ejus personali interpellatione concedendam esse dispensationem, resolvit Sacra hæc Congregatio *in Florentina*, ubi, propositis hisce Dubiis -- I. *An de jure necessaria sit interpellatio in casu &c.* & quatenus affirmative -- II. *An stantibus circumstantiis*, *indulgenda sit dispensatio ab interpellatione in casu &c. die* 17. *Januarii* 1722. rescripsit -- *Ad utrumque affirmative* -- & in *Vvormatien. Matrimonii in casu* -- *die* 7. *Julii* 1731. respondit -- *Affirmative* --; & tamen Ordinarius Sacræ Congregationi rescripserat, se non potuisse conjugem hæreticum degentem in remoto Prussicæ Ditionis Oppido, quod penitus a Catholicæ Religionis Institutis abhorret, personali citatione monere, sed per Edictum illum interpellasse, ut jura sua in Sacra Congregatione deduceret.

His itaque perpensis, decidendum est.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 25. cap. de regular.

SPOLETANA PROCESSIONUM. Contendens Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Terræ Trebii, se posse compellere Parochos rurales Comitatus ad interveniendum Processionibus SS. Corporis Christi, & S. Æmiliani dictæ Terræ Patroni, cujus festum celebratur die 27. Janua-

Januarii, contra illos judicium instruxit anno 1699. coram Episcopo Spoletano, a quo contrariam cum passum fuisset Sententiam, meliorem deinde expertum fuit sortem coram A. C., qui contra Parochos pronunciavit; sed, istis postea reclamantibus ad san. mem. Benedictum XIII., placuit dicto Summo Pontifici, Causam denuo committere Episcopo Spoletano, qui, Partibus auditis, procederet prout de jure, quacumque appellatione remota.

Redintegrata igitur coram dicto Episcopo hujus litis discussione, prodiit favore Parochorum Sententia declarans, -- *Eos non teneri*, *nec obligatos esse accedere ad prædictas Processiones* -- cui minime acquiescente Capitulo tandem controversiæ decisio Sacræ huic Congregationi delegata fuit.

Notissimum est Sacrosancti Tridentini Concilii Decretum *Sess.* 25.*Cap.* 13. *de Regul.*, quo statuitur, ut omnes Clerici tam Sæculares, quam Regulares ad publicas Processiones vocati accedere compellantur. Inter publicas autem Processiones nemo dubitat, præcipuam esse, quæ fit in die solemnitatis SS. Corporis Christi, pariterque recensendam alteram in Festo Titularis, vel Patroni loci ex antiqua consuetudine fieri solitam, ut habetur *in Rituali Romano de Processionibus*, tradunt communiter DD. de hac re tractantes.

Excipiunt tamen Parochi rurales Comitatus Terræ Trebii, se compelli non posse ad interveniendum Processionibus prædictis, eo quia sub memorato Tridentini Decreto non comprehendantur Clerici extra Civitatem, vel Oppidum degentes cum propria Plebe, juxta mentem hujus Sacræ Congregationis, de qua testatur *Campanil. in divers. jur. Canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *n.* 117., & passim firmant DD.; multoque magis concurrentibus itineris longitudine, ac viarum asperitate, cum sola distantia quingentorum passuum a mæniis Oppidi, seu Civitatis sufficiens reputetur ne Clerici rurales licet curam Animarum non habentes teneantur accedere ad publicas Processiones in ea fieri solitas, ut notat. *Fagnan. in Cap. Nimis prava. de Excess. Prælat. n.* 11., & rescripsit Sac. hæc Congregatio juxta Resolutionem, quam refert *Piasec. in prax. Episcop. par.* 2. *cap.* 3. *n.* 51.

Id autem intelligendum est, procedere in casu, quo contraria non vigeat legitima consuetudo, uti declaravit Sacra Congregatio in *Strongolen.* 17. *Junii* 1645., in qua definitum fuit, Episcopum, ea concurrente, compellere posse Regulares etiam ultra medium milliare a Civitate distantes, ut intersint Processionibus. *lib.* 17. *Decr. pag.* 483., quinimmo etiam ultra milliare, tradit *Matthæuc. de Official. Cur. Eccles. cap.* 4. *n.* 8.

Cæterum, ubi etiam Parochi tenerentur accedere ad Processiones prædictas, contendunt, se non posse multari a Capitulo, ut pote nullam super ipsis habente jurisdictionem, quæ signanter in decernendis pœnis contra renuentes accedere ad publicas Processiones privative spectat ad Episcopum, Sacra Congregatio *in Papien.* 8. *Maii* 1627. *lib.*13. *Decr. p.*256.*& in Bobien.* 16. *Martii* 1630. *lib.*14. *dec.p.*260.

Pro Capitulo nihil hactenus deductum est; ad Eminentias VV. pertinet igitur decidere.

I. *An Parochi rurales Comitatus Terræ Trebii teneantur processionaliter intervenire ad Processiones SSmi Corporis Christi, & S. Æmiliani Patroni*, & quatenus affirmative.

II. *An possint multari a Capitulo in casu &c.*

SAN-

Sess. 25. Cap. 4. de ref., & Decret. de obser., & evit. in celebr. Miss.

SANCTI ANGELI IN VADO. In Venerabili Ecclesia SS. Conceptionis, quam vocant - *del Monticello* -- Societatis S. Josephi Civitatis Vadensis ab anno 1626. ad hæc usque tempora sub die 10. Decembris cujuslibet anni ex hæreditariis bonis Hyppoliti Vernatii juxta assertam ejus piam dispositionem solemniter celebrata fuit festivitas Almæ Domus Lauretanæ, eique Capitulum Cathedralis Ecclesiæ una cum universo Clero tam Sæculari, quam Regulari, necnon Magistratus ejusdem Civitatis semper interesse consueverunt.

Nuper autem Patres S. Francisci Ordinis Minorum Conventualium dictæ Civitatis Vadensis instituti hæredes universales a Cornelia ultima descendente ex linea præfati Hyppoliti authumantes, se non teneri ad celebrationem prædictæ festivitatis; multoque minus posse adstringi ad invitandum Canonicos, ac Mansionarios Cathedralis Ecclesiæ, aut quidquam eis nomine eleemosynæ, seu emolumenti præstandum, solemnem coram Vicario Generali emiserunt protestationem, in qua hunc animum declararunt.

Verum, quia idem Vicarius Generalis prætensionem dictorum Patrum rejecit juxta definitivum illius Decretum, quod subinde ab A. C. fuit confirmatum, iidem PP. supplicem SS. D porrexerunt libellum, ut Sanctitas Sua dignaretur celebrationem dictæ festivitatis ab Ecclesia SS. Conceptionis ad Ecclesiam eorum Conventus transferre, quo ad Sacram hanc Congregationem remisso, *die* 22. *Novembris* 1732. prodiit Rescriptum -- *Attenta Relatione Episcopi S. Angeli in Vado, benigne commisit eidem, ut, veris existentibus narratis, supradictam facultatem celebrandi festivitatem Translationis Almæ Domus Lauretanæ tantum in propria eorum Ecclesia pro suo arbitrio, & conscientia Oratoribus gratis impartiatur*.

Cum itaque Episcopus in hujus Rescripti sequelam Decretum eorumdem Patrum petitioni conforme edidisset, Administratores, seu Officiales prædictæ Ecclesiæ SS. Conceptionis ad Sacram Congregationem reclamarunt; quare jussus Episcopus referre super novis precibus, Votumque suum aperire in literis, quas nuperrime dedit, ita rescripsit -- *His itaque omnibus consideratis, censeo, honorificentiam ejusdem festivitatis restituendam esse ipsi Ecclesiæ S. Josephi juxta mentem dicti pii Testatoris, qui in eadem Ecclesia, & non alibi per suos Hæredes celebrari voluit festivitatem prædictam*.

Porro, quod controversa festivitas Almæ Domus Lauretanæ semper celebrari consueverit in Ecclesia SS. Conceptionis probare contendunt Administratores dictæ Ecclesiæ tum ex ipsorummet Patrum confessione, tum ex informatione Episcopi, tum ex nonnullis Visitationibus per Ordinarios factis, tum denique ex testimonio plurium Testium; indeque inferunt, eamdem festivitatem relictam in honorem, & cultum prædictæ Ecclesiæ, cum istius detrimento transferendam non esse ad Ecclesiam Conventus dictorum Patrum, nec ullo in pretio haberi posse translationem ab hac Sacra Congregatione ad eorum preces indultam anno 1732., quippe quæ nonnisi subreptitie, & obreptitie fuerit impetrata, dum falso expositum fuit, ob angustiam dictæ Ecclesiæ tempore, quo festivitas celebratur, oriri contentiones, & incommoda plura, & reticitum est, eamdem Ecclesiam -- *del Monticello* -- in medio Civitatis existentem Clero, & Populo commodiorem esse præ Ecclesia Conventus dictorum Patrum, quæ sita reperitur extra mœnia ejusdem Civitatis.

Jura

Jura, quibus prædicti Patres controversam translationem tuentur, nondum allata sunt. Vestrum itaque erit, Eminentissimi PP., deliberare.

An, & in qua Ecclesia sit celebranda Festivitas Almæ Domus Lauretanæ in casu &c.

Die Sabbathi 20. Novemb. 1734.



PISTORIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Facti species habetur in Folio diei 21. Augusti proxime præteriti; Cum vero ea die Causa discuti non potuerit in Congregatione postmodum habita die 11. subsequentis Mensis Septembris, proposito Dubio -- *An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis bo: me: Præpositi Cellesii in casu &c.* rescriptum fuit -- *Quoad bona hæreditaria negative, & servetur mens Testatoris, quo vero ad scuta bis mille, investiantur in stabilibus*. At Executores Testamentarii præmisso Rescripto minime acquiescentes, impetrata facultate preces suas iterum exponendi humillime postulant ab Eminentiis VV.. ut denuo expensis rerum omnium circumstantiis, ob quas sibi blandiuntur, nedum æquam, sed ferme necessariam probari petitam commutationem voluntatis Præpositi Cellesii, deliberare dignentur.

Sess. 21. c. 6., & Sess. 25. c. 4. de ref.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Quoad scuta 2000. in Decisis; in reliquis prævio recessu a Decisis consulendum esse Sanctissimo pro Commutatione Voluntatis juxta modum, & pro hujusmodi effectu scribatur Episcopo juxta instructionem.

Sess. 25. c. 12. de ref.

RUBEN. EXPENSARUM. Causa hæc descripta primum in Folio diei 11. Septembris proxime præteriti, proposita fuit in S. Congregatione die 25. ejusdem mensis, qua informantibus tantum Canonicis Theologo, & Pœnitentiario Cathedralis Ecclesiæ novissime ab Episcopo institutis, ad Dubium hisce verbis conceptum -- *An pecuniæ necessariæ pro expensis faciendis in Causis pendentibus, & discutiendis in Sacra Congregatione, vel aliqua earum sumi possint ex massa communi Capitulari Ecclesiæ Cathedralis Rubensis in casu &c.* responsum est -- *Negative, & Episcopus mandet reintegrari Massam Capitularem de pecuniis extractis*.

Cum autem Antiquiores Presbyteris Participantes ejusdem Ecclesiæ e re sua esse putaverint adversus præmissum contumaciale Rescriptum jura quibus contendunt sibi licere pecunias a Massa Capitulari extrahere, huic Sacro Consessui quantocitius examinanda subjicere, idcirco ad ipsorum petitionem hodie proponitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

In Decisis, & amplius.

Tres quæ sequuntur Causæ, in superiori Congregatione diei 25. Septembris mox elapsi ob angustiam temporis non potuerunt proponi: resumpto itaque Folio tunc distributo rogantur Eminentiæ VV. ad singula earum Dubia respondere.

Sess. 24. c. 1. de ref. Matr.

MEDIOLANEN. MATRIMONII.

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Prævia Citatione Christophori per edictum de more affigendum ad Valvas in locis publicis Mediolani cum termino duorum Mensium ad comparendum, & nemine intra eumdem terminum Comparente, Eminentissimus Archiepiscopus procedat ad declarationem Nullitatis Matrimonii.

Sess. 25. c. 13. de regular.

SPOLETANA PROCESSIONUM.

I. *An Parochi rurales Comitatus Terræ Trebii teneantur processionaliter intervenire ad Processione Sanctissimis Corporis Christi, & S. Æmiliani Patroni*; & quatenus affirmative.

II. *An possint multari a Capitulo in casu &c.*

Ad primum Negative: Ad secundum provisum in primo.

Sess. 25. c. 4. de ref., & Decret. de obser. & evit. in celebr. Miss.

SANCTI ANGELI IN VADO.

An, & in qua Ecclesia sit celebranda Festivitas Almæ Domus Lauretanæ in casu &c.

Celebrandam esse in Ecclesia S. Josephi, & amplius.

Sess. 7. c. 7., Sess. 14. c. 10. de ref., 4. Sess. 25. c. 11. de Regul.

CONSTANTIEN. Magnus Prior Alemaniæ Ordinis Hierosolymitani, prævio examine, & approbatione Commissarii Curiæ Episcopalis Constantiensis in Oppido Friburgi commorantis, curam quinque Parochialium Ecclesiarum, nimirum Heitersheim, Grisson, Bremgastem, Schlat, & Espach, quæ ad Magnum illius Prioratum spectant nonnullis Religiosis ex Seraphico Ordine Minorum Conventualium commisit.

Verum Episcopus Constantiensis prætendens, sibi solvi debere nonnullas Taxas ex prædictis Ecclesiis, necnon authumans, dictos Regulares non fuisse legitime approbatos ad curam Animarum, primum jussit, dictas taxas sibi præstari, atque eosdem Patres novo subjiciendos esse examini; deinde, non obstante appellatione, quam interposuerat Magnus Prior terminum quatuor dierum pro sui decreti executione, eamque, vix elapso prædicto termino, neglectaque inhibitione Nuncii Apostolici apud Helvetios residentis a Magno Priore expedita, impetravit a memorato Austriæ Regimine, ut proventus dictarum Ecclesiarum manciparentur, præfatique Patres ab earum cura, & administratione exularent sub duplici fundamento: primo, quod curæ, & regimini ejusmodi Ecclesiarum præficiendi sint Presbyteri Seculares, non autem Regulares, secundo, quia dicti Religiosi non

si non fuerint ab Episcopo examinati, & ad curam Animarum approbati.

In hoc rerum statu Magnus Prior instetit coram præfato Nuncio Apostolico pro purgatione Attentatorum, & Decretum favorabile obtinuit. Episcopus vero, interposita appellatione, curavit, jura sua tueri coram A. C., qui agnoscens decisionem hujuscemodi controversiæ potissimum pendere a quadam Resolutione Sacræ hujus Congregationis sub annum 1667. edita his verbis „ Bajulivi S. Ordinis Hierosolymi- „ tani Cappellanos ad Curam Animarum exercendam collocare non „ possunt nisi prævia Episcopi approbatione, qui, ut ejusmodi cura „ per Sacerdotes Regulares exerceatur, permittere nec potest, nec „ debet „ censuit, hac de re exquirendum esse oraculum Sacræ hujus Congregationis, in qua proinde habita jam relatione Episcopi Constantiensis facti seriem supra expositam confirmantis, ejusque jura mordicus tuentis, atque acceptis literis memorati Nuncii, qui post relatam eamdem facti speciem supplicat, ut compellatur Episcopus ad purgandum Attentata in spretum suæ inhibitionis patrata, modo assumendum est examen Dubiorum, quæ infra describentur.

Porro, quod attinet ad primi Dubii decisionem, quæ potissimum pendet ab illa inspectione, num cura, & administratio dictarum Parochialium committi possit personis Regularibus, statim sese offert vulgatissimum illud axioma, quod Beneficia secularia Secularibus, regularia Regularibus sunt conferenda, juxta canonicas sanctiones, de quibus in *Cap. Cum de Beneficio. de Præbend. in 6.*, *in cap. Nullus. de elect. eodem lib. 6.*, *& in Clement. Ne in agro.* §. *Cæterum*, *&* §. *Sane. de Stat. Monach.* cum aliis apud *Fagnan. in cap. Cum ad nostram n. 3. de elect.* Ita quidem, ut Beneficium Sæculare nec etiam in commendam viro Religioso dari possit, juxta *Regulam* 43. Cancellariæ Apostolicæ, atque collatio, seu institutio personæ Regularis in Beneficio Seculari ipso jure irrita, & invalida existat, uti advertunt *Garz. de Benef. part.* 7. *cap.* 10. *n.* 2., *& seqq.*, *Tambur. de jur. Abbat. tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 8. *Pellizzar. in Manual. Regular. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 4. *sect.* 4. *q.* 1. *n.* 104. *Eminentissimus Petra in commentar. ad Const.* 1. *Anastasii IV. sect.* 1. *n.* 15.

Immo, prætermissis antiquioribus Ecclesiæ legibus, quæ sive ex dispensatione, sive ex jure communi elargiebantur Monachis, multoque magis Canonicis Regularibus facultatem assequendi Beneficia Secularia, quibus animarum cura adnexa erat, *Cap. Quod Dei timorem. de Stat. Monach. Glos. in cap.* 2. *verb. Parochiales in Stat. Monach.*, *in cit. c. Quod Dei timorem*, & late *Tomass. de Benef. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 22., *& seqq.*, dummodo tamen idem Monachi, seu Canonici Regulares de uno ad alium Ordinem non fuisent translati, uti sancitum fuit a *Sacrosancto Concilio Tridentino Sess.* 14. *de Reform. cap.* 11. *in fin.*, ex jure novissimo cautum habetur, quod ad Beneficia sæcularia etiam curata incapaces existant non solum Monachi, uti colligitur ex pluribus Resolutionibus Sacræ hujus Congregationis, quas late referunt *Fagnan. in Cap. Quod Dei timorem num.* 17., *& seqq. de Stat. Monach.*, *& Eminentissimus Petra tom.* 2. *ad Const.* 1. *Anast. IV. sect.* 1. *n.* 26., verum etiam Canonici Regulares, sive de uno ad alium Ordinem Regularem translati fuerint, sive etiam in eodem Ordine permaneant, juxta Decretum a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium negotiis præposita

approbante san. mem. Clemente X., editum, ubi statuitur, ut ,, imposterum futuris perpetuis temporibus nemo ex Canonicis Regularibus Sancti Augustini Congregationis Lateranensis, quamvis non translatus ad Curam Animarum in Ecclesiis Secularibus etiam de Jurepatronatus in perpetuum, seu ad tempus quocumque titulo exercendam admittatur, nisi præter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ Indultum accedat, quod juxta Sacrorum Ministrorum penuriam, & prout Animarum postulabit utilitas, in contingentibus casibus concedetur ,, ; Idemque comprobatur ex praxi Sacræ hujus Congregationis, quæ Religiosis, & Canonicis Regularibus dispensationem ad assequendas Ecclesias Seculares curam Animarum adnexam habentes pluries denegavit, & signanter *in una Canonicorum Regularium SS. Salvatoris die* 17. *Julii* 1723. *& in Colonien. Dispensationis* 9. *Febr.* 1732.

Et quamvis Regulares præfici possint Parochialibus Ecclesiis eorum Monasteriis unitis; id tamen procedit dumtaxat in casu, quo eædem Ecclesiæ *subjective*, nimirum tam quoad temporalia, quam quoad spiritualia fuerint d. Monasterio unitæ, *arg. Clement. I. de excess. Prælat. ibiq. Gloss. verb. Mensam, Barbos. de Offic., & potest. Episc. alleg.* 72. *n.* 189. *Engel. in jus can. lib.* 3. *tit.* 37. *n.* 11. *Reiffenstuel. eod. loc. n.* 8. & resolvit Sacra hæc Congregatio in *Ratisbonen. Juris deputandi Vicarium*, ubi cum disceptatum fuerit -- I. *An Vicarii deputandi ab Abbate Monasterii Vualdsassen. Parochiis, de quibus agitur, sint deputandi perpetui, seu potius temporanei*, & quatenus affirmative quod secundam partem II. *An sit liberum Abbati deputare in prædictis Vicarios temporaneos etiam Monachos sui Monasterii in casu &c. -- die* 28. *Julii* 1713 *Rescriptum fuit*, Ad I. *Negative ad primam partem, & affirmative quoad secundam*. Ad II. *affirmative* -- ut in *lib.* 63. *Decr. p.* 311. Secus autem est in casu, quo unio dictarum Ecclesiarum *accessorie*, & quoad temporalia tantum facta fuerit; tunc enim, quia in iis constitui debet Rector, seu Vicarius perpetuus, *arg. cap. Lateranensis* 31. *de præben. cap. in Ecclesiis*, 3. *de Privil.*, *& cap. unic. eod. tit. in* 6., & statuerunt Tridentini Patres *Sess.* 7. *cap.* 7., *& Sess.* 24. *cap.* 3. *de refor.*, idcirco ad eas deputari non potest persona Regularis, cujus Instituto repugnat Beneficiorum collatio, seu institutio in titulum perpetuum, *Felin. in cap. in nostra, de Rescript. Covarr. in cap.* 2. *de testam. n.* 3. *Reiffenstuel. in jus can. lib.* 3. *tit.* 3. *n.* 7. *Garz. de Benef. part.* 7. *cap.* 10. *n.* 20. & in is terminis Sacra hæc Congregatio *in Ratisbonen. Parochialis* 18. *Maii* 1708. ad Dubium ita conceptum -- *An præsentatio facta a P. Abbate S. Emerani a Parochialem Ecclesiam Lauterbach. vacantem per obitum quondam Ignatii Lickderer de P. Joachimo Michaele Regulari sustineatur in casu &c.* respondit -- *Negative* -- *& in Herbipolen. Ecclesiarum Parochialium*, proposito Dubio -- *An Abbas Monasterii S. Michaelis extra mœnia Bambergæ Ordinis Benedictorum teneatur præsentare Rectores, seu Curatos ad Ecclesias Ezelckirchen. & Gremsdorff, qui sint Presbyteri Seculares ab Episcopo instituendi, vel potius liberum eidem sit præsentare Regulares sui Ordinis in casu &c. -- die* 27. *Aprilis* 1720. distulit Resolutionem, jussitque hinc inde coadjuvari probationes, & per Episcopum exhiberi institutiones, deindeque sub die 19. Septem. 1722. ita rescripsit -- *Affirmative quoad primam partem, & negative quoad secundam*, ut in *lib.* 72. *Decr. p.* 458.

Neque

Neque prætermittendum est, quod Beneficia Regularia alicujus Ordinis non solum possunt conferri dumtaxat Religiosis illius Ordinis, uti sancivit Sacrosancta Tridentina Synodus *Sess.* 14. *de Refor. cap.* 10. *ibi*: Regularia Beneficia in titulum Regularibus professis provideri consueta, cum per obitum resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religiosis tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino, lanaque contextam induant, conferantur; verum etiam Beneficia unius Monasterii assequi non potest Religiosus alterius Monasterii, tametsi fuerit ejusdem Ordinis, ad Textum expressum in *cap. Cum singula* §. *Prohibemus de Præben. in* 6. ubi Bonifacius VIII. ita decrevit: ,, Prohibemus ,, insuper, ne Prioratus, vel Ecclesiæ, aut administrationes, seu ,, Officia unius Monasterii consueta per ejusdem Monachos guber- ,, nari, committantur deinceps absque auctoritate Sedis ejusdem ,, alterius Monasterii Monachis gubernanda, nec hactenus com- ,, missa dimittantur eisdem, sed per eos, ad quos pertinet, libere ,, ordinentur ,, .

Hisce ita præjactis, Episcopus Constantiensis demonstrare nititur, quod ad curam, & administrationem prædictarum Ecclesiarum deputari debeant Vicarii perpetui, juxta Textum *in cap. unic. de Cappell. Monac. in* 6. & Sacrum Concilium Tridentinum *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Refor.* & Pianam Consttutionem 47. §. 3. & 4. indeque infert earum regimen committi posse dumtaxat Presbyteris Secularibus, minime vero Regularibus, quippe qui nequeunt Beneficia, repugnante eorum Instituto, in titulum perpetuum obtinere, atque idcirco juxta præfatam Resolutionem sub annum 1667. ab hac Sacra Congregatione editam, utpote jure communi, & Sac. Concilio Tridentino conformem omnino exequendam, sibi licere prædictos Religiosos ab earum Ecclesiarum cura libere amovere: attento præsertim, quod iidem Religiosi ad exercitium curæ Animarum in memoratis Ecclesiis deputati fuerunt, nullo prævio examine, nullaque præcedente Episcopi approbatione omnino requisita tam a Sacro Concilio Tridentino *Sess.* 25. *cap.* 11. *de Regular.* quam a Constitutionibus *S. Pii V. la* 47. §. 5. *& Gregorii XV. la* 18. & in specie Vicariorum, qui deputantur ad Ecclesias spectantes ad Religionem Hierosolymitanam rescripsit Sacra hæc Congregatio in *Fanen. anno* 1581. *lib.*3. *Decr. pag.*20. *& in Cæsaraugustana eodem anno d. lib.*3. *Decr. pag.*47. *ad XI. Dubium*.

At adversus hæc Magnus Prior tria opponit. Primo, omnia Beneficia ad Religionem Hierosolymitanam spectantia esse manualia, proindeque Vicarios, seu eorum Rectores utpote ad nutum amovibiles posse deputari Regulares. Secundo, per lapsum octoginta, vel etiam centum annorum dictas Ecclesias administrari consuevisse a prædictis Fratribus Franciscanis, ideoque ex vi hujusmodi longævæ consuetudinis statum secularem earumdem Parochialium Ecclesiarum in Statum Regularem migrasse *cap. Cum de Benefic.* 10. *de Præben. in* 6. & tradunt *Passerin. in eod. cap. Cum de Beneficio n.* 15. *&* 28. *Gonzal. ad reg.*8. *Cancell. gloss.*7. *n.*8. Et tertio demum, prædictos PP. examinatos, & approbatos fuisse a Commissario Episcopi moram Friburgi trahente. Unde concludit, a cura dictarum Ecclesiarum removeri ab Episcopo non potuisse, uti resolvit Sacra hæc

Con-

Congregatio *in Cremen. sub annum* 1581. *lib.* 3. *Decret. pag.* 49. *&* 52. *ad I. Dub.*

Hæc sunt præcipua rationum momenta, quæ pro resolutione primi ex dubiis infra describendis occurrunt ponderanda. Quæ autem pertinent ad secundum, ubi quæritur de Attentatis, ex ipsa facti specie superius exposita facile conjicitur, in quo ea constituantur. Quod vero demum spectat ad alteram controversiam ab Episcopo itidem promotam super exactione primorum fructuum, & nonnullarum taxarum a prædictis Ecclesiis, de qua agendum erit in examine tertii Dubii, idem Episcopus in medium profert Instrumentum Transactionis initæ sub annum 1612. ubi ad sedandas contentiones inter ipsum, & dictum Magnum Priorem exortas, de hac solutione conventum fuit, & rursus affirmans in literis, quas nuperrime ad Sacram Congregationem dedit, se prædictos primos fructus, & taxas realiter, & effective erogare pro conservatione, & repartitione Domus incarceratorum Clericorum, pro Ministris inibi iisdem inservientibus, pro sustentatione Clericorum emeritorum, & pro tuenda immunitate Ecclesiastica, pro pauperibus, & his similibus, putat, id alienum haud esse a canonicæ disciplinæ Institutis, sed conforme tum juri communi *argum. cap. Jacobus de Simon.* tum sanctioni Sacri Concilii Trident. *Cap.*14. *sess.*24. *de refor.* tum denique Constitutioni 104. *S. Pii V. & Constitutioni* 51. *Innocentii XII.* ubi declaratur, licitum esse aliquid ex fructibus Beneficii exigere, seu persolvi, dummodo in pios usus convertatur.

Et consentanee ad hæc consuetudinem quantumvis immemorabilem, juxta quam aliquid persolvitur occasione Canonicatus, & Præbendæ, seu alterius cujusque Beneficii improbandam esse utpote irrationabilem, si id, quod exigitur, cedat in utilitatem, & privatum commodum Canonicorum, vel aliorum, statuit Sacra Congregatio in *Polignanen. anno* 1584. *lib.*4. *Decr. p.* 9. & recentius in *Brugen.* 3. *Septembris* 1729. ubi proposito Dubio: *An toleranda sit consuetudo immemorabilis de præstando convivio per Cappellanum noviter receptum, seu potius improbanda*: responsum fuit: *Negative ad primam partem, & affirmative ad secundam*, ut in *lib.* 79. *Decret. pag.*433. eam vero attendendam esse, si modo id, quod persolvitur, in usus pios erogetur, tradunt *Joan. Andr. in cit. cap. Jacobus n.*4. *de Simon. Butr. ibidem n.*4. *Hostien. n.*2. *Zabarel. n.* 3. *Bich. n.*8. *Fermosin. tract. crim. in cap. Jacobus* 44. *quæst.* 1. *num.* 14. *de Simon. Tondut. quæst. Canon. cap.* 47. *num.* 3. *& seq. tom.* 1. *Ripa cons.*1. *n.*11. *de Arbitr.* & pluries declaravit eadem Sacra Congregatio, & signanter in *Avenionen. anno* 1586. *lib.*4. *Decr. pag.* 189. *in Segobien.* 11. *Julii* 1590. *in Leodien.* 8. *Octobris* 1592. *lib.* 8. *Epist. in Aquilana* 27. *Aprilis* 1630. *ad III. Dubium, in Cæsaraugustana* 19. *Novembris* 1653. *lib.* 19. *Decr. pag.* 287. *in Tudentina* 19. *Februarii* 1633. *lib.*4. *Decr. pag.*709. *in Cassanen.*3. *Decembris* 1718. ubi ad Dubium conceptum his verbis: An consuetudo vigens in Ecclesia Matrice S. Mariæ Majoris Civitatis Maratheæ exigenti a quolibet Presbytero admittendo ad participationem Massæ communis ejusdem Ecclesiæ carolenos decem, sit servanda in casu &c. *rescriptum fuit*: Affirmative, dummodo fiat depositum in causa Sacristiæ, & quod depositum erogetur in usum ejusdem Sacristiæ tantum, & amplius.

Ve-

Verum ex opposito Magnus Prior contendit, prædictam transactionem, cui potissimum nititur Episcopus, attendendam non esse, tum quia eidem obstat Constitutio Joannis XXII. qua Episcopo Constantiensi vetitum est, ne quid occasione approbationis Vicariorum ad dictas Parochias, aliaque Beneficia ad Religionem Hierosolymitanam spectantia exigat; tum etiam, quia eadem transactio labe Simoniaca sit infecta ex eo, quod controversa solutio conventa fuerit in beneficium, & commodum ipsiusmet Episcopi, non autem in utilitatem Ecclesiæ, aut alterius Loci pii.

Tandem ad absolutam hujus Causæ discussionem non abs re erit ponderare, quod prædicta transactio in ea parte, qua concordatum fuit, primos fructus Beneficii solvi debere Episcopo, adversari videtur Constitutioni 104. S. Pii, quæ onus novo Canonico, aut Beneficiato impositum pro fabrica, vel Sacrario Ecclesiæ, ea temperat conditione, ut medios fructus unius anni non excedat, sic enim habet §. 4. Statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus, & distributiones Fabricæ, vel Sacristiæ, aut alterius pii Loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi horum dumtaxat dimidia pars ipsi Sacristiæ, vel Fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur; alteram vero Beneficiati prædicti integre percipiant.

Fusius hæc fuerunt exposita, ut quid momenti habeant, Eminentiæ VV. commodius expendere possint, ac sapientissime determinare.

I. *An sit exequenda Resolutio diei* 15. *Januarii* 1667. *itaut liceat Episcopo Constantiensi amovere Regulares exercentes Curam Animarum.*

II. *An constet de Attentatis, itaut sint reficienda damna, & interesse.*

III. *An Episcopo Constantiensi debeantur Taxæ in casu &c.*

Ad primum Affirmative: Ad secundum constare de Attentatis; Ad tertium Negative.

SANCTI MINIATIS APPLICATIONIS MISSÆ QUOTIDIANÆ. Societas Sanctissimæ Annunciatæ Oppidi Montopolis sub annum 1348. construxit Altare in Parochiali Ecclesia SS. Joannis, & Stephani tunc temporis subjecta Episcopo Lucano, ibique auctoritate ejusdem Episcopi Cappellaniam erexit *pro suorum peccatorum remissione, ad laudem, & reverentiam Omnipotentis Dei, & B. Virginis Matris suæ, & pro ampliatione Divini cultus*: In dotem vero ejusdem Cappellaniæ constituit sex annuos modios frumenti, quorum valor vix ascendit ad annua scuta sexdecim, multiplici hoc onere adjecto, nimirum quod Cappellanus continuo in dicto Altari debeat celebrare, & residentiam personalem semper facere in dicta Plebe, & Terra, & quod dictus Sacerdos eligendus sit, & esse debeat extra numerum Cappellanorum dictæ Plebis, & non possit, nec debeat aliud Beneficium Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, quod residentiam exigat, recipere &c. quod Cappellanus teneatur omni die in dicto Altari celebrare, legitima causa excepta, & in dicta Ecclesia celebrationi Divinorum Officiorum continuo interesse &c. quod Sacerdos, & quilibet suus successor in perpetuum teneatur omni in Festo SS. Annunciatæ dare prandium Plebano, necnon Canonicis: sunt verba Instrumenti fundationis.

Sess. 22. de obser & evit. in celeb. Miss. & Sess. 25. c. 4. de ref.

At

At quia proventus annui Bonorum, quæ in dotem prædictæ Cappellaniæ assignata sunt, idonei haud erant pro supportandis dictis oneribus, non satis liquet, num eadem Cappellania ab initio illius erectionis effectum fuerit sortita; sed hoc unum in facto habetur, quod Episcopus Lucanus, attento hujusmodi Cappellaniæ tenui redditu, anno 1354. prædicta Bona custodienda commisit cuidam Laico ea sub lege, ut annuum illorum fructum absque ejus licentia nemini traderet; itidemque constat, eidem Cappellaniæ auctoritate Episcopi unitam, seu incorporatam fuisse alteram Cappellaniam sub invocatione S. Francisci erectam de jurepatronatus prædictæ Societatis una cum illius Bonis, ex quo factum est, ut annuus redditus Cappellaniæ, de qua agitur, auctus fuerit ad annua scuta 60. monetæ Florentinæ.

Post hujuscemodi unionem tam primus Cappellanus, quam illius Successores consueverunt quidem Missam singulis diebus in dicto Altari celebrare, at illius applicationem, uti asseritur, semper omiserunt, itaut prædicta Societas anno 1688. supplex institerit coram Episcopo S. Miniatis, cujus Diœcesi addictum fuit prædictum Oppidum Montopolis, ut Cappellanum compelleret ad controversam applicationem dictæ Missæ quotidianæ, cumque Episcopus decreverit, Cappellanum non teneri ad applicationem Missæ quotidianæ, eadem Societas Cappellanum provocavit ad Sacram hanc Congregationem, ubi disceptato hoc Dubio: *An Cappellanus teneatur applicare Sacrificium in casu &c. die* 29. *Julii* 1690. rescriptum fuit: *Affirmative*, ut in *lib.*40. *Decr. pag.* 511.

Ad normam hujus Resolutionis Alexander Toscanellus dictam Cappellaniam acceptavit, emissa ad instantiam Societatis obligatione Missam singulis diebus applicandi; verum deinde contendens, se ad hujusmodi applicationis onus non teneri, ab hac Sacra Congregatione supplex postulavit, ut immunis a dicto onere declararetur; Sacra autem Congregatio die 15. Januarii 1729. iterum instante Societate, rescripsit: *Episcopo*, *qui juris remediis cogat Cappellanum ad exequenda Decreta*, sed reclamante Alexandro Toscanello adversus istud Rescriptum, necnon petente Missarum reductionem, quatenus ad illarum applicationem teneatur, eadem Sacra Congregatio, præhabita Episcopi informatione una cum illius voto, *die* 29. *Augusti* superioris anni edidit Decretum ita conceptum: Episcopus præfigat terminum ad deducenda jura in Sacra Congregatione, non retardata interim executione præcedentium Decretorum, ad quem effectum Episcopus etiam provideat juxta ejus votum; nimirum procedat ad sequestrationem fructuum Cappellaniæ pro satisfactione Missarum tempore præterito a Toscanello non applicatarum, necnon pro applicatione Missarum, quæ imposterum sunt celebrandæ.

Rebus igitur in hoc statu vertentibus, cum præmissa Alexandri Toscanelli petitio sub Dubiis inferius proponendis modo sit discutienda, porro illi obstat regula, qua cautum habetur, non celebrationem solum, sed etiam Sacrificii applicationem censeri injunctam, quamvis de applicatione expressa mentio habita non fuerit, juxta Resolutiones ab hac Sacra Congregatione editas *in Tinnen. Applicationis Sacrificii* 18. *Augusti* 1668. *in Spoletana Applicationis*, *& Reductionis Missarum* 11. *Januarii* 1710. *lib.*60. *Decret. pag.* 4. *in Romana Reductionis*, *& Applicationis Missarum* 15. *Decemb.*1714. *lib.*64.

lib. 64. *Decr. pag.* 485. *in Ferrarien. Applicationis Missarum* 26. *Martii* 1718. *lib.* 68. *Decr. pag.* 107. *in Alexandrina* 18. *Martii* 1719. *lib.* 69. *Decr. pag.* 113. *& in Cornetan.* 23. *Junii* 1725. *lib.* 75. *Decr. pag.* 313. *& in Senogallien. Missarum* 20. *Decembris* 1732. *ad I. Dubium*,

Immo retento in facto, quod celebratio dictæ Missæ quotidianæ a Societate SS. Annunciatæ non fuerit principaliter ordinata ad cultum Ecclesiæ, & in commodum populi, nec satis constet, Cappellanos antecessores prædictam Missam non applicasse, inferri inde potest, eamdem Societatem, in erectione perpetuæ hujus Cappellaniæ voluisse Cappellano imponere onus non tantum celebrandi, sed etiam applicandi Sacrificium, uti in consimili casu rescripsit Sacra Congregatio in *Collen. Applicationis Sacrificii* 17. *Septemb.* 1679. *lib.* 40. *Decr. pag.* 4. *in Tricastinen. Applicationis Sacrificii* 8. *Augusti* 1711. *lib.* 61. *Decr. pag.* 358. *in Mantuana Applicationis Sacrificii* 19. *Novembris* 1718. *lib.* 68. *Decr. pag.* 457. & novissime *in Novarien.* 22. *Novemb.* 1727. *lib.* 77. *Decr. pag.* 637. Quin vero ex hoc ipso, quod eadem Missa quotidiana ordinata fuerit a Confratribus dictæ Societatis pro suorum peccatorum remissione, ad laudem Omnipotentis Dei, & Beatæ Virginis Matris suæ, & pro ampliatione Divini cultus, arguere licet, injunctum fuisse Cappellano onus applicationis Sacrificii, juxta punctualem Resolutionem Sacræ hujus Congregationis in *Alexandrina*, ubi licet celebratio Missæ demandata fuisset a Fundatore ad commodum Peregrinorum, Viatorum, & Laboratorum, attamen, quia idem Fundator celebrationem dictæ Missæ etiam reliquit, ut gratias Deo redderet, & divinam misericordiam imploraret, die 18. Martii 1719. disceptato Dubio: *An Patres Congregationis Somaschæ teneantur ad applicationem Missæ celebrandæ in Aurora in casu &c.* rescriptum fuit: *Affirmative*: ut in *lib.* 69. *Decr. pag.* 113.

Adversus hæc Alexander Toscanellus potissimum opponit tenuitatem dotis, quæ dictæ Cappellaniæ in limine illius erectionis fuit assignata, indeque concludit, inverisimile esse, quod Societas voluerit Cappellano injungere onus applicandi dictam Missam quotidianam, uti notant *Pasqualig. de Sacrific. nov. leg. quæst.* 933. *& Amostaz de Caus. piis lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 50. *&* 51. Expendendum autem est, num ex eo, quod dictæ Cappellaniæ unita postmodum fuit altera de jurepatronatus prædictæ Societatis, cum augumento dotis usque ad sexaginta scuta monetæ Florentinæ, ratio tenuitatis reddituum primum assignatorum momenti esse possit, cum de cætero ob dotis augmentum, quod supervenit, teneri Cappellanum ad quotidianam Missæ applicationem, rescripsit Sacra Congregatio in *Florentina Applicationis Missæ quotidianæ* 24. *Julii exeuntis anni*.

Episcopus in literis, quas ad Sacram Congregationem dedit sub annum 1726. facti seriem supra expositam distincte recensuit, ac deinde ita subjunxit: *Censerem, posse quidem esse locum Oratori supplicandi pro reductione onerum arbitrio Eminentiarum VV. stante dubio super tenuitate, vel congruitate dotis ab origine assignatæ; sed fructum Sacrificii Missarum ab eodem in prædicto Altari celebrandarum utique applicandum fore pro Confratribus, & pro eorum peccatorum remissione*: In informatione vero, quam nuperrime transmisit, idem confirmans refert, Oratorem oneri Missarum,

quas antea celebrare, & applicare neglexit, hactenus non satisfecisse, & non attentis Decretis Sacræ Congregationis, passim dictam Missam quotidianam celebrare absque illius applicatione, proindeque putat, eumdem Oratorem cogendum esse ad controversam Sacrificii applicationem sub pœna privationis dictæ Cappellaniæ.

His igitur ponderatis, placeat Eminentiis VV. definire.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 29. *Julii* 1690. & quatenus affirmative quoad primam partem.

II. *An sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 25. c. 3. & c. 13. de ref.

MEDIOLANEN. CENSURARUM. Exorta controversia inter Parochos, & Regulares Civitatis Mediolanensis super solutione Quartæ funeralis, *die* 9. *Novembris* 1730. disceptata fuerunt in Sacra hac Congregatione septem, quæ sequuntur Dubia.

I. *An, & quomodo sit facienda divisio intortitiorum, & candelarum ardentium in die funeris, & Officii, præsente Cadavere in Altaribus, Columnis, & aliis locis Ecclesiæ Regularis tumulantis.*

II. *An, & quomodo sit facienda divisio earumdem candelarum, & intortitiorum, quæ in Ecclesiis tumulantibus accenduntur occasione Officiorum, seu Exequiarum faciendarum in diebus sequentibus post tumulationem Cadaveris.*

III. *An, & quomodo inter Parochos, & Regulares, qui Cadaver per viam non comitantur dividenda sint intortitia manualiter gesta accensa in itinere a Sacerdotibus secularibus occasione delationis Cadaveris ad Ecclesiam Regularem tumulantem.*

IV. *An, & quomodo dividendæ sint candelæ, quæ manualiter gestantur accensæ a Regularibus intra propriam Ecclesiam tempore funeris, vel Exequiarum, & Officiorum.*

V. *An, & quomodo facienda sit divisio Cenotaphii, Culcitræ, & aliorum Ornamentorum in ea existentium.*

VI. *An, & quomodo sint dividendæ pecuniæ in casu, quo illæ tradantur ab Hæredibus Defuncti in locum ceræ.*

VII. *An Regulares occasione Funerum, & Officiorum teneantur accendere omnes candelas, quas recipiunt ab hæredibus Defuncti in Altaribus Ecclesiæ in casu &c.*

Rescriptum vero fuit: *Ad* I. II. III. V. *&* VI. *divisionem faciendam esse pro medietate. Ad* IV. *dilata. Et ad* VII. *Affirmative*, & reproposita Causa sub binis hisce Dubiis: I. *An sit standum, vel recedendum a decisis die* 9. *Septembris* 1730. II. *An, & quomodo dividenda sint candelæ, quæ in manibus gestantur accensæ a regularibus intra propriam Ecclesiam tempore funeris, vel exequiarum, & Officiorum* die 2. Junii 1731. prodiit resolutio: *Ad* I. *in Decisis quoad* I. II. III. VI. *&* VII. *quo vero ad* V. *in decisis, servata forma Constitutionum Synodalium: Ad* II. *divisionem faciendam esse pro medietate, & amplius*: subindeque ad instantiam Parochorum eadem resolutio confirmata est a Sanctissimo Domino Nostro Clemente XII. feliciter regnante, qui Archiepiscopo Mediolanensi, necnon Auditori Cameræ Apostolicæ, & antiquiori Canonico Ecclesiæ Mediolanensis illius executionem commisit efficacioribus juris, & facti remediis omnino obtinendam, scilicet: „ Contradictores „ quos-

„ quoslibet, & Rebelles per ſententias, cenſuras, & pœnas Ec-
„ cleſiaſticas &c. appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac legiti-
„ mis ſuper his habe dis ſervatis Proceſſibus, ſervataque forma Con-
„ cilii Tridentini, ſententias, cenſuras, & pœnas hujuſmodi in-
„ curriſſe declarando, etiamque iteratis vicibus aggravando, in-
„ vocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii Secularis auxilio „
ut hiſcemet verbis in Conſtitutione Apoſtolica expreſſum legitur.

Ad normam prædictæ Reſolutionis Pontificia authoritate confirmatæ Georgius Bertanus, & Carolus Hieronymus Siniſtrarius Parochi Portionarii Eccleſiæ S. Corpophori, cui jure parochiali ſuberat Comes Franciſcus Pecchius, ratione Quartæ funeralis petierunt a Patre Priore, aliiſque Patribus Conventus Ordinis Carmelitarum medietatem emolumentorum, quæ ipſis obvenerant die, qua prædicti Comitis Franciſci Pecchii cadaver in eorum Eccleſia ſepultum fuit; Cum autem huic inſtantiæ reſponderit Prior, ſe minime detrectare, petitam emolumentorum medietatem Parochis tribuere, dum ſuo quoque Conventui præſtaretur medietas Candelarum, & intortitiorum, quæ occaſione ſimilis Officii eadem die celebrati in Parochiali Eccleſia Sancti Carpophori accenſa fuerant; id vero Parochis non arrideret, ejuſmodi controverſiæ cognitio fuit ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo delegata ſuo in civilibus Vicario.

Coram iſto igitur die 13. Aprilis ſuperioris anni citati fuerunt prædicti Patres Carmelitæ ad dicendum cauſam, quare in vim memoratæ Apoſtolicæ Conſtitutionis declarari non deberent excommunicati, & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ob non ſolutam controverſam ceræ medietatem; At Patres, ſemel, atque iterum repetita proteſtatione, quod parati erant ſolvere petitam Ceræ medietatem, dummodo ſibi traderetur altera medietas emolumentorum, quæ Parochi perceperant, ac una ſimul in ſuſpectum alle.ato prædicto Vicario Civili, oppoſuerunt de vitio nullitatis omnium peragendorum, ſi Vicarius ad ulteriora progreſſus fuiſſet.

Verumtamen, hiſce proteſtationibus neglectis, præfatus Vicarius die 16. Januarii labentis anni juſſit Patri Joſepho Necco tunc recens in Priorem Conventus Carmelitarum electo, necnon Patri Angelo Mariæ Alegrantiæ Sacriſtæ, ut infra triduum ſolverent Parochis Portionariis Eccleſiæ S. Carpophori petitam ceræ medietatem, & quatenus intra triduum non parerent, voluit, eos citari pro die ſexta juridica poſt lapſum dicti prioris tridui ad allegandum cauſam, quare declarari non deberent inciditſe in pœnam excommunicationis majoris; cumque in termino præfixo dicti PP. non obtemperaverint, memoratus Vicarius, denuo rejecta nova proteſtatione per eos emiſſa, ac prævia citatione *ad videndum fieri comparitionem*, *requiſitionem*, *& per prædictum D. Vicarium quamlibet ordinationem*, quæ quidem citatio die 15. Februarii in manibus Janitoris Conventus relicta fuit, ſubſecuta die 16. ejuſdem Menſis præfatos PP. Neccum, & Alegrantiam Cenſuris innodatos declaravit, ac poſtmodum Cedulones affigi præcepit.

Ab his itaque Cenſuris appellatione per memoratos Regulares interjecta, Sacra hæc Congregatio, reſcripſit primum die 27. Februarii labentis anni: *Eminentiſſimo Archiepiſcopo pro informatione*, *&* *voto*, *ſuſpenſii cenſuris ad duos menſes*: deindeque cenſurarum ſuſpenſione ad alios duos menſes indulta, poſtremo ad preces di-

ctorum Patrum die 22. Maii rescriptum fuit pro transmissione Actorum, suspensis interim Censuris ad alios quatuor menses, & facto deposito summæ controversiæ sine præjudicio jurium ambarum Partium.

Jam vero delatis una cum relatione Vicarii Generalis Eminentissimi Archiepiscopi omnibus Actis, quæ ad Causæ decisionem conferre possunt, onus erit Eminentiarum VV. declarare.

An Censuræ sustineantur in casu &c.

S. ss. 21. c. 4. de Ref.

BONONIEN. Intra fines Parochiæ S. Mariæ Magdalenæ de Cazzano sita reperitur Ecclesia sub titulo S. Margaritæ Armaroli, cujus Rector cum aliqua identidem perageret, quæ Parochus ad se privative spectare contendebat, Eminentissimus Archiepiscopus controversias omnes jamdudum inter eos obortas dirempturus, ac animum præsertim intendens ad commodum spirituale Incolarum dicti loci Armaroli ab Ecclesia Parochiali S. Mariæ Magdalenæ per tria circiter milliaria dissiti, particularem Congregationem Ministrorum sui Tribunalis coram se coegit, in qua sine strepitu, & figura Judicii, auditis Parocho, & Rectore prædictis, nec non Patrono laico Ecclesiæ S. Margaritæ, perpensisque pluribus circumstantiis sibi relatis tum a Vicario Foraneo Plebanatus, tum ab aliis Curatis Parœciæ S. Magdalenæ conterminis, Decreto propria manu subsignato declaravit.

Primo, licere Beneficiato, sive Rectori Ecclesiæ S. Margaritæ omnibus diebus festis etiam solemnioribus, sive per se ipsum, sive per alios Missam celebrare, dummodo per unam circiter horam post ortum Solis ea celebraretur.

Secundo, licere eidem Beneficiato eleemosynas in sua Ecclesia colligere, præscripta methodo retinendi binas capsulas, quarum altera pro eleemosynis Missarum, altera pro oblationibus ad usum Ecclesiæ destinetur.

Tertio, eidem licere singulis diebus Rosarium B. M. Virginis januis Ecclesiæ apertis recitare, diebus Festis Vesperas canere, & Populum Campanæ sonitu ad utrumque pium opus convocare.

Quarto, licere pariter in Ecclesia Sanctæ Margaritæ quotannis ducere Processionem, quam vocant B. M. Virginis de Cinctura cum assistentia Parochi S.Magdalenæ, quatenus ipse velit interesse, sin minus etiam absque illo.

Quinto, retineri posse in eadem Ecclesia S. Margaritæ Tabernaculum, haud tamen cum pane Eucharistico, nisi pro ipsius retentione Parochus assensum præstet: itidemque retineri posse sedes Confessionales, dummodo non stabiles, nec muro affixas, ac insuper licere Beneficiato, Mulieres post partum benedicere, Infirmos visitare, & eorum confessiones tantum excipere.

Sexto, eidem pariter licere, Frumentum, aliosque fructus Terræ naturales a sponte dantibus undequaque recipere, non autem titulo Primitiarum, cavendo præsertim, ne ulla inde, vel minima Primitiarum Parochialium diminutio subsequatur.

Septimo demum præmissa declaratione, minime dubitandum esse, quin ad Parochum privative spectet, dies festos, Vigilias, & Verbum Dei Populo annunciare, Pueros, & Idiotas Doctrinæ Christianæ rudimentis imbuere, Sanctissimum Viaticum, & extremam Unctionem

nem Infirmis miniſtrare, in hæc verba proſequutus eſt ,, Sed quia ex
,, extrajudicialibus Informationibus per nos captis tam a Vicario
,, Foraneo, quam ab aliis Parochis conterminantibus cum Parochia
,, D. Magdalenæ de Cazzano eruitur magna neceſſitas gerendi in
,, Eccleſia Armaroli etiam prædicta jura Parochialia, excepta ad
,, ſummum adminiſtratione Sacramentorum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ,
,, & extremæ Unctionis, attento, quod magnus Parochianorum
,, numerus adire recuſat propriam Eccleſiam Parochialem D. Magda-
,, lenæ de Cazzano, ſed ad Eccleſiam Armaroli, vel ad alias Paro-
,, chias viciniores ſe confert, propterea decernimus, atque decla-
,, ramus, poſſe, & debere Beneficiatum Armaroli, Feſta, & Vi-
,, gilias annunciare Populo, & ſpiritualem concionem ex Altari ad
,, ipſum habere, Doctrinamque Chriſtianam edocere de licentia,
,, commiſſione, & Mandato Parochi, cujus erit ſuperintendere quoad
,, Doctrinam Chriſtianam, & methodum, & formam ſervandam
,, præſcribere, quæ quidem licentia, commiſſio, & mandatum ſit
,, concedendum, & ſemel conceſſum non poſſit, niſi juſtis de cauſis
,, nobis exprimendis revocari.

Rebus ita ſuo decreto temperatis, putaverat Eminentiſſimus Archie-
piſcopus controverſias utiliter præcidiſſe; At, Parocho reclaman-
te, neceſſe fuit, ut Cauſæ cognitio ab Eminentiſs. Pro-Auditore
Sanctiſſimi Sacræ huic Congregationi delegaretur; Poſtmodum vero
petentibus Incolis loci Armaroli, ut Eccleſia Sanctæ Margaritæ eri-
geretur in ſubſidium curæ, datæ ſunt conſuetæ literæ ad Eminentiſſi-
mum Archiepiſopum, qui, confirmata rerum ſerie hactenus expoſita
Cenſerem (inquit) *non eſſe pro nunc niſi Apoſtolicæ firmitatis robo-
re approbandum meum Decretum, & eſſe ſuperſedendum a petita per
Oratores Eccleſiæ erectione Armaroli in ſubſidialem; Pro certo enim
teneo, quod agnoſcens Parochus, ſe abſque ullo fundamento redar-
guiſſe, tum de nullitate, tum etiam de injuſtitia dictum meum De-
cretum, nedum omnia, & ſingula in eo contenta executioni manda-
bit, verum etiam permittet, ut in Eccleſia Armaroli Sanctiſſima Eu-
chariſtia aſſervetur, aliaque jura Parochialia exerceantur.*

Ad quæſitiones in Cauſa occurrentes pertinent generalia Decreta, quæ
ſub annum 1703. pro dirimendis ſimilibus controverſiis inter Paro-
chos, & Rectores Eccleſiarum intra Parochiæ limites exiſtentium
oriri ſolitis edita fuerunt a S. Rit. Congregatione, quæque per ex-
tenſum referuntur a *Monacell. Formular. For. Eccl. par.* 2. *tit.* 13.
Form. 1. *pag.* 10. itidemque ad earum deciſionem nonnihil conferre
poſſunt reſolutiones Sacræ hujus Congregationis relatæ in Folio di-
ſtributo pro Congregatione habita die 8. Auguſti 1733. in una Aſcu-
lana Jurium, & Functionum Parochialium, in qua, propoſitis in-
ter cætera binis hiſce Dubiis -- II. *An Rectori dicti Beneficii liceat
celebrare Feſtum Beatiſſimæ Annunciatæ, eademque die canere Miſ-
ſam ſolemnem, Sedes Confeſſionales erigere, necnon Sacramentum
Pœnitentiæ adminiſtrare, ſeu admniſtrari facere, & Indulgentias
publicare, abſque licentia, interventu, & conſenſu dicti Parochi* --
IV. *An eidem Rectori debeantur oblationes, ſeu eleemoſynæ colligi
ſolitæ in dicta Villa Tini, ſeu in Oratorio prædicto, & an valeat
in illorum adminiſtratione ſe ingerere abſque licentia, & conſenſu
dicti Parochi* -- die 29. Auguſti 1733. reſcriptum fuit -- *Ad* II. *af-
firmative quoad celebrationem feſti, & Miſsam ſolemnem eodem die*

in re-

in reliquis vero negative -. Ad IV. *affirmative quoad oblationes, vel eleemosynas in Oratorio, ita tamen, ut ratio reddetur Episcopo, & dictæ eleemosynæ, vel oblationes convertantur in usum, & cultum ipsius Ecclesiæ cum approbatione ejusdem Episcopi.*

Deliberandum itaque erit ab Eminentiis VV.

An Decretum Eminentissimi Archiepiscopi Bononiensis sustineatur in casu &c.

Die Sabbathi 4. Decemb. 1734.



Esumpto Folio pro superiori Congregatione diei 20. mox elapsi mensis distributo, rogantur EE. VV. duas sequentes Causas ob angustiam temporis ea die non propositas, consueta matura deliberatione, in hodierno Consessu definire.

Sess. 22. de obs. & evit. in celebr. Miss. & Sess. 25. cap. 4 de ref.

SANCTI MINIATIS APPLICATIONIS MISSÆ QUOTIDIANÆ.

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die* 29. *Julii* 1690.; & quatenus affirmative quoad primam partem.

II. *An sit locus reductioni onerum in casu &c.*

Ad primum in Decisis, & Episcopus cogat omnino Rectorem tam ad applicandum in futurum, quam ad satisfaciendum pro neglectis applicationibus in præteritum. Ad secundum Negative, & amplius.

Sess. 25. cap. 3., & c. 13. de ref.

MEDIOLANEN. CENSURARUM.

An Censuræ sustineantur in casu &c.

Consignato Deposito esse absolvendos ad Cauthelam.

Sess. 22. c. 9. de ref.

VICEN. Abbas Monasterii S. Mariæ Rivipulli in Tarraconensi Provincia existentis sub annum 1727. Sacræ huic Congregationi exposuit, se Apostolicæ Sedi esse immediate subjectum juxta Bullam Innocentii II., necnon in loco Rivipulli ordinaria potiri jurisdictione cum Territorio separato; deinde vero contendens, assertæ jurisdictioni subesse Parochialem Ecclesiam S. Petri utpote sitam in eodem loco Rivipulli, seque, & Antecessores suos tanquam Ordinarios semper consuevisse procedere adversus tres Hebdomadarios animarum onus in eadem Ecclesia sustinentes, & Societatem Presbyterorum inibi usque ab anno 1338. auctoritate Abbatis dicti Monasterii erectam, subjunxit, nonnullos ex dictis Sacerdotibus sibi quandoque assumentes nomen Administratorum dictæ Ecclesiæ, ipso inconsulto, neglectisque ejus Decretis in actu visitationis editis, erogasse proventus ejusdem Ecclesiæ in usus a piis Testatorum dispositionibus alienos, plures iniisse contractus permutationum, & censuum, reinvestimen-

ſtimentum quoddam ita effinxiſſe, ut, cum nequeat ejus ſimulatio probari, non poſſint ipſi judiciali actione ad verum inveſtimentum compelli; & demum conqueſtus eſt, quod ſine ipſius decreto in dicta Eccleſia Sancti Petri ſacra quædam peragantur iiſdemmet diebus, & horis, quibus aliæ functiones in Eccleſia ſui Monaſterii celebrantur.

Hiſce autem expoſitis, ſupplex poſtulavit a Sacra Congregatione, ut detrimento memoratæ Eccleſiæ ex improvida dictorum Sacerdotum adminiſtratione obvenienti hunc in modum proſpiceretur, primo, quod notabiles ſumptus ex annuis prædictæ Eccleſiæ proventibus non fiant abſque aſſenſu, & approbatione totius Confraternitatis; ſecundo, quod nullus contractus ſuper Bonis ejuſdem Eccleſiæ celebrari queat, niſi prævio conſenſu, & decreto ipſius Abbatis; tertio, quod cenſus omnes impoſiti, necnon contractus quicumque antea initi abſque auctoritate dicti Abbatis debeant infra duos menſes ab eodem Abbate confirmari, alias Presbyteri, ſeu Hebdomadarii prædicti memoratam confirmationem intra dictum tempus, aut aliud a Sacra Congregatione præfiniendum obtinere negligentes incidant in pœnas, & cenſuras a Sacris Canonibus inflictas, & demum, quod omnes functiones, quæ abſque aſſenſu Abbatis in dicta Eccleſia S. Petri fuerunt hactenus introductæ, debeant infra menſem ab ipſo Abbate approbari, atque etiam poſſint ad alios dies differri.

At ex oppoſito prætendentibus Hebdomadariis, & prædicta Presbyterorum Sociatate, memoratum Abbatem nullam obtinere juriſdictionem in eorum Eccleſia, proindeque haud poſſe adverſus ipſos quidquam intentare, Sacra Congregatio die 5. Julii 1727. præcepit, ut ad Epiſcopum Vicenſem darentur literæ juxta inſtructionem, quæ fuit, ut idem Epiſcopus tanquam delegatus ejuſdem Sacræ Congregationis citra detrimentum propriæ juriſdictionis, atque itidem ordinariæ illius juriſdictionis, quam prædictus Abbas ſibi aſſerit, auditis Partibus, ſumptiſque utrinque informationibus, ederet Decreta, quibus oportunum remedium præberetur incommodis ab Abbate in ſupplici ejus libello relatis, eaque ſubinde ad Sacram Congregationem tranſmitteret, ut ante illorum promulgationem ad dirimendas controverſias, quæ forte ipſorum cauſa poſſent oriri auctoritate Sac. Congregationis confirmarentur.

Verum quia Epiſcopus Vicenſis, pluribus allatis rationum momentis, ob quæ authumans, ſibi non expedire, injuncti muneris Provinciam aſſumere, rogavit, ut ea alteri delegaretur; idcirco S. Congregatio die 22. Martii 1732. hoc ipſum onus juxta eamdem inſtructionem commiſit Archiepiſcopo Tarraconenſi, qui exiſtimans, prædictum Abbatem reperiri in quaſi poſſeſſione controverſæ juriſdictionis ordinariæ, ſeu quaſi Epiſcopalis cum Territorio ſeparato, Decreta, quæ ſequuntur, edidit.

Primo, ,, ut Vicario Generali, & futuro Abbati ſtricte injungaturi;
,, quatenus in actu viſitationis ab ipſo Vicario Generali ſuperiori an-
,, no indictæ, aut a futuro Abbate quamprimum inſtituendæ, aut ſi
,, opportunis videbitur in judicio redditionis rationum, & per Judi-
,, cem, ſi ita oportuerit, ab eis ſpecialiter deputandum diligentiſſi-
,, me recenſeantur, & numerentur redditus, & proprietates Bono-
,, rum, & Cenſualium, quos Communitas Presbyterorum poſſide-
,, bat in anno 1700., ut comparatis eis, collocatiſque cum pro-

prieta-

„ prietatibus Bonorum exiſtentium , quantum ex ipſis proprietatibus „ deperierit, intelligatur, & pateſiat.

Secundo, „ ut in eodem actu viſitationis, aut redditionis rationum re- „ cenſeantur, & numerentur proprietates cenſuum redemptorum ac- „ ceptæ a Communitate ab anno 1700., & proprietates pecuniarum „ ab eadem collocatæ in novis Cenſuum creationibus, aut emptio- „ nibus Bonorum ab eodem tempore, ut, utriſque invicem compa- „ ratis, collocatiſque, quantum in alienos uſus expenſum fuit, „ comperiatur.

Tertio, „ ut in eodem actu viſitationis, aut judicialis redditionis rationum „ Cenſus exigibiles ab inexigibilibus ſeparentur, & in his ultimis, „ qui præſenti ſeculo fundati fuerunt, cauſæ inexigibilitatis ſedu- „ lo accurateque examinentur, ut exinde deprehendi poſſit, an ali- „ quæ fuerint fictæ creationes cenſuum, quemadmodum Abbas ſuſ- „ picatur.

Quarto, „ ut quidquid pecuniarum ad proprietatem Bonorum pertinen- „ tium ex præcedentibus cauſis deperiiſſe comprobetur, totum id fi- „ deli depoſito communiter reintegretur ex Bonis Clericorum exi- „ ſtentium, & ex peculio, aut hæreditate Defunctorum, etiam ubi „ opus fuerit per moderatam ſubtractionem fructuum, reſervata Preſ- „ byteris congrua ſubſtentatione juxta taxam ſynodalem.

Quinto demum, „ ut in futuris collocationibus pecuniarum exactiſſi- „ me, & adamuſſim obſervetur decretum Concilii Tarraconenſis „ anno 1727. celebrati, quo, ut indemnitati, & perpetuitati red- „ dituum Eccleſiaſticorum conſuleretur, provide cautum fuit, ut „ pecuniæ redemptorum cenſuum in loco publico per Ordinarium „ deſtinato omnino deponantur, neque ex inde extrahi valeant, ni- „ ſi ad emendos alios redditus, prævio Ordinarii, aut Superioris „ Ordinarii decreto; quod in calce ſcripturæ creationis cenſuum, „ aut emptionis Bonorum fructiferorum interponi debeat, adhibito „ per eundem Ordinarium, vel Superiorem Eccleſiaſticum prævio „ diligenti, ac maturo examine ſuper ſecuritate ſmertii.

Perpenſis igitur juribus, quæ utrinque circumferentur, onus erit Emi- nentiarum VV. deliberare.

I. *An, & quomodo Decreta Metropolitani ſint approbanda, & contra quos ſint exequenda in caſu &c.*

II. *An, & contra quos ſint relaxandæ Cenſuræ in caſu &c.*

Dilata, & traſportentur Acta.

Seſſ. 25. c. 19. de regul.

NEAPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Philippus Coppola, Chriſtinus deinde appellatus, die 21. Decembris 1710. cum quintum decimum ætatis annum ageret, Religioſam diſciplinam Familiæ PP. Carmelitarum amplexus fuit in Cœnobio Beatæ Mariæ Virginis nuncupatæ *della Vità* Civitatis Neapolis, ſolemni etiam Profeſſione emiſſa ſub annum 1711., necnon omnibus Sacris Ordinibus ad titulum Religioſæ paupertatis deinde ſuſceptis. Volens autem anno 1722., & ſic longe poſt quinquennium a Sac. Concilio Tridentino præſcriptum nullitatem hujuſmodi Profeſſionis proponere tum ex cauſa metus, tum propter interruptum probationis annum petiit reſtitutionem in integrum, cui Religio nihil hactenus oppoſuit.

Sacra

Sacra itaque Congregatio ad ejus preces commisit Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano juxta morem confectionem Processus, qui quidem tunc temporis inchoatus fuit, sed absolvi non potuit, eo quia Sacerdos Fortunatus memorati Patris Christini frater natu major ad impediendam ipsius prosecutionem curavit, eumdem Christinum in remotam regionem a Superioribus transmitti. At anno præterito post obitum dicti Fortunati ad instantiam Christini resumpta fuit illius confectio, eumque tandem absolutum Eminentissimus Archiepiscopus sub initium labentis anni transmisit una cum suis literis, in quibus a voto proferendo se se abstinens Causæ decisionem supremo Sacræ hujus Congregationis judicio relinquit.

Ex testimonio sex Religiosorum, quorum duo fuerunt ejus consocii tempore Novitiatus contendit, Orator satis constare se ad Professionem a parentibus, & præsertim a dicto Fortunato fuisse compulsum subdolis hisce minis tam ante ingressum in Religionem, quam tempore Novitiatus sæpius repetitis -- *Che l' avrebbe scritto alla Guerra se non si monacava* --, proindeque se pluries protestatum fuisse coram Novitiis consociis suis; -- *Che non voleva professare, e non voleva esser Monaco, ma si voleva spogliare, per non essere stata sua libera volontà, ed intenzione d' esser Religioso, e che a forza i suoi Congionti l' avevan fatto entrare nel Noviziato*.

Idque confirmari putat potissime ex eo, quod etiam post habita quædam spiritualia exercitia, cum de sua vocatione ad statum Religiosum interrogatus fuisset a Patre Ambrosio Langella tunc temporis Novitiorum Magistro, intrepide respondit -- *che non era volonta nè di Dio, ne la sua farsi Religioso, e che i suoi Parenti ce lo volevano a forza, e perciò se ne moriva dannato* --, itaut idem Pater Ambrosius nedum pluribus Personis tam Laicis, quam Religiosis eum requirentibus de vocatione Oratoris ad Religionem, sæpius asseruerit - *Lui non ci vuol essere, ne e buono per la Religione* -- verum etiam deinde curaverit, ut Orator Religioso habitu expoliaretur, atque ita factum fuisset, nisi obitus dicti Patris Ambrosii tempus emittendæ illius Professionis præcessisset, quemadmodum deponunt plures ex prædictis Testibus formiter examinatis.

Addit præterea, se Professionem emisisse, *in quanto, che l' avevano promesso le genti di sua casa procurarli un Beneficio, ed ottenerne il Breve da Roma per farlo Sacerdote Secolare, e ritornarsene nel Secolo*; & demum ad excludendam tacitam Professionem, ait, se nullis functum esse muneribus, quæ Religiosi Professi obiri solent, sed sæpe sæpius huc illuc extra Religionis Monasteria vagatum esse in remotas regiones.

At adversus hæc ponderandum occurrit, num tacita Professio resultare possit; primo ex eo, quod Orator suscepit Sacros Ordines ad titulum Religiosæ paupertatis; secundo, quia ex Instituto prædictæ Religionis singulis annis fit votorum renovatio, cui quandoque interfuit ipsemet Orator; & tertio denique ex eo, quod fortasse per aliquod tempus neglexerit Processus prosequutionem post obitum Fortunati, a quo præsertim, uti asseritur, metus ei fuit incussus: Ignoratur enim tempus, quo Fortunatus decessit.

Verum quia nullitas hujusmodi Professionis prætenditur itidem promanare ex eo, quod fuerit interruptus probationis annus juxta sanctionem Sacri Concilii Tridentini *cap.* 15. *Sess.* 25. *de Regular.*, pro-

propterea in facto advertendum est, quod ad probandam assertam interruptionem Novitiatus, affertur depositio duorum Testium; at eorum alter interrogatus, num Pater Christinus anno probationis aufugisset e Novitiatu, dedit sequens responsum -- *Per quanto spetta poi all'uscire di notte dal Novitiato*, *non posso deporlo di certa scienza*, *hò però tutti gl'indizj*, *e li sospetti così per ricordarmi*, *averli fatto il quondam Maestro de' Novizj Langella aspre mortificazioni una volta*, *come per aversi tolto le chiavi del Giardinetto appresso di se* --, & rursus non liquet, quod idem P. Christinus, dimissa Religiosa veste, e dicto Novitiatu fugam arripuerit cum intentione eo amplius non redeundi, quodque per aliquod notabile tempus abfuerit; & tamen annum probationis interruptum non fuisse a Religioso, qui, retento habitu, aufugerat e Novitiatu, & extra illum per breve tempus commoratus fuerat, rescripsit Sacr. hæc Congregatio in *Tyburtina Restitutionis in integrum* 7. *Julii* 1703. *lib.* 53. *Dec.pag.* 300., & consonant *Resolutiones editæ in Patavina Restitutionis in integrum* 29. *Novembris* 1710. *lib.* 60. *Dec. pag.* 447., *& in Cassanen. Professionis* 21. *Augusti* 1717. *lib.* 67. *Dec. pag.* 342.

Cæterum, etiamsi constaret de asserta Novitiatus interruptione, & consequenter de invaliditate Professionis, adhuc dispicere oporteret, an ex susceptione Sacrorum Ordinum, & ex aliis actibus Religioso Instituto convenientibus eadem Professio fuerit tacite ratificata; certum quippe est, Professionem quamvis initio irritam convalidari ex nova Religiosi voluntate, si ei perspecta sit causa, ex qua Professionis vitium oritur, proindeque concurrente in Religioso tali scientia præcedenter ad memoratos actus consuevit Sacra hæc Congregatio restitutionem in integrum denegare, uti signanter contigit in *Carinen.* 14. *Decembris* 1624. *in Antuerpien. seu Ruremunden.* 10. *Jul.* 1706. *in Bisuntina Restitutionis in integrum* 12. *Martii* 1718., & novissime in *Ragusina Restitutionis in integrum* 10. *Julii* 1728.

Secus autem, si Professionis invaliditas eidem fuerit incognita; tunc enim exercitium prædictorum actuum, ex quibus arguitur tacita Professio, adscribi debet ignorationi nullitatis Professionis, ut luculenter firmavit *Rot. in dec.* 852. *&* 983. *cor. Emerix Jun.*, & resolvit S. Congregatio in *Neapolitana Restitutionis in integrum* 10. *Aprilis* 1723., *& in Larinen. Restitutionis in integrum* 11. *Januarii* 1727. *lib.* 77. *Decr. pag.* 2.

Hisce igitur perspectis, dignabuntur Eminentiæ VV. decernere.

An sit locus Restitutioni in integrum in casu &c.

Negative, & amplius.

Sess. 25. *c.* 19. *de reg.* NEAPOLITANA RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. Jo: Thomas de Januario die 11. Aprilis 1719. Carmelitanæ Familiæ in Conventu B. Mariæ Virginis, quam vocant *della Vita* Civitatis Neapolis, adscriptus fuit, assumpto nomine Cyrilli, ibique die 11. Maii anni insequentis, confecto probationis curriculo, Religiosa vota solemni ritu nuncupavit, deinde suscepit ad titulum Religionis omnes Sacros Ordines, & demum superiori anno post quinquennium jamdiu transactum imploravit beneficium restitutionis in integrum, quo possit de jure suo experiri circa assertam Professionis nullitatem ex causa metus sibi ab Angela Matre incussi.

Deman-

Demandata juxta stylum Sacræ hujus Congregationis Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano confectione Processus; ex eo constare prætenditur, Angelam devovisse Religioni Oratorem, eumque proinde in executionem istius Voti ad Religionem adegisse prius sub hac ficta promissione -- *che fatto Sacerdote in detta Religione, l'avrebbe fatto spogliare da Monaco, e fattoli il Patrimonio, l'avrebbe fatto ritornare al Secolo* -, deinde vero, ut idea Filio reluctante extorqueret, acrioribus non perpecisse instigationibus, non verberibus, non denique minis pluries repetitis in hæc verba -- *che l'avrebbe scritto alla Guerra, se non si faceva Religioso* -; itaut Orator fuerit coactus bis e paterna domo discedere, ut se a violentia Matris subduceret.

Additur præterea, eumdem Oratorem tam ante, quam post Professionem de Maternis violentiis sæpe sæpius coram pluribus personis conquestum esse, aliquando, Religioso dimisso habitu, ac Secularibus indultum vestibus tentasse ipso probationis anno e Novitiatu aufugere, emissa vero Professione, fugam e Monasterio non semel arripuisse, & tandem nullum obiisse unquam munus, quod Religiosis Professis committi solet.

Postremo gravius fundamentum videtur constitui in protestatione a P. Cyrillo, antequam Religiosum habitum susciperet, coram Notario, & tribus Testibus (quorum duo super hac re fuerunt postmodum rite examinati) hisce verbis concepta, proprioque charactere subscripta -- *Dico non esser mia volontà, ma bensì mia Madre, quale da molto tempo mi persuade, e con lusinghe, e con minaccie a farmi Religioso, dicendo esser Voto fatto, ed io per non poter più soffrire, e per non incorrere di nuovo nella disgrazia dell' anno passato, che mi aveva da fare Religioso nel Ven. Monasterio di S. Maria della Grazia delli PP. Riformati della Mercede fugì di casa, ed andai in altri Paesi, ma alla fine fui costretto di ritornare in casa, e vedendo, che mia Madre stava ostinata nell' opinione, hò risoluto compiacerla, con patto però secondo la sua promessa di farmi spogliare, dopo che io abbia celebrato la Santa Messa, confarmi il Patrimonio, altrimenti dico, mi dichiaro, e protesto di non esser mia volontà, come sopra.*

Hæc sunt rationum momenta, quibus Pater Cyrillus putat, Professionem esse irritam, proindeque sibi tribuendam esse petitam restitutionem in integrum, quam non impugnat Religio. At vero, quod attinet ad prædictam declarationem, notandum est in facto, eam probari quidem emissam ante ingressum in Religionem, sed minime doceri, quod fuerit renovata immediate ante Professionem, minusque ex ipsius P. Cyrilli, aliorumque Testium depositionibus clare haberi, quod is postulaverit ab Angela Matre, ut executioni mandaret pactum, quod in dicta declaratione adjecerat ibi -- *Con patto però secondo la sua promessa di farmi spogliare, dopo che io abbia celebrato la Santa Messa* -- hinc enim ponderandum erit, num satis colligi possit, Oratorem tam ante, quam post emissam Professionem ab ea declaratione recessisse.

Placeat igitur Eminentiis VV. definire.

An sit locus Restitutioni in integrum in casu &c.

Dilata, & coadjuventur probationes.

Sess. 24. c. 1. de Ref. Mat. **B**AREN. MATRIMONII, Causa hæc proposita primum fuit die 29. Augusti 1733., prodiitque Rescriptum -- *Dilata, & coadjuventur probationes juxta mentem*; Quæ autem mens fuerit Eminentissimorum PP. ita rescribentium, luculenter explicatur in Folio Congregationis diei 26. Martii labentis anni, in qua decisio Causæ ad preces Juliæ *della Corte* dilationem petentis denuo suspensa est.

Jam vero, enixe rogante Josepho Calvano, ut ea tandem definiatur, placeat Eminentiis VV., resumpto utroque Folio pro memoratis Congregationibus distributo, perpensisque tum alias deductis, tum forte recens utrinque afferendis juribus, respondere.

I. *An constet de contracto Matrimonio*; & quatenus affirmative.

II. *An constet de illius nullitate*; & quatenus negative ad primum, & affirmative ad secundum.

III. *An constet de Sponsalibus, itaut Calvanus sit cogendus ad illorum executionem in casu &c.*

Dilata ad sequentem.

Sess. 5. cap. 1. de Ref. **F**ERENTINA. Porrecto sub finem anni 1722. Sacræ huic Congregationi supplici libello nomine Civium Ferentini, quo dolentes, electionem Ludimagistri ab ea Communitate fieri solitam sæpe sæpius cadere in Personas parum idoneas, enixe postulabant, ut huic malo occurreretur; excitatus de more fuit Episcopus, qui referens primo jus eligendi Præceptorem spectare ad Communitatem ex vi cujusdam Donationis anno 1600. a Nicolao Rahonio emissæ, confirmansque deinde abusum electionum in memoratis precibus expositum per hæc verba sensum suum aperuit -- *Quapropter annexæ preces integræ, quam continent, respondentes veritati, summum Eminentiarum VV. expostulant zelum, ut de cætero Juventutis bono, & religiosæ remaneat consultum educationi, quod futurum crederem, si Magistrorum post hæc electiones rite per concursum probarentur, & fierent, ut ita, quovis humano respectu postposito, idoneo magis inter concurrentes juxta disponentis piam voluntatem traderetur Officium, & Magisterium imposterum pari ratione, & ordine destinandum.*

Hisce receptis literis S. Congregatio die 30. Januarii 1723. rescripsit -- *In electione Ludimagistri Episcopus Ferentini mandet fieri concursum coram illis, qui habent jus eligendi, ac duobus Canonicis a dicto Episcopo deputandis, qui examinare teneantur Concurrentes, & habeant votum consultivum, firmo remanente decisivo apud eos, qui nunc illud obtinent* --; Atque in hunc modum ab eo tempore, quoties contigit vacatio Ludimagistri, ad ejus electionem deventum est.

Nuper vero dicta Communitas expedivit Monitorium coram A. C. super manutentione in quasi Possessione juris eligendi Magistrum, illudque personaliter intimari curavit Promotori Fiscali Curiæ Episcopalis, qui, recursu postmodum habito ad Eminentissimum Proauditorem Sanctissimi, obtinuit, litis intentatæ decisionem Sacræ huic Congregationi delegari.

Actio Communitatis innititur possessioni metam centum annorum excedenti, quæ probari contenditur tum ex plurimis Actibus ab anno 1601. usque ad annum 1717. successive gestis in publicis Comitiis, tum ex concordi multorum Testium depositione affirmantium, electionem Ludimagistri, & administrationem bonorum pro ipsius dote assigna-

torum

torum independenter omnino præteritis temporibus habitam fuisse a Communitate, quæ præterea sustinet, longævam adeo, & nunquam interruptam possessionem fortius corroborari a titulo, seu jure derivato ex memorata donatione Nicolai Rahonii, Prioribus ejusdem Communitatis concedente, -- *plenam, & omnimodam potestatem dictam scholam regendi, & gubernandi, ejusque jura videndi, cognoscendi, & defendendi, Præceptores ad Puerorum, & Juvenum eruditionem eligendi, deputandi, & nominandi, eosque revocandi semper & quandocumque fuerit opportunum* --, uti præseferunt verba Instrumenti publici ejusdem Donationis stipulati anno 1600.

In Cap. *Quia nonnullis de Magistris* sancitum habetur, -- *ut non solum in qualibet Cathedrali Ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur Magister idoneus a Prælato cum Capitulo, seu majori, & saniori parte Capituli eligendus, qui Clericos Ecclesiarum ipsarum gratis in grammatica facultate, ac alios instruat juxta posse* -- Et consentanee ad hanc juris antiqui dispositionem statuit Sacrum Concilium Tridentinum, ut Ecclesiæ, -- *quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam exigua est Cleri, & Populi multitudo, ut Theologiæ lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui Clericos, aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat*, ut in *cap.* 1. *Sess.* 5. *de refor.* At, si electio Magistrorum ad alios spectet, Episcopo non licet eos deputare, nisi in casu negligentiæ illorum, ad quos tale jus pertinet, uti colligitur ex cap. *Prohibeas eodem titulo de Magistr.* ibi -- *Sane, si quis distulerit Magistros in locis congruis instituere, tibi liceat, appellatione postposita, ibi aliorum instructioni præficere viros providos, honestos, & discretos*.

In hypothesi juxta Rescriptum ab hac Sacra Congregatione editum die 30. Januarii 1723. non fuit ademptum Communitati jus eligendi Ludimagistrum, sed solum demandata est forma concursus coram Episcopo, & duobus Canonicis ab eodem Episcopo deputandis, qui teneantur Concurrentes examinare. Perpendendum itaque erit, num jura, ex quibus contendit Communitas, electionem Magistri sibi independenter competere, satis persuadeant, ab ea concursus forma imposterum esse recedendum; cum de cætero Magister ludi literarii a Communitate electus ex sententia hujus Sacræ Congregationis in iis, quæ spectant ad Doctrinam Catholicam, & bonos mores possit ab Episcopo examinari, ut ait *Fagnan. in d. cap. Quia nonnullis num.* 4. *de Magistris*, & scite notat *Eminentissimus Petra in Constitut. 6. Joannis XXII. num.* 5. *pag.* 51. *tom.* 4.; immo vero posse Episcopum prohibere Ludimagistris exercitium scholæ quamvis fuerint nominati a Communitatibus laicorum, nisi prius fuerint ab eodem approbati, resolvit Sacra hæc Congregatio *in Asculana Apuliæ* 4. *Augusti* 1691. *lib.* 41. *Decret. pag.* 88.

Quæ afferuntur a Communitate pro vindicando sibi jure electionis independentis, respiciunt quoque controversam Bonorum administrationem, ideoque iis perpensis, onus erit Eminentiarum VV. decidere.

An electio Ludimagistri, & administratio Bonorum, de quibus agitur, independenter competat Communitati Ferentini in casu &c.

Spectare ad Communitatem firmo remanente Jure Episcopi ad formam Concilii.

MEDIO-

Sess. 22. c. 4. & Sess. 25. Cap. 4. de ref.

MEDIOLANEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Franciscus Carimati in testamento, quod fecit anno 1630., hæredes ex æquo scripsit Joannem Paulum, & Petrum Martyrem ipsius filios, eosque gravavit perpetuo onere Missæ quotidianæ in hæc verba - *Item aggravo dictos Hæredes ad celebrari faciendum ad Altare S. Catherinæ in Ecclesia SS. Trinitatis Missam unam quotidianam usque in perpetuum*.

At, secuto sub eumdem annum 1630. obitu tam Francisci testatoris, quam dictorum Joannis Pauli, & Petri Martyris hæredum, Paula Carimati filia, & Camilla Bussera ejusdem Testatoris neptis ex altera filia prædefuncta hæreditatem sibi ex intestata successione eorumdem Joannis Pauli, & Petri Martyris delatam diviserunt ea sub lege; quod earum quælibet teneretur medietatem annuæ eleemosynæ dictæ Missæ quotidianæ contribuere.

In executionem itaque hujuscemodi dispositionis Fratres de Corbellis utpote hæredes memoratæ Paulæ prædicto oneri Missæ quotidianæ in medietate ad hæc usque tempora satisfecerunt; & quia Fratres de Aldeghis, quibus ex persona Camillæ Busseræ obvenit altera medietas hæreditatis prædicti Francisci Carimati, usque ab anno 1710. neglexerunt adimplere onus dictæ Missæ quotidianæ, quo in medietate gravabantur; idcirco iidem Fratres de Corbellis, ne cogerentur solvere integram annuam eleemosynam ejusdem Missæ quotidianæ, primum curarunt subhastari situm, & cæmenta cujusdam domus collapsæ, quæ ex hæreditate dicti Francisci Fratribus de Aldeghis unice supererat, illiusque pretium librarum 2000. sibi retinuerunt, emissa obligatione solvendi annua interusuria ad rationem librarum trium cum dimidia pro quolibet centenario, ut ex illis adimpleatur aliqua ex parte numerus Missarum, quarum celebratio a dictis Fratribus de Aldeghis usque ab anno 1710. omissa fuit.

Postmodum vero judicium instruxerunt pro adimplemento oneris Missarum superextantis, necnon pro annua eleemosyna scutorum 17. 33. impendenda in celebrationem dictæ Missæ quotidianæ tam adversus Moniales S. Luciæ Civitatis Mediolani, quæ sub annum 1677. a memoratis Fratribus de Aldeghis pretio scutorum 1600. emerunt Terrenum quoddam ex hæreditate dicti Francisci Testatoris proveniens, quam contra quemdam de Zappis utpote possessorem cujusdam domunculæ itidem hæreditariæ prædicti Testatoris, atque binas obtinuerunt sententias, quibus prædictæ Moniales una cum illo de Zappis condemnatæ fuerunt, vel ad dimittenda Bona hæreditaria dicti Testatoris, vel ad sibi assumendum, servata proportionis norma, onus celebrari faciendi Missas hactenus non celebratas, necnon solvendi annuam summam scutorum 17. & 33. quæ deest pro integra eleemosyna dictæ Missæ quotidianæ.

In hoc rerum statu dicta domuncula a præfato de Zappis possessa ad instantiam Fratrum de Corbellis fuit subhastata, illiusque pretium erogatum est in celebrationem Missarum, quæ non fuerant celebratæ; Moniales vero super numero Missarum non celebratarum pro rata ad eas spectante compositionem obtinuerunt a Rev. Fabrica S. Petri, subindeque a Sanctissimo Domino Nostro postularunt, ut onus solvendi quotannis prædictam eleemosynam scutorum 17. 33., vel in recitationem annui Officii Defunctorum, vel in aliud pium opus commutaretur. Sanctissimus autem jussit hac de re exquiri suffragium Sacræ hujus Congregationis.

Vica-

Vicarius Generalis in literis, quas ad Sacram Congregationem nuperrime dedit, facti seriem hactenus expositam confirmans refert, neque Fratres de Corbellis, neque Parochos Portionarios dictæ Ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis se contradictores præbere, immo vero assentiri petitioni, quam prædictæ Moniales modo instaurant, deindeque ita subdit -- *Cum itaque agatur de Missa quotidiana minus quam pro tertia parte supprimenda, & in aliud opus pium ab Oratricibus præstandum commutanda, cujus tertiæ partis obligatio in Oratrices transivit per viam evictionis absque ulla prorsus earum culpa, prædium, cujus ratione hanc evictionem passæ fuerunt, solutum fuerit ab ipsis plus justo pretio, & nunc valeat minus ob deteriorationem, quam passum fuit occasione obsidionis; nemo sit, qui contradicat supplicatis; aliunde satis consultum sit cultui Ecclesiæ, in qua debet celebrari, necnon spirituali populi commoditati, crederem, quod, attenta miserabili earum paupertate, non solum posset, verum etiam expediret, ut earum petitis benigne annuatur.*

Exemplum gratiæ reductionis, & commutationis plurium onerum Missarum alteri Monialium Conventui, attenta ejus paupertate, concessæ habetur in Causa *Urbinaten. Reductionis, & Commutationis onerum* descripta primum in Folio diei 18. Augusti 1731., & postmodum resoluta die 20. Decembris 1732.

Deliberandum igitur erit ab Eminentiis VV.

An, & quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutatione voluntatis in casu &c.

Dilata.

OSTUNEN. REDUCTIONIS MISSARUM. In Testamento sub annum 1703. condito Sacerdos Vitus Massari hæredem ex asse fecit Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi S. Viti; deinde vero hoc adiecit legatum ,, Ma in detta Massaria, e Chiusa per modum Bene- *Sess. 25. c. 4. de refor.*
,, ficii succedano, e debbano succedere, seguita la mia morte, prò
,, communi, ed indivisi Leonardo Antonio del q. Nicolò Jacullo,
,, Tomasso di Gio: Battista Epifani, e Marcello di Carlo Rigliano
,, col peso di celebrare, e far celebrare numero 400. Messe, e numero
,, 4. Anniversarj l'anno in perpetuo &c. Esinche li predetti Leonar-
,, do, Tommasso, e Marcello, o ciascheduno di loro ascenderà a
,, Stato Ecclesiastico, e susseguentemente al Presbiterato, voglio,
,, che la celebrazione delle Messe al numero di 400. con li sudetti 4.
,, Anniversarj come sopra si faccino celebrare dal Reverendo Capi-
,, tolo di detta Terra mio Erede con darli la carità ordinaria; -- *Et*
,, *denique ita cavit* -- E mancandone le sudette linee, e descenden-
,, ti, ut supra chiamati, da mò per all'ora comando che in detta
,, Massaria, e Chiusa come sopra descritte succeda il detto Reveren-
,, do Capitolo mio erede col sudetto peso di celebrare le dette numero
,, 400. Messe per ciaschedun'anno in perpetuum con li detti quattro
,, Anniversarj nel modo, che di sopra ho dichiarato, e non altri-
,, menti.

Secuto Testatoris obitu, memorati Legatarii Leonardus Antonius Jacullus, Thomas Epiphanius, & Marcellus Riglianus plurium annorum spatio prædicto Missarum, & Anniversariorum oneri satisfecerunt; at passi evictionem cujusdam Terreni, quod vulgo vocant *Chiu-*

Chiusa, illud in tertia parte propria auctoritate imminuerunt. Porro Capitulum ad reparandum detrimentum sibi, ex hujusmodi Missarum reductione illatum, prælaudatos Legatarios in jus vocavit coram Episcopo Ostunensi, subindeque coram Archiepiscopo Brundusino, qui, prævia juratoria cautione a Legatariis præstita, removit sequestrum, quod ex decreto Episcopi Ostunensis fuerat super fructibus alterius Prædii ut supra legati appositum; & demum, ut evitaret diuturnæ litis dispendia, præhabito eorumdem Legatariorum assensu, controversiæ decisionem ab hoc supremo Consessu supplex postulat sub Dubio infra describendo.


Episcopus hac de re jussus edocere Sacram Congregationem confirmat ea, quæ superius exposita sunt, subindeque referens, ex dicto Prædio adhuc superextante penes dictos Legatarios percipi annuos proventus in summa ducatorum 170., in eam propendit sententiam, quod ob secutam evictionem dicti Terreni haudquam sit minuendum controversum Missarum onus, cum pro illius implemento exuberat prædicta annua summa ducatorum centum septuaginta.

His igitur in facto notatis, grave non erit Eminentiis VV. judicare.

An ob evictionem unius ex Prædiis legatis cum onere Missarum sit proportionabiliter diminuendum earum onus in casu &c.

Negative, & amplius.

Die Sabbathi 18. Decemb. 1734.



Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr. BAREN. MATRIMONII. Ad petitionem Juliæ *della Corte* nova jura exhibere pollicentis demandarunt EE. VV. die 4. labentis mensis, ut hujus Causæ discussio ad hodiernam Congregationem differretur. Resumpto itaque Folio tunc distributo una cum cæteris in eo commemoratis, ac mature perpensis tum veteribus, tum novis documentis, quibus diffidentes vicissim utuntur oportet modo respondere.

I. *An constet de contracto Matrimonio*: & quatenus affirmative.

II. *An constet de illius nullitate*; & quatenus negative ad primum, & affirmative ad secundum.

III. *An constet de Sponsalibus, itaut Calvanus sit cogendus ad illorum executionem in casu &c.*

Ad primum Affirmative: Ad secundum Negative. Ad tertium provisum in Superioribus, & amplius.

Sess. 24. c. 14 de ref. LEODIEN. Postulante Decano Collegiatæ Ecclesiæ Sanctæ Crucis, ut abrogarentur quædam onera, quæ ab obtinentibus Decanatum sustineri consueverant, die 30. Septembris 1730. proposita fuerunt duo Dubia. I. *An sustineantur assertæ resolutiones capitulares factæ annis* 1724., & 1728. *ante electionem Decani, & Cantoris in Ecclesia Collegiata* S. *Crucis, itaut sint exequendæ in casu &c.* II. *An, & quæ alia onera sustineantur* -- prodiitque Rescriptum. *Ad*

I. [*re*-

II. *negative*. *Ad* I. *Dilata*, *&* *coadjuventur probationes*. Cum autem Decisioni prioris Dubii statim acquieverit Capitulum, redintegrata solum fuit disceptatio secundi sub diem primam Septembris 1731., qua Sacra Congregatio respondit. *Quoad duo convivia negative*, *quò vero ad Cappam dilata*, *&* *scribatur Ordinario juxta instructionem*. Datis itaque literis juxta mentem Sacræ Congregationis, opportunisque desuper habitis responsionibus Causa iterum discussa fuit die 18. Julii elapsi anni sub hisce Dubiis -- I. *An quoad duo annua convivia sit standum*, *vel recedendum a decisis die prima Septembris* 1731. II. *An*, *&* *quæ alia onera sustineantur in casu &c.* & responsum est. Ad I. *esse permittenda*, *sed Decanum non posse cogi*. Ad II. *Dilata*, *&* *coadjuventur probationes super consuetudine quoad Cappam*.

Pluribus jam vero transactis mensibus, nullaque apparente Capituli sollicitudine in comparandis juribus, quæ assertam consuetudinem a Decano impugnatam validius comprobent, iste præfato Capitulo non semel lacessito, ut Causæ huic definiendæ suprema tandem manus admoveatur, enixe flagitat.

Series controversiarum, quæ inter Capitulum, & Decanum hactenus exarserunt, luculenter exprimitur in Foliis distributis pro Congregationibus dierum 30. Septembris 1730. 1. Septembris 1731. & 18. Julii 1733. At in horum postremo fusius referuntur, quæ ad præsentem articulum potissime pertinent. Nunc igitur denuo discutiendum est.

An, *&* *quæ alia onera sustineantur in casu &c.*

Dilata, remotis Sequestris, præfixo termino trium Mensium pro Confectione, & transportatione Processus.

JANUEN. ERECTIONIS COLLEGIATÆ. Status hujus Causæ summatim relatus fuit in Folio Congregationis habitæ die 9. Januarii exeuntis anni. Disceptatis autem tribus hisce Dubiis: I. *An sustineatur provisio*, *de qua agitur*, *tam quoad multiplicum*, *quam quoad repartimentum*, & quatenus negative. II. *An sit locus sanationi*; & quatenus negative. III. *An a quibus*, *&* *super quibus Bonis debeantur fructus*, *&* *fructus fructuum multiplici neglecti ad favorem Collegiatæ erigendæ in casu &c.* die 23. ejusdem mensis prodiit Resolutio: *Ad I. & II. negative*. *Ad III. Dilata*, *&* *scribatur Archiepiscopo juxta instructionem*, quæ fuit, ut idem Archiepiscopus, auditis etiam Executoribus, vel eorum Hæredibus, aliisque interesse habentibus, Sacram Congregationem distincte redderet instructam circa quantitatem Patrimonii relicti, & circa alienationes, quando, & a quibus factæ fuerint. *Cap. 6. Sess. 21. de Ref.*

Verum quia Marchio Joseph Maria Arconatus contendebat, executionem hujusmodi Rescripti spectare vel ad Archiepiscopum Januensem, vel ad A. C., non autem ad Judices Rev. Fabricæ Sancti Petri; idcirco Administratores ejusdem Fabricæ insteterunt coram Eminentissimo Pro-Auditore Sanctissimi, ut controversa executio Judicibus Fabricæ committeretur, obtentoque Decreto eorum petitioni consentaneo, subinde postularunt a R. P. de Mattheis Judice deputato ejusdem Rev. Fabricæ relaxationem mandati contra dictum Marchio-

Marchionem Arconatum, ut multiplicum, de quo agitur, a Civitate Januæ ad Urbem transporteretur.

At huic itidem instantiæ sese opponente memorato Marchione sub fundamento, quod a Sacra Congregatione definitum non fuerit, prædictum multiplicum ad Urbem transferendum esse, Administratores præfati die 21. Augusti labentis anni petierunt ab hac S. Congregatione subscribi Dubium ita conceptum -- *An, contra quos, & super quibus Bonis sit relaxandum mandatum pro transportatione ad Urbem multiplici facti in Civitate Januæ* -- Sacra tamen Congregatio respondit -- *Proponatur Causa super* III. *Dubio, & habebitur ratio in propositione*.

Hodie igitur, perspectis juribus utrinque adducendis, necnon accurata Archiepiscopi Relatione, onus erit Eminentiarum VV. definire.

An, a quibus, & super quibus Bonis debeantur fructus, & fructus fructuum multiplici neglecti in casu &c.

Marchionem Arconatum teneri ad restitutionem fructuum perceptorum ad effectum investiendi in tot Locis Montium in Urbe ad formam Testamenti, nec non Capitale transferendum esse in Creditum Legatorum Piorum ad formam ejusdem Testamenti, reservato jure Rev. Fabricæ agendi contra Executores Testamentarios, aut hæredes quatenus de Jure, & prout de Jure.

Cap. 16. Sess. 24. de ref.

ACERRARUM, SEU MATHERANEN., ET ACHERUNTINA SPOLII. Innocentius XII. in Constitutione, quæ est vigesima tertia in parvo suo Bullario, Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos inferiores Regni Neapolitani supplicantes, ut ad Spolii compositionem cum Camera Apostolica admitterentur juxta formam, sub qua Capitula Cathedralium ejusdem Regni jam reperiebantur admissa, exemit a Spolio ea lege, ut illud in beneficium Cathedralium, vel, si illis aliunde consultum sit, in utilitatem Parochialium Ecclesiarum imposterum erogetur, præservavitque Constitutionem 42. S. Pii V., qua sancitum est, ornamenta, paramenta, aliaque ad usum, & cultum Divinum spectantia applicari debere Ecclesiis, quibus Episcopi præfuerint.

Ad normam Pontificiæ hujus legis Promotor Fiscalis, necnon Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Acerrarum in supplici libello Sacræ huic Congregationi porrecto exponunt, Josephum Mariam Positani Episcopum Acerrarum antequam transiret ad Ecclesiam Matheranensem, & Acheruntinam, ad quam auctoritate Apostolica fuerat translatus, sub die 30. Octobris 1723. solemne confecisse inventarium omnium supellectilium, aliorumque Bonorum, quæ emerat eo tempore, quo prædictam Acerrarum Ecclesiam rexit, deindeque instant, ut omnia bona descripta in dicto Inventario sibi in vim Spolii eidem Acerrarum Ecclesiæ debiti restituantur ab utroque Capitulo Ecclesiæ Matheranensis, & Acheruntinæ hærede præfati Archiepiscopi.

In memorata Constitutione Innocentiana definitum non fuit, an, quando aliquis Episcopus ab una ad aliam Ecclesiam transfertur, spolia in primæ, vel in secundæ commodum cedere debeant; at certum est, bona quæcumque ex fructibus prioris Ecclesiæ quæsita ad eamdem spectare, ita ut ea sint restituenda ex hæreditate defuncti Episcopi, juxta

juxta Resolutiones ab hac Sacra Congregatione editas in *Cathacen.*, *seu Svessana Spolii*, ubi ad Dubium -- *An bona mobilia, libri pecuniæ, cæteraque, præter sacra paramenta, inventa tempore bon. mem. Francisci Gorii Episcopi Svessani, prius Episcopi Cathacen. apud ipsum spectent ad Ecclesiam Svessanam* -- die 28. Sept. 1709. rescriptum fuit, *quod bona quæsita ex fructibus Ecclesiæ Cathacen. spectabant ad eamdem* -- ut in *lib.* 59. Decr. *pag.* 331., & *in Trivicana, seu Tricaricen.* propositis quatuor hisce Dubiis -- I. *An mobilia, libri, pecuniæ, argenta, aliaque bona* (*præter sacra paramenta*) *bon. mem. Simonis Viglini prius Episcopi Trivicani, & postea Tricaricen., reperta tempore ejus obitus spectent ad Ecclesiam Tricaricen. in casu &c.* II. *An Paramenta, & vasa sacra, aliaque argenta, & supellectilia ad usum Cappellæ, & cultum Divinum destinata, reperta, ut supra, debeantur Ecclesiæ Trivicanæ, vel potius dictæ Ecclesiæ Tricaricen. in casu &c.* III. *An argenta, & mobilia, aliaque bona ab Ecclesia Trivicana commodata dicto bon. mem. Episcopo Viglino tunc Episcopo Trivicano debeant eidem Ecclesiæ Trivicanæ restitui in casu &c., & quatenus affirmative.* IV. *An, & a quo, & ex quibus bonis, illis non extantibus, debeat solvi illorum pretium in casu &c.* die 6. Julii 1726. prodiit Rescriptum -- Ad I., & II. *pertinere ad Ecclesiam Trivicanam*. Ad III. *affirmative*. Ad IV. *Solvenda esse ex hæreditate Episcopi* -- ut in *lib.* 76. *Decr. pag.* 342.

Et quamvis spolia locum non habeant nisi in iis, quæ Episcopo quæsita fuerunt ratione Ecclesiæ, non autem in bonis patrimonialibus, attamen Promotor Fiscalis una cum Capitulo prædictæ Ecclesiæ Acerrarum contendit, satis probari, controversa Bona Episcopo obvenisse ex fructibus Ecclesiæ Acerrarum, tum ex eo, quod prædictus Joseph Maria Positani erat Religiosus Ordinis Prædicatorum, tum quia statim, ac fuit assumptus ad regimen ejusdem Ecclesiæ Acerrarum, quæ plurium annorum spatio remanserat suo Pastore viduata, illius proventus in notabili quantitate cumulatos percepit, tum demum, quia bona reperta penes Episcopum præsumuntur ex fructibus Ecclesiæ, illiusque contemplatione comparata, juxta regulam, de qua *Joann. Andr. in cap. Ut unus. de pecul. Cleric. ibique Abb. n.* 3., & *in c.* 1. *de Testamentis in* 4. *notabili*.

His itaque perpensis una cum Relatione Archiepiscopi Matheranensis, & Acheruntini, qui in eo totus est, ut jura suarum Ecclesiarum tueatur, dignabuntur Eminentiæ VV. decernere.

An Capitula Ecclesiarum Matheranensis, & Acheruntinæ teneantur restituere Capitulo Ecclesiæ Acerrarum bona descripta, & contenta in inventario facto per bon. mem. Episcopum Positanum 30. *Septembris* 1723. *in casu &c.*

Dita ad sequentem.

ARIMINEN. MEDIÆ ANNATÆ. Sacerdos Mattheus Baldi in concursu habito superiori anno fuit approbatus ad curam Parochialis Ecclesiæ sub titulo S. Blasii in Oppido Saludecii erectæ, vacantis per obitum Nicolai Thomæ Alessii secutum mense, quo ejusdem Ecclesiæ collatio spectabat ad Episcopum; subinde vero, quia Episcopus prædictam Ecclesiam gravavit annua pensione scutorum sexaginta favore duorum Clericorum ipsius familiarium, idem Mat- *Sess. 21. c 7 de ref.*

thæus, exhibitis teſtimonialibus literis ſuæ approbationis, coactus eſt coram Eminentiſſimo Pro-Datario inſtare pro memoratæ Eccleſiæ collatione ob impoſitionem dictæ penſionis Apoſtolicæ Sedi reſervata.

Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Ariminenſis petitæ literarum Apoſtolicarum expeditioni contradictorem ſeſe præbuit, contendens, Matthæum Baldi teneri medios fructus primi anni ex dicta Eccleſia percipiendos ſolvere in beneficium fabricæ Eccleſiæ Cathedralis; at Eminentiſſimus Pro-Datarius, rejecta Capituli inſtantia, præſervatis tamen juribus utriuſque Partis ſuper controverſa ſolutione mediæ annatæ, præcepit, Apoſtolicas literas expediri, in quarum executionem Matthæus memoratæ Eccleſiæ poſſeſſionem poſtmodum eſt adeptus.

Jam vero, delata nuperrime ſacræ huic Congregationi ad inſtantiam Capituli præmiſſæ controverſiæ deciſione, ejus examen modo eſt aſſumendum. Capitulum totum fundamentum conſtituit tum in recenti Concilio Romano *tit.* 27. *cap. unic.*, tum in Conſtitutione ſan. mem. Benedicti XIII., ubi §. 2. ita cautum habetur -- *Decernimus, præcipimus, & mandamus per totam Italiam, & Inſulas adjacentes, ut impoſterum Proviſi de Parochialibus una cum incertis annuum redditum ſcutorum centum monetæ Romanæ excedentibus, & de Canonicatibus, & Beneficiis tam reſidentialibus, quam non reſidentialibus, & ſimplicibus ſitis extra Eccleſias Collegiatas cujuſcumque valoris exiſtant, teneantur ſolvere, & reſpective deponere mediam annatam pro fabrica Eccleſiæ Cathedralis.*

At, retento in facto, quod prædicta Eccleſia fuit non quidem ab Epiſcopo collata, ſed a Sancta Sede, quodque præfatus Matthæus ante literarum Apoſtolicarum expeditionem ſolvit Datariæ mædiam annatam, perpendi oportet, num inhoc caſu controverſa media annata præſtanda ſit; illa enim debetur dumtaxat ex Beneficiis, quorum collatio, ſeu proviſio pertinet ad Epiſcopum vel alium inferiorem Collatorem, non autem ex Beneficiis, quæ a S. Sede conferuntur; & medietas fructuum primi anni integre ſpectat ad Beneficiatos, juxta prælaudatam Conſtitutionem, cui conſonat altera multo pridem edita a S. Pio V. in ordine la 104.

His igitur ponderatis, erit ab Eminentiis VV. deliberandum.

An ſit locus ſolutioni mediæ annatæ in caſu &c.

Non propoſita cum ſequentibus.

Seſs. 21. c. 8. & Seſs. 24. c. 21. de reſcr.

ASSISIEN. CATHEDRATICI. Petit Epiſcopus Cathedraticum ab Eccleſia S. Criſpoliti ſub titulo Abbatiæ poſſeſſa ab Octaviano Gentili; iſto autem contendente, ad illius ſolutionem non teneri, quia præfata Abbatia utpote jamdudum ſpectans ad Monaſterium Ordinis S. Benedicti ab onee Cathedratici ſit exempta, ſupremum ſacræ hujus Congregationis oraculum ad controverſiæ deciſionem exquiritur.

Petitio Epiſcopi fomitem habet a noviſſimo Concilio Romano *tit.* 8. *cap.* 4., ubi redintegratæ fuerunt veteres juris Canonici ſanctiones de Cathedratico Epiſcopis ſolvendo ab Eccleſiis, & Beneficiatis ſibi ſubjectis. Licet autem Abbatia S. Criſpoliti olim eſſet Regularis, & hoc nomine cenſenda foret a Cathedratico immunis, attamen putat

tat Episcopus, statum ipsius fuisse jampridem immutatum ab innumeris pene Apostolicis provisionibus tercentum, & ultra annorum spatio de illa factis in Clericos seculares. Si enim ex sola possessione Beneficiorum Regularium ad quadraginta annos a Secularibus habita illorum status immutatio censetur inducta, per *Tex. in cap. Cum de Benef. de Præbend. in 6.*, quanto magis ubi adeo diuturna Clericorum Secularium possessio concurrit: Potissime vero accedentibus etiam plurimis Visitationibus Ecclesiæ S. Crispoliti ab Ordinariis pro tempore expletis, uti docetur ab illarum serie in Summario Episcopi relata.

At in oppositum Abbas Gentili sustinet, primævum Regularis Abbatiæ statum non potuisse immutari, cum ea semper in Commendam Clericis Secularibus collata fuerit; Hæc enim est virtus Commendæ, ut præservet Beneficia in eo statu, quo antea reperiebatur, *Fagnan. in Cap. in Ecclesiis de Cappellis Monach. num.* 16.; visitationes autem Ecclesiæ ab Episcopis factas non probare transitum Abbatiæ a statu Regulari ad Secularem, quia peragi potuerunt vi illius Apostolicæ Delegationis, qua locorum Ordinarii Ecclesias quascumque quomodolibet exemptas singulis annis visitare tenentur, ut statuit *Sacrum Concilium Tridentinum sess.* 7. *cap.* 8., & loquendo præcise de Abbatiis, seu Beneficiis etiam Regularibus qualitercumque commendatis decrevit *sess.* 21. *cap.* 8. *de Reform.*

Ex his igitur, aliisque juribus utrinque adducendis onus erit Eminentiarum VV. statuere.

An Cathedraticum debeatur in casu &c.

SABINEN. FUNERUM. Maria Laurentia Valentini, quæ Parochiali jure suberat Paulo Lelotio Archipresbytero Ecclesiæ sub titulo S. Hieronymi erectæ in Oppido Cantalupi, circa sui cadaveris tumulationem ita cautum in testamento reliquit -- *Il di lei corpo poi fatto cadavere, vuole, sia sepelito nella Ven. Chiesa di S. Biaggio de' PP. Carmelitani* --, subindeque Cinthiæ Mariæ Sorori, & Dominico Cataldi ejusdem Cinthiæ Mariæ viro, quos ex asse scripsit hæredes onus quarumdam Missarum injunxit sub hac lege -- *Ed ivi esposta con la spesa di scudi quattro per la cera dagl' infra-scritti suoi Eredi, quali debbano far celebrare in detta Chiesa de' sudetti PP. Carmelitani scudi venticinque di Messe in suffraggio dell' Anima sua, cioè scudi cinque subito sarà seguita la di lei morte, tanto nel giorno dell' esposizione del di lei cadavere, che ne i giorni immediatamente seguenti, e più presto si possa, gl' altri scudi venti dentro il termine di tre anni, talmente che prima compisca il triennio, vuole siano celebrate tutte le sudette Messe, lasciando alla sudetta Chiesa le ragioni gli spettano per ragione di sepoltura.* Sess. 25. c. 13. de ref.

Verum quia, secuto sub die 5. Julii proxime præteriti obitu Mariæ Laurentiæ, memoratus Archipresbyter, insciis Patribus Carmelitis, in quorum Ecclesia cadaver erat sepeliendum, jussit illud ad suam Parochialem Ecclesiam transferri, ibique expleto funere, inhumari, non attento, quod tum a prædictis Hæredibus, cum ab aliis personis fuisset eis pluries expositum, Mariam Laurentiam in suo Testamento sepulturam sibi elegisse in Ecclesiam Patrum Carmelitarum, ideo PP. prædicti contendentes, cadaver illud esse exumandum, sibique una cum cera, & aliis emolumentis, quæ Archi-

presbyter occasione funeris percepit, restituendum; petitionem hanc promoverunt coram Vicario Generali, qui in primo quidem instantiæ adhæsit, mox vero, opponente Archipresbytero, Hæredem uno tenus ore sibi asseruisse, quod Maria sepulcrum in Ecclesia Carmelitarum elegerit, Testamento non exhibito, neque per testes assertione comprobata, ac sustinente præterea, immemorabilem vigere consuetudinem in Oppido Cantalupi, ut mortuorum Cadavera, quæ ob sepulcri electionem apud Carmelitas tumulanda sunt, in Parochialem Ecclesiam prius asportentur, idem Vicarius Generalis, perspecto etiam, quod altera subalterna quæstio inter Partes excitabatur, num Archipresbyter in associatione Cadaverum ad Ecclesiam Patrum Carmelitarum teneatur incedere sub Cruce eorumdem Patrum, satius duxit decernere, ut, donec multiplices istæ controversiæ definitæ forent, præfatum Cadaver loco Depositi in Ecclesia Parochiali retineretur.

Ad dirimendas itaque hujusmodi contentiones proponuntur in hoc Sacro Consessu tria Dubia inferius describenda, ad quorum primi decisionem in jure notandum occurrit, Cadaverum exhumationem haud facile permitti, ne Defunctorum Cineres vexentur, Populoque scandalum generetur, ad Textus expressos *in l. ne Corpora*, *& l. Divi Fratres ff. de Relig.*, *& sumpt. funer.*, præsertim si bona fide, & in confuso cum cæteris cadaveribus in aliud, quam in proprium sepulcrum fuerunt illata, ut in his terminis rescripsit Sacra hæc Congregatio in *Romana Juris sepeliendi* 17. *Augusti* 1697., *in Æsina* 15. *Decembris* 1730. *ad secundum Dub.*, *in Senogallien. Sepulturæ* 23. *Decembris* 1707. *ad V. Dub.*, *in Lauden.* 2. *Maii* 1711. *ad V. Dub.*, *in Asten. Jurium Parochialium* 27. *Novembris* 1717., *& in Tudertina Electionis Sepulturæ* 21. *Novembris* 1722.

At id non procedit, quando eadem cadavera mala fide, & in loco, seu in capsa distincta sic recondita sunt, ut ab aliis facile separari possint, juxta Rescriptum *Alexandri III. in cap. Cum liberum sit. de sepult. & Bonifacii VIII. in cap. Animarum. eod. tit. in 6.* ibi -- *Ad restitutionem tam sepultorum Corporum, si petantur, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum provenerint quomodolibet ad eosdem infra decennium integraliter facienda, ipsis obligatos esse censemus* -- & late tradit *Rot. in Valentina Funerum* 7. *Decembris* 1731. §. *Tandem*, *& In casu præsenti coram R. P. D. Rezzonico*, *& in Fanen. Juris tumulandi* 2. *Martii* 1733. §. *Hisce ex juris censura*, *& seq. cor. R. P. D. Calcagnino*, & consentanee ad hæc resolvit Sac. Congregatio *in Lunen. Sarzanen. Restitutionis Cadaveris* 28. *Novembris* 1711., *& in Sorana Funerum*, ubi, disceptatis binis hisce Dubiis -- I. *An constet de electione Sepulturæ facta per Flaminium Marini in Ecclesia PP. Carmelitarum*; & quatenus affirmative. II. *An sit locus exhumationi, & restitutioni cadaveris, & emolumenta ad Ecclesiam tumulantem spectantia sint restituenda in casu &c.* -- die 24. Aprilis 1723. responsum fuit -- *Ad utrumque affirmative, & amplius*.

Quod vero ad II. Dubium attinet, certum est, cadavera non debere prius ad Parochialem Ecclesiam asportari, deindeque deferri ad aliam, in qua vel Majorum sepulcrum existat, vel sibi sepulturam dari jusserit Defunctus, sed ab ædibus Defunctorum recto tramite ad eam Ecclesiam debent efferri, in qua sunt tumulanda, nisi in contra-

trarium urgeat consuetudo legitime præscripta, aut aliter Defunctus, vel hæres statuerint, quemadmodum constat ex pluribus Decretis tum Sacræ Ritum Congregationis, de quibus *Pignatell. consult.* 48. *num.* 7., *& seqq. tom.* 3., *Matthæuc. Official. Cur. Eccl. quoad Exequias cap.* 20. *num.* 1., tum etiam Sacri hujus Consessus in *Lucana Funerum*, ubi ad Dubium his verbis expressum -- *An Cadavera Defunctorum sepelienda in Ecclesia Patrum Minorum de Observantia Terræ Petræ Sanctæ antequam ad eorum Ecclesiam deferantur, debeant prius asportari ad Parochialem, & eorum ibidem debeat fieri expositio usque ad horam sepulturæ* -- die 14. Martii 1722. rescripsit -- *Negative* --, ut in *lib.* 72. *Decr. pag.* 94., idemque resolvit in *Volaterrana* 16. *Martii* 1726. *lib.* 76. *Decr. pag.* 122. & novissime in *Tolentina Funerum 6. Februarii exeuntis anni*.

Denique circa ultimum Dubium observandum est, in Cadaverum associatione elevari Crucem illius dumtaxat Ecclesiæ, in qua cadaver est sepeliendum, ita ut Parochus incedere debeat sub Cruce Regularium, si cadaver ad eorum Ecclesiam deferatur, excepto casu, quo Capitulum Cathedralis, vel Collegiatæ funeris associationi intersit, ad tradita per *Samuel. de Sepult. tract.* 1. *disput.* 3. *contr.* 3. *concl.* 6. *n.*, 39. *Monacell. in formular. legal. tom.* 1. *tit.* 5. *form.* 7. *num.* 37., & ita pluries declaravit Sacra Congregatio in *Fassanen.* 21. *Julii* 1645., *in Aretina* 22. *Decembris* 1697., *in Aquen. Jurium Parochialium* 9. *Junii* 1708., *&* 27. *Aprilis* 1709. *ad tertium Dub. in Nullius Atinæ* 7. *Septembris* 1710. *ad secundum Dub. in Civitatis Castelli Juris funerandi* 16. *Aprilis* 1723. *ad V. Dub.*, & novissime in *Volaterrana*, ubi disputato hoc Dubio -- *An Archipresbyter associando cadavera sepelienda in Ecclesia Patrum Conventualium teneatur incedere sub illorum Cruce, seu potius valeat propriam Crucem elevare* -- die 16. Martii 1626. edidit Rescriptum -- *Affirmative quoad primam, & negative quoad secundam partem* -- ut in *lib.* 67. *Decr. pag.* 122.

Eminentissimus Episcopus Sabinensis facti seriem supra relatam comprobans subdit, inter prædictos Patres Carmelitas, & Archipresbyterum jampridem in Sacra Rituum Congregatione instructam fuisse litem super asserta consuetudine deferendi cadavera ad Parochialem Ecclesiam S. Hieronymi, priusquam in eorumdem Patrum Ecclesia, ubi Defunctus, vel majorum sepulcrum habeat, vel sibi illud elegerit, sepeliantur, proindeque in hæc verba concludit -- *Quæ cum ita sint, optimum factu ducerem mandare Diffidentibus, expectari exitum pendentis Causæ in Congregatione Sacrorum Rituum, & interim servari solitum.*

Rationum momenta, quæ Paulo Lelotio patrocinari possunt, hactenus non fuerunt adducta. Ponderatis vero tum juribus supra expositis, tum & aliis, si qua, circumferentur, judicandum est.

I. *An Cadaver Mariæ Laurentiæ Valentini exhumandum, & restituendum sit per Archipresbyterum Parochiæ Terræ Cantalupi una cum cera, & aliis emolumentis ab eo perceptis PP. Carmelitis ejusdem Terræ in casu &c.*

II. *An Cadavera Defunctorum sepelienda in Ecclesia eorumdem PP. Carmelitarum debeant ad illam recto tramite deferri, vel potius, attenta asserta consuetudine, prius asportari, & exponi in Ecclesia Parochiali in casu &c.*

III. *An*

III. *An in associatione Cadaverum ad eamdem Ecclesiam PP. Carmelitarum dictus Archipresbyter debeat sub sola Cruce dictæ Ecclesiæ tumulantis incedere, vel possit propriam elevare, & sub utraque incedere in casu &c.*

Sess. 24. c. 5. & Sess. 25. c. 9. de Ref.

SULMONEN. DISPENSATIONIS. Jo: Baptista Sanita Patritius Sulmonensis SS. D. N. Clementi XII. feliciter Regnanti exponens se iracundia succensum, stricto ense, leve vulnus inflixisse Presbytero Petro Philippo suo germano fratri, quia in contentione quadam assumens communis matris, & sororis partes, Annam Claram ejusdem Jo: Baptistæ uxorem alapha percusserat, eumque post acceptum vulnus spatio triginta septem dierum supervixisse, sed subinde defunctum ex Medicorum incuria, Apostolicam dispensationem postulavit, ut ipsius filii tam nati, quam nascituri valeant ad Ordines promoveri, & Beneficia de jurepatronatus suæ familiæ, & alia quæcumq; obtinere, utque filiabus quoque sit liber ingressus in Religionem. Sacra vero Congr. cujus suffragium Sm̄us exquiri jussit, literas dedit ad Episcopum Sulmonensem, ut hac de re instructa redderetur,

Episcopus, recensita facti specie, quæ supra exposita, ita rescribit -- *Certum est tamen, quod Sacerdos Petrus Philippus Sanita vulneratus ab Oratore obiit trigesimo septimo die post vulnus acceptum; nec constat, illum interiisse propter incuriam, seu malam Chirurgorum medelam, ut Orator exposuit, sed ex vulnere lethali; & licet relicta fuisset per paucas horas turundo in vulnere, tamen ullum præjudicium inferre potuerat ex judicio Medicorum, quos nuper extrajudicialiter interrogavi* --; deindeque affirmans, Oratorem esse Patritium Sulmonensem, non divitem, pluribus filiis gravatum, ideoque commiseratione dignum, in hæc verba concludit -- *Indiget tamen absolutione a Censuris incursis ob mortem secutam dicti sui fratris ex vulnere accepto, quam hactenus impetrare non curavit a SS. D. N., licet per Sacram Pœnitentiariam post vulnus inflictum illico eam impetrasset pro vulnere quasi mortali, & absolutus fuisset.*

Summus Pont. Alex. III. in *c. In quibusdam de pœnis* non eum dumtaxat, qui Rectorem, aut Clericum alicujus Ecclesię per se, vel per alium interficit, aut mutilat, omnibus juribus, & Beneficiis, quæ in illa Ecclesia obtinebat, ipso facto privavit; verum etiam sancivit, ne eadem jura, & Beneficia ad illius Posteros pervenirent, eosque ad quartam usque generationem prohibuit Ordines suscipere, & in Monasteriis, quorum ingressum liberum reliquit, dignitates, & Prælaturas consequi ibi -- *Et ne minus vindictæ, quam excessus memoria prorogetur, non solum de præmissis nihil perveniat, sed etiam usque ad quartam generationem posteritates talium in Clericorum collegium nullatenus admittantur, neque in domibus Regularibus alicujus prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum* -- & tradunt *Abb. in cit. c. In quibusd. n. 1. & 7. ibiq. Joan. Andr. n. 1. Butr. n. 1. Boich. n. 4. Piringh. in jus can. l. 5. tit. 37. §. 6. n. 26., & seq. Garz. de Benef. p. 11. c. 10. n. 57. Lotter. eod tract. l. 3. q. 30. n. 13. cum seq. Thesaur. de pœn. part. 2. verb. homicidium cap. 4.*

Immo consentanee adhæc Sac. Pœnitent. solet consimilibus Delinquentibus absolutionem impertiri sub hac conditione -- *Quod nequaquam absolutio prosit, quominus si ipse aliquod feudum, seu juspatronatus in Ecclesia, in qua dictus Sacerdos forsan intitulatus erat, obtinet*

net, ipse, ejusque hæredes perpetuo illis sint privati; & ne minus vindictæ, quam excessus prorogentur, ipse, ejusque liberi propter hoc inhabiles censeantur ad Beneficia Ecclesiastica in futurum obtinenda, nisi cum illis fuerit super hoc misericorditer dispensatum: uti constat ex formula, quam per extensum refert *Leo in prax. Sac. Pœnitentiariæ p. 3. de formul. absolut. & dispens.* & testantur *Nav. cons. 28. de pænit. & remiss. & Thes. de pœnis Eccl. p. 2. c. 4. n. 5.*

At sub hac juris sanctione non comprehendi filios, cæterosque Occisoris Posteros, qui ante patratum delictum sint nati, declarant *Anch. in cit. c. In quibus. n. 6.* ibique *Jo: Goffr.*, itidemque solum illius descendentes per lineam masculinam huic pænæ subjectos esse, colligitur *ex Tex. in c. Ubicumq. 4. de pæn. in 6.* ut explicant *Jo: Andr. in cit. c. In quibus. n. 6. & 7. ibique Butr. n. 13. Boich. n. 6. in fin. Hostien. n. 11. & seq. Socc. n. 34. Zabarell. n. 15. Thes. de pæn. Eccl. p. 2. c. 4. verb. Homicidium n. 4. vers. declara primo.*

Iis, quæ hactenus adducta sunt, præstat adiicere binas sacræ hujus Congregationis Resolutiones, quæ ad decisionem utriusque Dubii infra describendi potissimum conferre videntur.

In Causa, cui titulus: *Dubium dispensationis:* proponebatur casus conceptus his verbis: *Quia Parochus cujusdam Loci interfuerat Matrimonio contracto inter vilis conditionis mulierem, & Baronem, qui licet, nullum penitus jus in, & super Ecclesia Parochiali haberet, attamen jurisdictionis exercitio inter plures Condominos per turnum diviso, nonnullis anni mensibus in dicto loco fruebatur, dicti Baronis filius ex alia uxore tunc præmortua susceptus Parochum præfatum occidit de anno* 1677. *Hujus homicidæ hactenus viventis filius ante patratum delictum natu ad sacros Ordines promoveri desiderat; quocirca preces obtulit Sac. Pænitentiariæ, quibus ad hanc Sacr. Congreg. remissis, decernendum proponitur.* I. *An præfatum homicidium obstet Oratori, quominus ordinari valeat; & quatenus affirmative* II. *An cum eo sit dispensandum* -- Sacra vero Congregatio die 2. Augusti 1677. respondit -- *Oratorem non indigere dispensatione* -- ut in *lib. 37. Decr. pag.* 455..

In *Marsicana Dispens.* Facti summa hęc erat. Dominicus filius Josephi de Berardis, qui Sulpitium necarat unum ex Sacerdotibus constituentibus Capitulum Ecclesiæ receptitiæ S. Mariæ Novæ Terrę Gioję, in qua ipsemet Joseph tria jura patronatus super tribus Cappellaniis ibidem erectis habebat, die 16. Julii 1695., prævio Sac. hujus Congreg. suffragio, fuit ad unam ex prædictis Cappellaniis a fa. me. Innoc. XII. rehabilitatus, ut in *l. 45. Dec. p.* 424., subindeque, vacata per obitum ejusdem Dominici dicta Cappellania, Ægidius, ipsiusque fratres natu minores filii Nicolai nati ex Josepho occisore humiliter postularũt, ut tam ipsi, quam eorum successores in infinitum admitterentur ad juspatronatus activum & passivum, quod eis fuerat in prædictarum Cappellaniarum fundatione reservatum. At S. Congr., relata primum instantia inter supplices libellos, die 7. Maii 1707. rescripsit -- *Recurrant in casibus particularibus* -- deindeque, proposita Causa in Folio diei 9. Junii 1708., ad Dubiũ *An, & quomodo petitis sit annuendũ in casu &c.* respons. fuit -- *Si SS. D. N. placuerit per suas literas Apostolicas in forma Brevis Ordinario Marsicano committi posse, ut, veris existentibus narratis Ægidiũ Oratorem ad Cappellaniam vacantem tantum obtinendũ pro suo arbitrio, & conscientia gratis habilitet* -- ut in *lib. 58. Decr. p.* 198.

Placeat igitur Eminentiis VV. declarare.

I. *An*,

I. *An, quibus, & ad quem effectum obstet homic., de quo agitur in casu &c.*
II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu &c.*

Sess. 25. c. 2. de refor.

CASSANEN. Pomponius Jordanus in publico Instrumento sub annum 1700. confecto, se, suosque Hæredes obligavit, Patribus Minorum S. Francisci, quos vocant de Observantia, solvere annuam præstationem ducatorum triginta sex sub onere unam Missam quotidie celebrandi in Cappella S. Mariæ de Carmelo erecta in eorum Ecclesia S. Mariæ de Misericordia Civitatis Maratheæ, itidemq; singulis annis suppeditare alios quatuor ducatos ea lege, ut ab eisdem Patribus Festum B. M. V. de Monte Carmelo annuatim solemni ritu haberetur, sibique reservavit facultatem assignandi nonnulla Bona, quorum annuus redituus utrique annuæ præstationi responderet.

Verum, adimpleto usque ad annum 1719. memorato onere, dictum Instrumentum postea revocavit sub obtentu, quod præfati Patres essent annuæ illius præstationis incapaces; Episcopus autem, cui Sac. Congr. Episcoporum, & Regularium negotiis præposita commiserat cognitionem controversiæ exortæ super prædicti Instrumenti revocatione, licet assertæ annuæ præstationis incapaces declaraverit eosdem Regulares, attamen decrevit, dictam Missam quotidianam esse celebrandam per Sacerdotes a Pomponio eligendos.

Deinde vero exoptans idem Pomponius contentiones, quæ occasione prædictæ dispositionis insurrexerant, extinguere, statuit, conventionem non quidem cum ipsis Patribus, sed cum eorum Syndico, aut Promotore fiscali Causarum Piarum inire, necnon volens onus dictæ Missæ quotidianæ reducere ad unam tantum Missam singulis hebdomadis a præfatis Religiosis celebrandam cum eleemosyna duorum carolenorum pro qualibet Missa, assensum, & facultatem postulavit ab hac S. Congr., quæ die 28. Febr. 1722. comisit Episcopo, ut, veris existentibus narratis, eidem Oratori petitam facultatem deveniendi ad prædictam novam dispositionem pro suo arbitrio, & conscientia impertiretur.

Episcopus in executionem hujus Rescripti edidit Decretum hisce verbis expressum -- *Decernimus, licere, & licitum esse supradicto Pomponio Jordano &c. primam dispositionem mutare, & cautelas in forma cum Promotore fiscali piarum Causarum nostræ Curiæ stipulare &c. stante utilitate Causæ piæ, dictamque primam dispositionem moderari ad unam Missam qualibet hebdomada cum eleemosyna duorum carolenorum, sive denariorum pro qualibet Missa celebranda a dictis Religiosis Minoribus de observantia Conventus Civitatis Maratheæ obligando specifice, & taxative pro solutione dictæ eleemosynæ enunciatum Olivetum supra descriptum, & confinatum, cum conditione, & pacto remanendi dictum Olivetum penes ipsum Pomponium, suosque Hæredes, & Successores in perpetuum ad finem colendi, & conservandi cum obligatione solvendi singulis annis ex fructibus ipsius eleemosynam dictæ Missæ qualibet hebdomada celebrandæ, cum conditione, quod si quocumque casu diminuerentur fructus dicti Oliveti, diminuatur pariter numerus Missarum &c. cum obligatione tantummodo subrogandi aliud consimile corpus stabile, si evenerit casus, quod dictum Olivetum assignatum fuerit evictum &c. manente tamen dicto Pomponio, ejusque Hæredibus, & Successoribus onere, & obligatione manutenendi propriis sumptibus dictum Altare S. Mariæ de Carmelo &c. nec non solemnizandi Festum Tituli ipsius Jurispatronatus &c.*

Cum

Cum autem modo hanc conventionẽ impugnẽt Hæredes memorati Pomponii, contendantque, ſibi liberum eſſe deputare alio Sacerdotes, qui prædictam Miſſam qualibet hebdomada in excluſionem dictorum PP. celebrent, proinde proponitur Dubium infra deſcribendum, ad cujus deciſionem, ea, quæ ſequuntur, ob oculos habenda videntur.

Patres Cappucini, Minores Strictioris Obſervantiæ Ordinis S. Franciſci, aliique Regulares, qui Bona in communi poſſidere prohibentur, poſſunt quidem manuales Miſſarum eleemoſynas percipere, & legata decorem ſuarum Eccleſiarum, & certum divini cultus uſum concernentia conſequi, ſecundum Decretum Congreg ab Urbano VIII. ſpecialiter deputatæ impreſſum apud *Fagn. in c. Nimis prava n.* 19. 52., *&* 53.; diſcuſſis enim inter cætera binis hiſce Dubis -- I. *An valeat legatum annui redditus factum fabricæ, Sacriſtiæ, vel Eccleſiæ Fratrum Minorum tam de familia, quam ex Reformatione*--II *An liceat Fratribus hujuſmodi annua legata in judicio exigere per eorum Procuratores, vel Syndicos Apoſtolicos* -- reſcriptum fuit-- *Ad* I. *valere legatum annui redditus factum Sacriſtiæ, vel Fabricæ Eccleſiæ, vel Conventus Fratrum Minorum tam de Familia, quam de Reformatione, niſi adſit exceſſus in quantitate* -- *Ad* II. *Nec per ſe ipſos, nec per alios licere Fratribus in judicio exigere hujuſmodi legata, ſed Syndico Apoſtolic dumtaxat* --, & conſonat Reſolutio edita ab hac Sacra Congregatione in *Romana Legati* 2. *Decembris* 1673. *lib.* 28. *Decr. p.* 299.

At vero, quia iidem Patres nullam poſſunt ſecuritatem habere pro eorum victu, ſed debent prorſus ab incerto pendere, juxta *Tex. in c. unic. de Religioſ. domib.*, *&* *Gloſſ. in c. unic. in verb. Mendicantes de exceſſ. Prælat.*: propterea incapaces ſunt etiam legatorum, quæ eis, adjecto onere celebrationis Miſſarum, relinquuntur, uti conſtat ex eodem Decreto præfatæ Congregationis ab Urbano VIII. deputatæ ad Dubium ita conceptum -- *An Fratres Minores tam de Familia, quam Reformati ſint capaces legatorum annuorum, quæ fiunt, adjecto onere celebrationis Miſſarum* -- reſponſum fuit-- *Fratres Minores tam de Familia, quam ex Reformatione nullatenus eſſe capaces legatorum annuorum, quæ fiunt, adjecto onere Miſſarum.*

Immo puritati regulæ eorumdem Patrum repugnare, quod dominium, & poſſeſſio bonorum, quæ jure legati aut alterius conſimilis diſpoſitionis relinquuntur, ſit penes Syndicum, qui redditus percipiat ipſis Patribus diſtribuendos, ſancitum eſt in prælaudato Decreto his verbis-- *inhibemus autem, ne Syndicus in ſua perſona hujuſmodi annuos redditus percipiat diſtribuendos ipſis Fratribus*--& confert Deciſio S. Cong. Rev. Fabr. *in Æſina Legati* 26. *Novemb.* 1692., ubi cenſuit, Franciſcanos Obſervantes, qui retinere prætendebant ſtabilia nomine Syndici, eſſe dictæ retentionis incapaces, quæ Reſolutio licet de ſtabilibus loquatur, nihilominus intelligi debet etiam de Cenſibus, & annuis redditibus, cum & hi veniant appellatione ſtabilium, & immobilium *ad Textum in Clementina Exivi.* §. *Cumque annui redditus. de Verb. ſignif. tradit. Matthæuc. in Schola Paupertatis tit.* 3. *conſil.* 3. *n.* 4., *& ſeqq.*

Hinc Sacra hæc Congregatio in *Marianen. Piarum diſpoſitionum* 6. *Julii* 1709., *&* 15. *Novembris* 1710. declaravit, Fratres S. Franciſci Minoris Obſervantiæ eſſe incapaces tum legati cujuſdam Cenſus relicti Altari ſito in dictorum Patrum Eccleſia ſub conditione, ut eorum Syndicus fructuum medietatem erogaret in beneficium Cappellæ, & aliam medietatem in tot Miſſas a memoratis Patribus celebrandas, tum

etiam

etiam donationis Bonorum factæ Syndico Conventus cum pacto, quod venderentur, & ex eis constitueretur capitale certam annuam summam reddens convertendam partim in ornatum Cappellæ, partim in emptionem lanæ, & partim in celebrationem Missarum a Patribus explendam, & tandem legati ducatorum 300. cum onere Ecclesiam reparandi, & nonnullarum Missarum.

Et novissime in *Firmana Legatorum* 2. *Octobris* 1721. rescripsit, non posse a Religiosis Sancti Francisci Minoris Observantiæ retineri legatum a Ludovica Moretti eis relictum his verbis -*Item per salute dell' Anima sua lascia, e comanda, che subito seguita la sua morte senz' alcuna contradizione degl'Eredi, possa il Sig. Sindico* pro tempore *del Convento di S. Francesco di Morro Valle, ed abbia ad entrare in possesso delli scudi* 50., *che tengono a Censo Francesco del Cucale, e suo Fratello, accio li frutti d'esso abbino a servire* perpetuis futuris temporibus *per la fabrica della Chiesa, & principalmente per il Cappellone, e Cuppola dell'Altar Maggiore, che possa il detto Signor Sindico farlo rivedere ogn'anno, e provederlo del bisognevole, ed i Religiosi del detto Convento siano tenuti ogn' anno celebrare nel giorno della sua morte, e ne'giorni seguenti un Offizio per l'Anima sua nell'Altare privilegiato della Santissima Croce, con tutti i Religiosi del Convento, e ne'giorni seguenti finchè si compisca il numero delle Messe, che entrano ne'frutti di essi cinquanta scudi* -- : cum enim disceptatum fuerit -- *An Religiosis Sancti Francisci Minoris Observantiæ Murri Vallium liceat retinere legatum relictum a quondam Ludovica Moretti in casu &c.* resolutum fuit -- *Negative, & Syndicum teneri dimittere Censum, sed Patres posse recipere fructus per modum eleemosynæ* -- ut in *lib.* 71. *Decr. pag.* 453.

E converso autem, remanentibus bonis penes Hæredes, qui gravati fuerint solvere annuam præstationem, sustineri legatum, respondit Sac. Congr. *in Aprutina Legati* 29. *Februari* 1677. in qua proposito Dubio -- *An sustineretur legatum sequentibus verbis relictum* : *Item dice d' avere a Censo ducati cent'ottanta, lascia di ragion di legato, che l' infrascritto Erede, e successori in* infinitum *debbano con li frutti di quella farne celebrare quattro Anniversarj l'anno nella Chiesa di* S. *Maria de' Lumi da' Fratti Zoccolanti* -- decisum fuit -- *Affirmative* -- idemque resolvit in *Isernien. Legati* 10. *Julii* 1684. ubi agebatur de legato ita expresso -- *Lascio che detti miei Eredi faccino celebrare quaranta Messe l'anno all'Altare di* S. *Maria Maddalena nella Chiesa di Santa Maria delle Grazie de' Frati Minori Osservanti, da quelli Padri, che saranno assistenti al Convento sopraddetto, e piuchè li siano dati da sudetti Eredi quattro ducati l'anno, quali serviranno per i bisogni di detta Cappella* -& in *Vicen. Relicti annui* 15. *Decemb.* 1725.

Jura, quibus Promotor Fiscalis Causarum Piarum tuetur, servandam esse favore dictorum Patrum controversam dispositionem Pomponii Iordani, circumferuntur. Examini itaque subjicitur Dubiũ, quod sequitur.

An dispositio Pomponii Jordani facta sub die 17. *Junii* 1722., *prævio Decreto bujus S. Congreg., quoad Missam hebdomadalem, & festivitatem S. Mariæ de Monte* Carmelo *celebrandam a Fratribus S. Francisci de Observantia sit servanda per illius Hæredes in casu &c.*

INDEX

CONCLUSIONUM, ET RESOLUTIONUM,

Quæ in singulis Foliis annorum 1733., & 1734. fuerunt adnotatæ.

ribus


INDEX
RESOLUTIONUM,
Quæ in Causis sub annos 1733. & 1734. propositis prodierunt.

C

D

Mis-

FINIS.


UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 15 14 19 08 003 7